

THEOLOGIA BIBLICA

P. F. CEUPPENS, O. P.

IV

DE MARIOLOGIA BIBLICA



TORINO

MARIETTI

ROMA

Nihil obstat:

12 Februarii 1948.

Fr. THOMAS E. GARDE, O. P., *S. Th. Mag.*

Fr. M. ROS. GAGNEBET, *S. Theol. Doctor.*

Imprimi potest:

Romae, 12 Februarii 1948.

Fr. ANICETUS FERNANDEZ, O. P.

Vicarius Gen. Mag. Gener.

IMPRIMATUR.

Mons. IOSEPHUS ANGRISANI, *Ep. Casalen.*

PROLOGUS

Tractatum dogmaticum circa Mariologiam tradere intentio nostra non est, scopus huiusmodi plane superfluous esset, quia his ultimis annis diversae Mariologiae exstiterunt, inter quas pleraeque optimae notae habentur. Inquirere vero intendimus, uti titulus nostri operis manifestat, quid in S. Scriptura de Beata Maria Virgine consignatum fuit; quapropter varia loca S. Scripturae, tam Antiqui quam Novi Testamenti colligere conati sumus quae circa Mariam versantur, in quibus Maria partes activas agit et e quibus forsitan quaedam doctrina mariologica deduci potest. Haec est huius operis prima et principalis pars, pars scilicet exegetica, in qua variarum narrationum interpretationem exegeticam exposuimus. Huic primae parti secundam adiunximus, qua, saltem speramus, theologi scholastici opportune uti poterunt, et in qua articulos Summae S. Thomae ex P. III, q. 27 ad q. 37 secuti sumus, qui etiam de B. Maria ac simul de vita abscondita eius divini Filii agunt. Monstrare enim voluimus, in quantum possibile erat, doctrinam S. Thomae in his articulis propositam, fundamentum in S. Scriptura habere. Haec pars est theologica. Unde totum opus secundum duas partes dividimus:

I. Pars exegetica:

- a. Mariologia in Antiquo Testamento.*
- b. Mariologia in Novo Testamento.*

II. Pars theologica:

Mariologia biblica et S. Thomas.

Velit Beatissima Virgo, Mater Dei et mater nostra, opus nostrum benedicere, ut ipsa magis magisque cognoscatur, intensius ametur, ferventius honoretur.

Scripsi Romae, in die Nativitatis Domini, 25 Decembris 1948.

Auctor.

	<i>Pag.</i>
1. Eva tantum in sensu litterali	19
a. Argumentum criticum	19
b. Argumentum ex auctoritate	19
2. Maria in sensu typico probari nequit	20
a. - b. Argumenta ex S. Scriptura et Traditione non probant	20
c. Argumentum ex magisterio Ecclesiae etiam non probat	21
II. - PROPHEZIA DE VIRGINE CONCIPIENTE ET PARIENTE, <i>Is.</i> 7, 14.	24
1. Circumstantiae historicae	24
2. Textus interpretatio	25
3. Quaeenam sit virgo concipiens et pariens Emmanuel?	33
A. <i>Emmanuel in sensu litterali est Messias</i>	33
a. Emmanuel non est Ezechias	33
b. Non est nomen symbolicum filii Isaiae	34
c. Non est puer quicumque	34
d. Emmanuel est Messias	35
B. <i>Virgo concipiens et pariens Emmanuel est B. Maria</i>	36
1. Probatur e textu et contextu	37
2. E traditione iudaica	37
3. E traditione christiana	37
4. Protestantes	37
4. Vaticinium et contextus	38
a. De contextus natura	38
b. De loco prophetiae in contextu	39
III. - VATICINIUM DE PARTURIENTE PARITURA IN BETHLEHEM, <i>Mich.</i> 5, 1. 2.	45
1. Vaticinii contextus	45
2. Textus interpretatio	45
3. Quisnam sit dominator? quaeenam pariens?	49
a. <i>Dominator est Messias</i>	49
1) Argumenta auctoritatis	49
2) Argumenta critica	50
b. <i>Parturiens est B. Maria</i>	50
1) Probatur e textu et contextu	50
2) Ex parallelismo cum <i>Is.</i> 7, 14	50
IV. - «FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM», <i>Ier.</i> 31, 22b	52
1. Textus in suo contextu	52
2. Critica textualis	53
3. Textus interpretatio	54
a. Non agitur de conceptione virginali	54
b. Non agitur de conversione Israël ad Jahweh tempore messianico	56
c. Agitur de reditu Israël ex captivitate et de eius conversione eo in tempore	56
d. Mulier illa non est B. Maria, sed populus renovatus	58
CONCLUSIONES	60

B) MARIOLOGIA BIBLICA IN NOVO TESTAMENTO.

	<i>Pag.</i>
I. - ANNUNTIATIO B. MARIAE FACTA, <i>Lc.</i> 1, 26-38	62
A. <i>Textus interpretatio</i>	62
1. Angeli salutatio, vv. 26-28	62
2. Angeli annuntiatio, vv. 29-33	70
3. Quaestio Mariae, responsio angeli, vv. 34-38	73
B. <i>Versiculorum</i> 34-35 authentia	81
1. Argumenta contra authentiam	81
a. Ex silentio Christi et auctorum sacrorum	82
b. E critica interna narrationis	86
2. Authentia positive probatur	89
C. <i>De pericopae Lucae</i> 1, 26-38 <i>historicitate</i>	91
1. Ortus Iesu illegitimus (E. Haeckel)	91
2. Origo dogmatis Iudaeo-christiana (A. Réville)	92
3. Origo dogmatis ethnico-christiana (G. Turmel, A. Loisy)	93
II. - VISITATIO B. MARIAE AD ELISABETH, <i>Lc.</i> 1, 39-56	96
A. <i>Textus interpretatio</i>	96
1. Adventus et Salutatio B. Mariae, vv. 39-40	96
2. Responsio Elisabeth, vv. 41-45	97
3. Canticum Magnificat, vv. 46-55	101
a. Maria gratias Deo agit, vv. 46-48	101
b. opus peractum est omnipotentiae ac misericordiae divinae, vv. 49-53	103
c. regnum messianicum incipit, vv. 54-55	106
B. <i>De origine</i> « Magnificat »	107
1. Utrum Maria an Elisabeth canticum protulerit?	108
a. Elisabeth cantavit: A. Harnack, A. Loisy	108
b. Maria cantavit Magnificat in die Visitationis	112
2. De auctore Magnificat	118
a. Lucas canticum composuit: A. Harnack	118
b. Canticum est praechristianum originis Iudaicae: A. Hilgenfeld	118
c. Maria composuit illud at non in die Visitationis: P. Ladeuze	120
d. Maria composuit occasione Visitationis: M. J. Lagrange	120
III. - NUNTIIUM ANGELI IOSEPH FACTUM, <i>Mt.</i> 1, 18-25	122
1. Anxietas Ioseph, vv. 18-19	122
2. Explicatio mysterii ab angelo, vv. 20-23	124
3. Pacificatio Ioseph, vv. 24-25	127
IV. - DE CHRISTI NATIVITATE IN BETHLEHEM, 2, 1-7	129
A. <i>Textus interpretatio</i>	129
1. Descriptio Caesaris Augusti decretum, vv. 1-3	129
2. Iter Ioseph et Mariae in Bethlehem, vv. 4-5	131
3. Nativitas Christi in Bethlehem, vv. 6. 7	132

ABBREVIATIONES

Bibl.	Biblica.
Bibl. Stud.	Biblische Studien.
BZ.	Biblische Zeitschrift.
Collect. Mechl.	Collectanea Mechliniensia.
DAFC.	Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique.
DB.	Dictionnaire Biblique.
DBS.	Dictionnaire Biblique, Supplément.
DTC.	Dictionnaire de Théologie Catholique.
DTP.	Divus Thomas Piacenza.
ETL.	Ephemerides theologicae Lovanienses.
Gregor.	Gregorianum.
NRT.	Nouvelle Revue Théologique.
P. G.	Patrologia Graeca.
P. L.	Patrologia Latina.
RB.	Revue Biblique.
Rech. Sc. Rel.	Recherches de Science Religieuse.
RHE.	Revue d'Histoire Ecclésiastique.
RHLR.	Revue d'Histoire et de Littérature Religieuse.
RSPT.	Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques.
VD.	Verbum Domini.
ZAW.	Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft.
ZKT.	Zeitschrift für katholische Theologie.
ZNW.	Zeitschrift für die neutestamentliche Wissenschaft.

PARS PRIMA

E X E G E T I C A

A) MARIOLOGIA IN ANTIQUO TESTAMENTO

Communiter quattuor prophetiae ex Antiquo Testamento ab auctoribus citantur quae B. Mariae Virginis specialia privilegia exaltare videntur:

1. Protoevangelium, *Gen.* 3, 15.
2. Prophetia de Virgine concipiente ac pariente, *Is.* 7, 14.
3. Vaticinium de parturiente paritura in Bethlehem, *Mich.* 5, 2-6.
4. «Femina circumdabit virum», *Ier.* 31, 22b.

I. PROTOEVANGELIUM. (*Gen.* 3, 15).

Adam et Eva, generis humani protoparentes, in horto voluptatis a Deo positi, ratione vitae suae intimae cum Deo, felicitate perfecta et inconcussa gavisii sunt, *Gen.* 2, 8. 15. In horto vero inter animalia non domestica fuit serpens quidam, serpens diabolicus, qui hominis felicitati invidens, illum perdere statuit, *Gen.* 3, 1. Mulieris infirmitatem cognoscens, ei appropinquavit et sermonibus blandientibus illam usque ad praecepti divini non manducandi de fructu arboris scientiae transgressionem adduxit; mulier seducta virum suum tentavit, qui ipse etiam succubuit, *Gen.* 3, 1-7. Protoparentum inoboedientia cognita, Deus, iudex supremus, in paradysum venit ad investigationem circa res gestas faciendam ac iudicium rectum ferendum, *Gen.* 3, 8-13. Interrogatione protoparentum absoluta, Deus sententiam protulit: primo contra culpabilem principalem, contra serpentem seductorem, *Gen.* 3, 14. 15;

deinde contra mulierem et demum contra virum, *Gen.* 3, 16-19. Sententiam contra protoparentes prolatam statim exsequitur Deus illosque e paradiso eiecit, *Gen.* 3, 20-24.

Sententia contra serpentem tentatorem ac seductorem pronuntiata attentos nos tenet; illaque sententia duplex est: a) *Summa serpentis humiliatio*: « Maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae: super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae », *Gen.* 3, 14; et b) *potestatis serpentis destructio*: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius », *Gen.* 3, 15. Secunda ista poena, quoad scopum quem prosequimur, summi momenti nobis videtur; unde prudenter et accurate est consideranda.

1. *Textus interpretatio.*

a) *Inimicitias*, hebraice 'êbāh in singulari legitur; in sensu suo primitivo de inimicitia tam inter homines quam inter animalia praedicatur; in S. Scriptura potius inimicitiam inter entia rationalia, inter Deum et homines, inter nationes diversas, inter homines opinionis diversae designare videtur, *Num.* 35, 21. 22; *Ez.* 25, 15; 35, 5. Cum in narratione nostra serpens sit ens rationale et quidem spirituale, *Gen.* 3, vv. 4. 5. 15, concludere possumus 'êbāh in v. 15 sensum suum biblicum ordinarium habere et inimicitiam inter entia rationalia significare (1).

b) *Ponam*, hebraice 'āšit habetur, quod est imperfectum verbi šit, quo hebraice indicatur actionem iam inceptam, nondum vero peractam esse, sed actionem adhuc perdurare; forma « *pono* » ergo formae « *ponam* » est praeferenda. Momento igitur quo Deus sententiam profert, inimicitia incipit et usque ad victoriam perfectam seminis mulieris perdurabit, hebraice enim non « *ipsa* », i. e. mulier, sed « *ipsum* » i. e. semen mulieris, conteret caput serpentis. Forma 'āšit est prima persona formae activae Kal, qua intenditur hanc inimicitiam non subito quasi improvise surrexisse, sed e contra a Deo volitam fuisse: « ab hoc momento, ego Jahweh, volo ut inimicitia perdurans adsit inter te et mulierem ».

c) *Inter te*. Jahweh se dirigit ad seductorem, unde « *te* » directe serpentem designat. Serpens ille non est animal, sed est ens intellectuale, quod praeceptum divinum cognoscit, 3, 1 et homines ad praecepti transgressionem hortatur, 3, 15; est insuper ens spirituale, ens semper vivens quod pugnam contra homines faciet et finaliter a semine mulieris

vincetur, 3, 15. Serpens est diabolus ipso qui sub specie serpentis protoparentibus se ostendit (1), vel quem auctor sacer sub figura seu symbolo serpentis nobis exhibuit (2).

d) *Et mulierem*, hebraice hā'iššāh, substantivum singulare articulo determinatum. C. VAN CROMBRUGGHE asserit substantivum singulare cum articulo triplicem sensum inducere posse; articulus adiungitur a) sive ad designandum subiectum de quo quaestio in contextu habetur; b) sive ad collectionem quamdam indicandam, in sensu ergo colectivo ad mulieres in genere significandas; c) sive ad personam bene determinatam, auctori notam, contextui adhuc ignotam introducendam, *Gen.* 3, 1: hānāhāš = serpens; *Is.* 7, 14 hā'almāh = virgo (3). Quonam in sensu « *mulier* » sit intellegenda infra videbimus.

e) *Et (inter) semen tuum et semen illius*. 1) *Semen tuum* est semen tentatoris, semen serpentis. Vox *zera'* primario de plantarum semine praedicatur, *Gen.* 1, 12: in sensu derivato semen pot. t. a em hominis denotat. Sensus ille est sensus physicus, et potest sive totam hominis posteritatem significare, *Gen.* 13, 15; 17, 7; 22, 17 etc.; sive unum individuum tantum, *Gen.* 4, 25; 21, 13. *Zera'* etiam sensum moralem admittit, nempe homines qui eundem finem persequuntur, *Is.* 1, 4.

Semen serpentis in sensu morali est intellegendum, eo quod diabolus semen physicum non habet. Auctores communiter consentiunt dicendo semen serpentis in sensu colectivo esse sumendum. Quaenam vero sit illa collectio? Opinamur hanc collectionem constitutam esse ex individuis naturam serpentis tentatoris habentibus; et cum serpens tentator sit diabolus, semen serpentis sunt diaboli; secunda pugna tunc erit inter diabolos seu potestatem diabolicam et semen mulieris.

2) *Semen illius* est semen mulieris. Opinamur semen mulieris in sensu physico, de posteritate mulieris esse intellegendum, et quidem in sensu colectivo. Ratione parallelismi, semen in v. 15 bis sive in sensu colectivo, sive in sensu individuali est explicandum. Cum vero semen serpentis certissime collective sumatur, item semen mulieris de tota posteritate mulieris est explanandum (4).

f) *Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius*.

Hebraice non hī' = *ipsa*, sed hū' = *ipsum* legitur, scilicet senem mulieris; sive legatur « conteret » sive « insidiabitur » caput tuum, fina-

(1) V. ZAPLETAL, *Alttestamentliches*, 1903, p. 23. — F. FELDMAN, *Paradies und Sündenfall*, 1913, p. 247, 506. — L. DÜRR, *Ursprung und Ausbau der israelitisch-judischen Heilands-erwartung*, 1925, p. 69.

(2) L. DENNEFELD, *Messianisme*, DTC. 10, 1929, 1411. — H. JUNKER, *Die biblische Urgeschichte*, 1932, p. 50. — B. RIGAUX, *L'Antéchrist*, 1932, p. 33-34.

(3) C. VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.* 1913, p. 116.

(4) F. CEUPPENS, *De Historia Primaeva*, 1934, p. 201, 215.

liter uti monstravimus (1), semen mulieris caput serpentis conterere debet. Serpens insidiabitur calcaneo eius; pugna ultima ergo erit inter ipsum serpentem tentatorem et semen seu posteritatem mulieris. Semen mulieris conteret caput serpentis, potestatem diabolicam destruet, victoriam definitivam habebit. At quaestio est utrum posteritas mulieris collective, an pars huius collectionis, an posteritas mediante uno individuo hanc victoriam relatura sit. Neque e textu, neque e contextu haec quaestio solvi potest; generis humani «*liberatio*» a potestate diabolica certo praedicatur; quomodo, per quem ista liberatio sit efficienda, non clare determinatur. Quando vero haec prophetia sub lumine vaticiniorum in subsequentium consideratur, praesertim sub lumine prophetiae Iacob, *Gen.* 49, 10, ac praedicationis propheticae Isaiae et Michaeae, animadvertimus quod Jahweh semper magis magisque sensum huius primae prophetiae disertiore reddidit; propheta *Isaias* 53, 1-12, aperte praenuntiat servum Jahweh, qui est Messias, nostrum a diabolo esse liberatorem. Etiam versio LXX sub influxu doctrinae messianicae postexilicae, sensum prophetiae *Geneseos* 3, 15 definivit legendo loco «*ipsum*» αὐτό (collective), αὐτός = «*ipse*» (persona individua), persona individua ad semen mulieris pertinens et quae victoriam in serpentem habebit; persona illa est Messias.

2. Quenam sit mulier hā'issāh quae serpentem impugnare debet?

Ratione contextus, et quidem omnibus auctoribus consentientibus, sensus collectivus est reiiciendus, quia de omnibus mulieribus non agitur, sed de muliere bene determinata cuius posteritas diabolum vincere debet. Quenam sit illa mulier bene determinata? Estne Eva, mulier tentata, seducta ac punita? vel estne alia mulier bene determinata, auctori nota, contextui vero ignota? Mulier *Geneseos* 3, 15 estne B. Maria Virgo?

Auctores admittunt omnes Evam, generis humani matrem, esse mulierem tentatam ac seductam, mulierem totius contextus. Quando vero determinetur oportet mulier quae diabolum impugnare debet, mulier cuius semen conteret caput serpentis infernalis, tunc auctorum consensus desinit, et quattuor diversae interpretationes inter auctores catholicos vigent.

1. Mulier *Geneseos* 3, 15 non est Eva, sed Maria, et Maria tantum in sensu stricte litterali.

2. Mulier *Geneseos* 3, 15 est Eva secundum sensum litteralem; in sensu vero litterali pleno et perfecto est Maria.

(1) F. CRUPENS, *De Historia Primaeve*, 1934, p. 219.

3. Mulier *Geneseos* 3, 15 est Eva in sensu litterali, est Maria in sensu typico.

4. Mulier *Geneseos* 3, 15 est Eva et Eva tantum in sensu litterali; utrum sit Maria, saltem in sensu typico, non probatur.

Percurramus ergo has diversas interpretationes et videamus quid de his tenere possimus.

PRIMA INTERPRETATIO: Mulier non est Eva, sed Maria, et Maria tantum in sensu stricte litterali.

Sententia illa est quorundam exegetarum, at praecipue multorum theologorum. Argumenta allata duplicis sunt generis: 1. Ex Sacrae Scripturae, Traditionis et Magisterii Ecclesiae auctoritate. 2. E critica interna seu e textu et contextu (1).

1. Argumenta ex auctoritate.

a. *E S. Scriptura.* — Duplex praesertim ratio e S. Scriptura affertur:

1) *Parallelismus insignis inter Genesim 3, 15 et Isaiam 7, 14.* Parallelismus ille denegari nequit: in utroque enim loco substantivum singulare articulo determinatum occurrit: in *Gen.* 3, 15 *hā'isšāh*, et apud *Isaiam* 7, 14 *hā'almāh*. Apud *Isaiam* *hā'almāh* non virginem quamcumque, sed virginem specialem, eximiam, ab omnibus aliis distinctam, B. Mariam Virginem, matrem Iesu, in sensu stricte litterali designat, virginem contextui ignotam, Deo auctori S. Scripturae notam. Unde ratione parallelismi, etiam in *Genesi* 3, 15 *hā'isšāh* mulierem specialem, ab omnibus aliis distinctam denotare debet, mulierem Evae peccatrici oppositam, in quam diabolus nullum influxum habebit, sed quae violenter acriterque omnes inferni sollicitationes impugnet; mulier illa

(1) J. B. TERRIEN, *La mère de Dieu et la mère des hommes*, 1, 1902, 26-49. — H. BRENNER, *Die unbefleckte Empfängnis und die erste Prophezeiung der Erlösung*, *Theol. Prakt. Quartalschrift*, 62, 1904, 752-773. — M. FLUNK, *Das Protoevangelium und seine Beziehung zum Dogma der unbefleckten Empfängnis*, *ZKT*, 28, 1904, 641-671. — S. PROTIN, *Le Protévangile et l'Immaculée Conception*, « *Rev. Augustinienne* », 5, 1904, 449-460. — G. HOBERG, *Die Genesis*, 1908, p. 49. — C. WILLEMS, *Das Protoevangelium*, « *Pastor Bonus* », 23, 1911, 129-137. — I. RINIERI, *La donna del Protoevangelo*, « *Scuola cattolica* », 41, 21, 1912, 160. — C. VAN CROMBRUGHE, *Tractatus de B. Maria Virgine*, 1913, p. 113. — J. BOVER, *Universalis Beatæ Virginis mediatio ex Proto-Evangelio (Gen. 3, 14. 15) demonstrata*, « *Gregor.* » 5, 1924, 573. — J. B. CAROL, O. F. M., *Utrum B. Virginis Co-Redemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata?* 1939, p. 7-19. — B. MIERKELBACH, *Mariologia*, 1938, p. 82, prudenter scribit: sententia hæc est præferenda « si res theologice et secundum traditionem consideretur »; de hac quaestione, infra. — G. RONCHINI, *Mariologia*, t. II, P. I, 1912, p. 103.

est Maria, contextui ignota, Deo vero nota. Character ille specialis tam mulieris Geneseos, quam virginis Isaiae articulo « *hā* » exprimitur. In sensu ergo litterali de Maria tantum agitur (1).

2) S. IOANNES in Apoc. 12, 4. 13 ad Genesim 3, 15 certo alludit quando scribit: « Et draco stetit ante mulierem quae erat paritura: ut, cum peperisset, filium eius devoraret ». Mulier Apocalypseos indubie est Maria, mater Iesu. Ergo etiam mulier Geneseos 3, 15.

b. *E Traditione*. — 1) S. IRENAEUS: « altero (serpente) mordente et occidente et interpediente ingressus hominis, quoadusque venit semen praedestinatum calcare caput eius, quod fuit partus Mariae ». — « Et inimicitiam hanc (Gen. 3, 15) Dominus in semetipsum recapitulavit, de muliere factus homo, et calcans eius caput; quemadmodum in eo, qui ante hunc est, libro ostendimus ». — « Ex eo enim, qui ex muliere virgine habebat nasci secundum similitudinem Adam, praekonabatur observans caput serpentis ».

2) S. EPIPHANIUS: « Plene quidem et perfecte accommodari ad illam (Evam) universa nequeunt, sed in sanctissima, eximia ac singulari stirpe quae a sola Virgine Maria, sine ulla viri consuetudine propagata est, reipsa et penitus impletur... Propterea unicus ex muliere Dei filius processit, ut serpentem everteret ».

3) S. HIERONYMUS (PS.): « Aliud semen mulieris nullum accipio nisi illud quod Apostolus ait factum ex muliere... mater itaque Domini nostri Iesu Christi in illa iam tunc mulier promissa est ».

4) S. BERNARDUS: « Quam tibi aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait, inimicitiam ponam inter te et mulierem? Et si adhuc dubites quod de Maria non dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum, cui haec servata victoria est nisi Mariae? » (2).

c. *E Magisterio Ecclesiae*. — Summus Pontifex PIUS IX occasione proclamationis dogmatis Immaculatae Conceptionis, die 8 decembris 1854, in Bulla « *Ineffabilis Deus* » scribit: « Patres Ecclesiaeque scriptores... enarrantes verba: « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius », docuere hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam Beatissimam eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas ».

(1) C. VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.* 1913, p. 116. — J. BOVER, *Universalis B. V. Meditatio*, « *Gregor.* » 5, 1924, 574.

(2) S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 23, 7; IV, 40, 3; V, 21, 1. *P. G.* t. 7, c. 964; 1114; 1179. — S. EPIPHANIUS, *Adv. Haer.* 78, 19. *P. G.* t. 42, c. 730. — S. HIERONYMUS (PS.), *De viro perfecto*, 6, 11, *P. L.* t. 30, c. 82, 83. — S. BERNARDUS, *Hom. 2 super « Missus »*, 4, *P. L.* t. 183, c. 63. — S. LEO MAGNUS, *Sermo 22, In Nativitate Domini*, 2, 1. *P. L.* t. 54, c. 194.

Asseclae huius primae interpretationis ex hoc documento deducunt Summum Pontificem declarasse:

1) quod SS. Patres *docuerunt hoc oraculo*, nempe *Gen. 3, 15*, Redemptorem *clare aperteque* fuisse *demonstratum*.

2) quod B. Maria Virgo fuit *designata*, quod idem sonat ac *praemonstrata*; immo expressio adverbialis « *clare aperteque* » etiam ad « *designatam* » est referenda.

3) quod utriusque contra diabolum inimicitiae *insigniter* sunt expressae (1).

Summus Pontifex de Eva nullum verbum habet, nequidem Evae alludit.

2. Argumenta e critica interna.

Ad tria principaliora reducuntur argumenta ista critica:

Argumentum primum. Inimicitiae erunt inter diabolum et mulierem, et non inter diabolum et virum; quod intellegi nequit nisi agatur de muliere praestantissima quae robore ac fortitudine sua virum longe superat, de muliere quae diaboli angustias disturbandi ac victoriose pugnam contra illum ineundi capax iudicatur; haec mulier non est Eva peccatrix, a diabolo seducta et quae etiam virum secum in exitium praecipitavit; sed mulier illa praestantissima est Maria. Ceterum, si mulier *Geneseos 3, 15* esset Eva, tunc pugna finalis inter diabolum et semen Evae, idest, inter diabolum et totum genus humanum fieret. At si pugna finalis inter diabolum et totum genus humanum fieri deberet, omnino naturale et conveniens esset quod pugna inter Adam et diabolum, et non inter diabolum et Evam inciperet, eo quod Adam est generis humani caput, et quod ratione peccati capitis totum genus humanum perditum fuit (2).

Argumentum secundum. Pugna finalis inter « semen mulieris » et diabolum habebitur; immo « semini mulieris » victoria servata est, nam « semen mulieris » caput serpentis conteret. Cum emphasi ergo auctor sacer « semen mulieris » repetit et modo peculiari in « semine mulieris » insistere videtur; quod explicari nequit nisi dicendo auctorem sacrum mulierem specialissimam intendere, mulierem quae virum non cognoscens, semen tamen seu posteritatem habebit, mulierem ergo virginem. Porro mulier huiusmodi, virgo cum posteritate, non est Eva quae virum secum habuit, quae sub viri dominio vixit, *Gen. 3, 16*;

(1) J. B. CAROL, O. F. M., *Utrum B. Virginis Co-Redemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata?* 1939, p. 33.

(2) J. BOVER, *Universalis B. Virginis Meditatio*, « Gregor. » 5, 1921, 574. « Princeps enim peccati fuit vir; nunc vero vir ipse Adam a serpentis inimicitiis esset prorsus exclusus, cum ipso neque sit Eva, neque eius semen ».

c. 4, 1. 2. Sola illa virgo est Maria quae, posteritate sua non obstante, virum non cognovit et suum virginitatis privilegium semper intactum servavit (1).

Argumentum tertium. Peccato commisso, Eva innocentiae privilegium perdidit, et facta est diabolo amica et Deo inimica; unde ratione peccati non surgit inter diabolum et Evam inimicitia, hostilia e quibus Eva victrix egreditur; e contra, ratione peccati, Eva fit diabolo amica ac serva, iugo diabolico subiecta (2). Insuper in narratione Geneseos nullibi verbum quoddam explicitum invenitur secundum quod Eva diabolum iam vicerit aut illum in futura vincere debebit. Textus Geneseos 3, 15 ergo, non de Eva, Satanae amica, sed de Virgine Maria, diabolo inimica capitali est explanandus.

Argumentis ex auctoritate et e critica interna perpensis, auctores huius interpretationis concludunt mulierem Geneseos 3, 15 esse Mariam et Mariam tantum, secundum sensum litteralem.



Principium hermeneuticum huic interpretationi opponendum est secundum quod idem substantivum hā'issāh in eodem contextu adhibitum, eodem in sensu est explicandum, nisi ratio sufficiens adsit qua alius sensus postuletur. Porro, ex una parte, mulierem contextus Geneseos 3, 1-24 esse manifeste Evam, nemo est qui negat: Eva tentatur, Eva seducitur, Eva iudicatur, Eva punitur, Gen. 3, 1. 2. 4. 6. 12. 13. 16. 20. 22. Ex alia parte rationes ab illis auctoribus allatae ad Evam excludendam et Mariam solam retinendam, vero fundamento carent; quapropter interpretationem hā'issāh = Evam in sensu stricte litterali servandam esse opinamur (3). At, ne apriorismo damnemur, argumenta huius primae interpretationis perpendemus.

(1) C. VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.* 1913, p. 117 scribit: « positis ideis ethnologicis hebraeis, esset mirum admodum hominem primae generationis, aut homines in genere vocari « semen » Evae potius quam Adae; contra, Messias-Redemptor emphatice et constanter illius mulieris cuiusdam praeclarae, Virginis nimirum proclamari solet ».

(2) M. HETZENAUER, *In Genesim*, 1910, p. 80. — J. BOVER, *Universalis B. V. Meditatio*, « Gregor. » 5, 1924, 574.

(3) Prosum inane nobis videtur huic legi hermeneuticae textus S. Scripturae, uti Lc. 2, vv. 48. 49; I Cor. 15, 21 opponere, in quibus « pater » et « homo » sunt vocabula bis repetita et bis in sensu diverso, de persona diversa praedicata. Duplex enim ille sensus ita aperte e contextu apparet, ut nunquam circa illum ne minima quidem difficultas orta est. Cfr. J. B. CAROL, O. F. M., *Utrum B. Virginis Co-Redemptio sit in S. Scriptura formaliter revelata*, 1939, p. 18.

1. *Argumenta ex auctoritate.*

a. *Ex S. Scriptura.* — In genere, quoad methodum adhibitam, recurrendi nempe ad alios S. Scripturae textus, adnotare volumus quaecumque S. Scripturae textum primo in se, secundum proprium suum contextum esse considerandum et explicandum, et solummodo quando contextus obscurus manet, ad alios S. Scripturae textus recurrendum est ad verum sensum alicuius loci investigandum. Videamus nunc argumenta proposita in specie.

1) *Parallelismus inter Genesim 3, 15 et Isaiam 7, 14.* Revera *virgo* = *hā'almāh* apud Isaiam de B. Maria in sensu stricte litterali praedicatur, at *non ratione articuli*, uti auctores supracitati asserere videntur, sed *ratione contextus* qui manifeste docet virginem a propheta solemniter praenuntiatam esse virginem specialissimam, qui filium concipiet et pariet et quae tamen virginitatis suae signaculum intactum servabit. Mulier illa neque est uxor regis Achaz, neque uxor ipsius prophetae, neque alia mulier quaecumque e tempore Isaiiae, nulla enim ex his mulieribus conditiones assignatas praestat: omnes conceperunt, omnes parturierunt, et omnes ipso facto virginitatem suam perdiderunt. Maria sola, mater Iesu, conditiones praenuntiatas adimplet, quapropter propheta illam solemniter et cum emphasi *hā'almāh* vocat (1).

Quod vero ad *Genesim 3, 15* spectat, ea quae de muliere asseruntur optime Evae convenire possunt, et ratione contextus de Eva explicanda sunt: inimicitiae primo inter seductorem et seductam orientur; haec fuit praecise poena a Deo contra serpentem pronuntiata: a momento prolationis sententiae, Deus tria statuit: a) ut ab hoc momento *'āšit* inimicitiae inter seductorem et seductam habeantur; b) ut inimicitiae illae inter semen diaboli et semen mulieris seductae perdurent; c) ut semen mulieris seductae caput serpentis conterat, seu victoriam definitivam in illum referat. Tria illa de Eva rite dici possunt, ut infra amplius videbimus, et ratione contextus dici debent, nihil prorsus in contextu adest quod de Eva asseri nequit. Ratio ergo quare *hā'isšāh* articulum in *Gen. 3, 15* habet est, quia agitur de muliere contextu iam bene determinata, illa mulier est Eva et non Maria, secundum sensum litteralem.

2) *Testimonium Apocalypseos 12, 4. 13.* Negari nequit S. Ioannem

(1) M. J. LAGRANGE, *La Vierge et Emmanuel*, RB. 1, 1892, 486. — A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance de l'Immanu-El*, Is. 7, 14. RB. 13, 1904, 213-227. — A. CON-
DAMIN, *Le livre d'Isaïe*, 1905, p. 67-70. — P. HEINISCH, *Das Buch Genesis*, 1930, p. 125. —
F. CEUPPENS, *De prophetiis messianicis in A. T.* 1935, p. 192-197. — *La Genèse*, I-III, 1945,
p. 153.

heic ad *Genesim* 3, 15 alludere. Summus Pontifex PIUS X, in Encyclica «*Ad diem illum lactissimum*» (1) hanc Apocalypseos visionem etiam B. Mariae Virgini applicavit; haec omnia vero non sunt nisi allusiones, applicationes, accommodationes, et non sensus literalis textus; immo secundum sensum litteralem, mulier Apocalypseos non est Maria Sanctissima sed est Ecclesiae Christi personificatio, uti Ioannes ipse explicitis verbis declarat: «et iratus est draco in mulierem: et abiit facere proelium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu Christi», *Apoc.* 12, 17. S. Ioannes heic praedicat omnia mala quae Ecclesia ex parte diaboli passura est sicut et persecutiones innumeras quas diabolus contra sponsam Christi suscitaturus est (2).

b. *Ex Traditione.* — Perpensis SS. Patrum assertionibus supra allatis, affirmare possumus quod, excepto S. BERNARDI testimonio, elementum formale harum declarationum est quod semen mulieris est Christus, filius Mariae, quod, consideratis prophetiis messianicis subsequentibus, admittunt etiam illi qui mulierem Protoevangelii esse Evam propugnant, uti infra videbimus. L. DREWNIAK O. S. B., in sua dissertatione doctorali apud facultatem theologiae catholicae Universitatis Bratislaviensis admissa, varia SS. Patrum testimonia, quae Protoevangelii mulierem respiciunt, excutit, et tres conclusiones statuit: 1) SS. Patres qui interpretationem mariologicam Protoevangelii proponunt directe in Geneseos narratione allusionem ad nativitatem virginalem Messiae agnoscunt: semen mulieris, posteritas mulieris est Christus, qui ex viro non est natus. 2) SS. Patres, duobus tantum exceptis, de inimicitia inter Mariam et serpentem non loquuntur, sed solummodo de inimicitia inter Evam (eiusque posteritatem) et serpentem. 3) Exegesis quae declarat Mariam esse mulierem quae caput serpentis conterere debet, fundamento firmo aut explicito in traditione non gaudet (3). — Etiam si, uti quidam aiunt, istae conclusiones L. DREWNIAK sint aliquatenus adauctae, ostendunt tamen quod unanimitas SS. Patrum circa Protoevangelii mulierem nullatenus datur.

c. *E Magisterio Ecclesiae.* — Auctores huius primae interpretationis declarationem Pii IX afferunt ad probandum quod secundum Summum Pontificem SS. Patres docuerunt quod hoc oraculo Maria

(1) *Encyclica* die 2 februarii 1904 publicata, *Act. S. Sed.* 36, 1904, 458.

(2) A. D'ALLÈS, *Maria, Mère de Dieu, DAFC.* 3, 1916, 153: «*Le reste, ce sont donc tous les frères de Jésus, c'est toute l'Eglise; la Femme l'était aussi; mais c'est l'Eglise prise sous deux aspects différents, comme elle l'a été au ch. II, vv. 1. 2 et vv. 3. 13*». — E. B. ALLO, *L'Apocalypse*, 1921, p. 157-167.

(3) L. DREWNIAK, *Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Väterzeit*, 1934, p. 86-88. — H. D. SIMONIS, *Le Prolévangile dans la tradition patristique, RSPT.* 21, 1935, 334.

sola in sensu litterali fuit designata, et quod eius inimicitiae contra diabolum fuerunt insigniter expressae.

Verum sensum huius declarationis infra indagare conabimur; pro momento vero notare volumus: 1) quod Summus Pontifex revera de Eva non loquitur; sane de illa loqui potuisset in Encyclica qua eximiam puritatem et sanctitatem Matris Salvatoris exaltare voluit, illam nempe Evae peccatrici *Gen. 3, 1-13* opponendo; at debuitne de Eva loqui? Caeterum Pius IX dicit solummodo quod SS. Patres docuere hoc oraculo Mariam fuisse « designatam »; quonam autem in sensu Maria designatur? Si sit in sensu typico aut in sensu accommodatitio, argumentum horum auctorum claudicat; si sit in sensu litterali, uti supponunt, tunc quaeritur utrum SS. Patres oraculum de Maria sola explicaverint, vel de Maria et Eva simul. Si sit de Maria et Eva simul, sumus in secunda interpretatione de qua statim; si sit de Maria sola, tunc magna adest difficultas, nempe, SS. Patres, duobus tantum exceptis, oraculum ad litteram exponentes, inimicitiam *Gen. 3, 15* de inimiciis inter diabolum et Evam intellegunt, et de inimiciis inter diabolum et Mariam tacent. Quomodo ergo Summus Pontifex dicere potuisset quod « SS. Patres docuere hoc oraculo Mariam solam in sensu litterali fuisse designatam? » Sensus a Summo Pontifice intentus e sola Encyclicae contextus consideratione est determinandus, uti infra videbimus.

2. Argumenta e critica interna.

Ad argumentum primum: Quando accurate *Geneseos 3, 1-15* contextus, nempe protoparentum tentatio et lapsus sicut et serpentis punitio, consideratur, statim apparet ratio specialis quare pugna inter serpentem et mulierem habebitur: Deus nempe vult ut poena serpenti seductori infligatur a muliere ipsa quam astutia sua seduxit, ab Eva ergo ipsa. Pugna inter semen serpentis et semen mulieris, et non inter semen serpentis et semen viri persequetur, quare? 1) quia vir relationes directas et immediatas cum diabolo tentatore non habuit, a muliere enim seductus fuit vir; et 2) praecipue quia Deus victoriam mulieris, in primo occurso a diabolo seductae, firmare voluit; Deus vult ut semen mulieris seductae in pugna finali diabolus modo definitivo vincat: « caput serpentis conteret » eiusque potentiam totaliter frangat. En ratio quare hagiographus in semine mulieris immoratus est. Quomodo semen mulieris hanc victoriam referre debeat, in prophetiis messianicis subsequenter magis determinatur.

Ad argumentum secundum: Vox « semen » est terminus valde generalis qui sive individuum, sive collectionem designat (cfr. supra); et ratione huius characteris generalis intendit solum effectum conce-

ptionis, scilicet puerum natum, significare, et a modo quo conceptio aut partus fit, abstrahere. Unde sive conceptio sit naturalis, sive sit supernaturalis, semper de semine seu de posteritate mulieris loquitur. Caeterum ratio specialis in *Gen.* 3, 15 adest quare auctor de semine mulieris et non de semine viri loquitur, nempe quia personae principaliore contextus sunt diabolus seductor et mulier seducta; mirum tunc non est quod auctor, oppositis primo his personis, opponit deinde semen seu posteritatem earum in pugna quae semper, usque ad finem saeculorum, perdurare debet. Expressio « semen mulieris » ergo, etiam emphatice repetita, nullatenus denotat auctorem intentionem habuisse lectoribus suis characterem quemdam specificum huius mulieris monstrandi, characterem ei omnino proprium, nempe virginitatem eius in filii sui conceptione et partu. Mulier a propheta lectoribus exhibita est mulier contextus, et mulier contextus est Eva.

Ad argumentum tertium: Lex generalis hermeneuticae dicit quod omnis prophetia secundum suum contextum est explananda. Porro, secundum prophetiae nostrae contextum, Eva peccato revera diabolo amica est facta; unde ratione peccati certo non surgit inimicitia inter diabolum et Evam, sed ratione divini iudicii quod peccatum sequitur. Peccato commisso, Deus iudicium instituit et unicuique reo poenam infligit; primo quidem poenam diabolo iniungit, quae consistit in hoc quod mulier ab ipso seducta et ratione peccati amica ei facta, erit deinceps, a momento prolationis sententiae, ei inimica; voluntas Dei est ut ab hoc momento inter mulierem seductam et diabolum seductorem inimicitiae et quidem perdurantes surgant; quo significatur quod Eva ab hoc momento non amplius sollicitationibus diaboli aurem praebabit, sed illis continuo resistet, illasque impugnabit; pugna illa quotidiana et omni tempore erit, sicut illam quam omnis fidelis quotidie diabolo dare debet (1). Et in ista propugnatione contra diaboli sollicitationes consistet victoria personalis Evae; pugna autem per saecula perdurabit et finem tantum habebit quando semen mulieris caput serpentis contriverit, seu potestatem diaboli definitive fregerit.

(1) B. RIGAUD, *L'Antéchrist*, 1932, p. 38, 39.

SECUNDA INTERPRETATIO: Mulier est Eva secundum sensum litteralem; est vero etiam Maria in sensu litterali pleno et perfecto.

Distinguitur haec interpretatio a prima in hoc quod « mulier » in sensu pleno et perfecto designat Mariam; Eva tamen non excluditur, ipsa etiam significatur in sensu litterali quamvis modo imperfecto (1). Rationes allatae duplicis etiam sunt generis: 1. argumenta ex auctoritate; 2. argumenta e critica interna.

1. *Argumenta ex auctoritate.*

a. SS. Patres disertis verbis docent quod sicut verba vaticinii perfecte in solo Christo implentur, ita mulier sensu pleno et perfecto non est Eva, sed illa quae Christum virginaliter genuit, B. Virgo Maria (2).

b. Argumento e Traditione adiungunt hi auctores argumentum ex Encyclica PII IX « *Ineffabilis Deus* » haustum: « SS. Pontifex addit fuisse in hoc oraculo etiam designatam beatissimam eius (Redemptoris) Matrem Virginem ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas » (3).

2. *Argumenta e critica interna.*

Argumentum primum: Textus explicite non declarat quatenam sit illa mulier: « Quae sit haec mulier, et quae eius progenies, littera textus haud declarat » (4).

Argumentum secundum: Ea quae de « semine mulieris » dicuntur « ipsum conteret caput tuum », nonnisi in Christo plene adimplentur; ita ea quae ad mulierem se referunt: « inimicitiam pono inter te et mulierem », in Maria tantum plenam suam adimpletionem inveniunt (5); in Eva vero modo valde imperfecto.

(1) G. CROSIGNANI scribit: « La donna in senso pieno e perfetto designa Maria, senza per questo escludere che designa pure Eva (sempre in senso letterale), sebbene non perfettamente ». *DTP*, 38, 1935, 226.

(2) A. BEA, *De Pentateucho*, 1933, p. 202, 203. — J. TRINIDAD, *Quomodo praenuntiatur Maria in Gen.* 3. 15. *VD.* 19, 1939, 353.

(3) A. BEA, *De Pentateucho*, 1933, p. 202. — J. PRADO, *Praelectiones Biblicae, Vetus Testamentum*, 1940, p. 53.

(4) C. VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.* 1913, p. 115-116.

(5) A. BEA, *De Pentateucho*, 1933, p. 202.

*
* * *

Videamus ergo breviter horum argumentorum valorem; dicimus «breviter», quia supra quaedam contra has rationes iam adnotavimus.

1. *Argumenta ex auctoritate.*

a. *Traditio SS. Patrum*: W. GOOSSENS rite animadvertit quod «apud plures theologos relatum assertum nullo, vel vix ullo Patrum testimonio fuleitur; assertum videtur simpliciter ex alio opere exscriptum. Apud alios auctores citantur quidem textus Patrum bene multi et antiqui. Verum illos attente perscrutanti mox patet plures ex illis non esse ad rem, seu immerito adduci ad probandam interpretationem mariologicam *Gen.* 3, 15, apud Patres » (1). SS. Patres sane docent semen mulieris esse Christum, filium Mariae; sed Christus, secundum suam naturam humanam est etiam semen Evae, ad posteritatem Evae pertinens; cum igitur Christus est tam semen Evae quam semen Mariae, quaeritur de quanam ex his duabus mulieribus, *in littera Geneseos* 3, 15, secundum SS. Patrum doctrinam agatur. SS. Patres, respondit L. DREWNIAK, duobus tantum exceptis, quando *Genesis* 3, 15 interpretantur, de inimicitia inter Mariam et serpentem non loquuntur, sed tantum de inimicitia inter Evam (eiusque posteritatem) et serpentem (2); quae conclusio L. DREWNIAK usque nunc nondum falsa probata est. Unde quando quaestio circa interpretationem litteralem *Geneseos* 3, 15 versatur, SS. Patres mulierem de Eva et non de B. Maria explicant. Unde certo dici nequit quod SS. Patres «disertis verbis» docent Mariam in Protoevangelio secundum sensum litteralem ab auctore sacro fuisse praenuntiatam; e contra SS. Patrum interpretatio huic secundae interpretationi non multo favere videtur.

b. Quoad Encyclicam «*Ineffabilis Deus*», iterum petimus utrum, iuxta declarationem Summi Pontificis, SS. Patres docuerint Mariam in sensu literaliter fuisse designatam et simul cum Eva? Contra hanc assertionem stat semper illud factum quod illi SS. Patres qui litteram *Geneseos* 3, 15 exponunt de inimicitiis inter diabolum et Evam et non de inimicitiis inter diabolum et Mariam loquuntur. Sensus igitur a Summo Pontifice intentus e contextu in quo declaratio occurrit illustrandus est. Cfr. infra.

(1) W. GOOSSENS, *De cooperatione immediata matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, 1939, p. 95.

(2) L. DREWNIAK, *Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15*, in *der Väterzeit*, 1934, p. 82.

2. *Argumenta e critica interna.*

Ad argumentum primum: Omnino verum est quod nomen mulieris in *Gen.* 3, 15 non indicatur, neque in toto contextu *Genescos* 3, 1-19. Declaratio illa prorsus superflua fuisset, nam totus contextus abundo indicare videtur mulierem *Genescos* 3, 15 non esse ignotam, sed mulierem circa quam tota narratio a cap. 3, 1-13 et a cap. 3, 16-19 versatur, scilicet mulierem quae fuit tentata, seducta ac punita, uxorem Adae, quam Adam finaliter Evam nominat 3, 20. Deinde in *Gen.* 3, 15 nihil inveniri potest quod Evae congruere nequit aut quo Eva excluderetur et Maria introduceretur. Contextus ergo petit ut « mulier » secundum sensum litteralem de Eva explicetur; utrum praeter Evam de alia muliere, de Maria, secundum sensum litteralem, adhuc agatur, contextu probari nequit.

Ad argumentum secundum: Nemo negat vaticinii verba ad « semen mulieris » se referentia, in Christo et quidem in Christo solo plene et perfecte impleta fuisse. Notetur vero oportet quod in nostro vaticinio explicite tantum docetur quod semen mulieris collective sumptum victoriam in diabolum referre debet; quod vero semen seu posteritas mulieris hanc victoriam per Christum habebit, hoc e prophetiis subsequentibus tantum patet; unde considerato toto vaticiniorum complexu, asserere possumus quod ea quae de semine mulieris praenuntiata fuerunt, in Christo solo implenda erant et de facto impleta sunt. Si vero ea, quae de muliere in *Gen.* 3, 15 praenuntiata sunt, in Maria sola impleta fuissent, tunc concludere deberemus prophetam directe Mariam in sensu litterali intendisse. Nunc vero ea quae in *Gen.* 3, 15 de muliere praenuntiata sunt, mulieri contextus, Evae, congruunt. Unde secundum sensum litteralem primo de Eva sunt explicanda. Ex hoc vero quod praenuntiata plenius in Maria quam in Eva impleta sunt, non sequitur prophetam potius Mariam quam Evam in sensu litterali intendisse. Etenim 1) fieri etiam potuit quod Spiritus Sanctus mulierem contextus, Evam, uti typum B. Mariae Virginis consideraverit, uti typum propheticum. Porro in typo prophético antitypus praecipue et immediate a Deo significatur, ita ut prophetiae obiectum principale a Spiritu Sancto et propheta intentum non sit typus, Eva, sed antitypus, Maria (1). 2) Fieri etiam potuit quod Spiritus Sanctus nullatenus Mariam intenderit, neque in sensu litterali, neque in sensu typico, nam quod Spiritus Sanctus, praeter mulierem contextus in qua omnia praedicta

(1) X. LE BACHELET, *Immaculée Conception*, DTC. t. VII, P. 1, c. 852. — J. BOVER, *Universalis B. V. Mediatio*, « Gregor. » 5, 1924, 571.

rite perficiuntur, aliam mulierem, mulieri contextus multo superiorem, secundum sensum litteralem intenderit, mulierem in qua praenuntiata plenius implentur quam in muliere contextus, hoc est probandum, et argumentis allatis probatum mihi non apparet.

Unde, salvo meliori iudicio, opinamur mulierem contextus *Geneseos* 3, 1-24 et etiam mulierem *Geneseos* 3, 15, secundum sensum litteralem, esse Evam et Evam tantum.

TERTIA INTERPRETATIO: Mulier *Geneseos* 3, 15 est Eva in sensu stricte litterali; Maria in sensu typico.

Haec interpretatio duas partes importat: 1. mulier *Geneseos* 3, 15 in sensu litterali est Eva; 2. in sensu typico est Maria.

1. *In sensu litterali mulier Geneseos 3, 15 est Eva* (1). Ad hanc partem probandam, argumenta supra exposita breviter reassumenda sunt: a. Mulier *Geneseos* 3, 15 est mulier totius contextus; mulier contextus est Eva: Eva tentatur, Eva seducitur, Eva iudicatur, Eva punitur, *Gen.* 3, 1. 2. 4. 6. 12. 13. 16. 20. 22; ergo etiam mulier *Geneseos* c. 3, 15 est Eva. b. In *Genesi* 3, 15, nihil habetur quod Evae secundum sensum litteralem convenire non potest. c. S. Scriptura nullibi interpretationem proponit e qua deduci potest mulierem *Geneseos* 3, 15, in sensu litterali esse Mariam et non Evam. d. SS. Patrum traditio denique neque stabilis, neque unanimis esse videtur, et magis Evae quam Mariae favet. Unde textus solus cum suo contextu manet et uterque ad Evam inclinatur.

2. *In sensu typico mulier Geneseos 3, 15 est Maria*. Sensus typicus est sensus supernaturalis a Deo intentus et qui nonnisi revelatione divina cognoscitur. Revelatio vero divina, sive in S. Scriptura, sive in Traditione includitur et Ecclesiae Magisterio nobis manifestatur. Tres isti fontes ergo, S. Scriptura, Traditio et Ecclesiae Magisterium nunc sunt considerandi, in ipsis forsitan elementa invenientur vi quorum ad sensum typicum concludi poterit.

(1) L. REINKE, *Beiträge zur Erklärung des A. T.* 2, 1863, 272. — J. CORLUI, *Spicil. Dogm. Bibl.* 1, 1884, 347-372. — C. MEIGNAN, *De l'Eden à Moïse*, 1895, p. 165. — M. J. LAGRANGE, *Innocence et Péché*, *RB.* 6, 1897, 354. — J. CRELIER, *La Genèse*, 1899, p. 54-56. — F. HUMME-LAUER, *In Genesis*, 1908, p. 161. — W. ENGELKEMPER, *Das Protoevangelium*, *BZ.* 8, 1910, 351-371. — E. MANGENOT, *La Genèse*, *DTC.* 6, 1913, 1212. — W. SCHMIDT, *La révélation primitive*, trad. A. Lemonnier, 1914, p. 56-61. — L. LELOIR, *La médiation mariale dans la Théologie contemporaine*, 1933, p. 24. — C. FRIETHOFF, *Maria onze Middelaars naast Jezus onzen Middelaar*, 1934, p. 24. — G. C. REPETTI, *La tipologia mariana nel Protevangelo (Gen. 3, 15) fondamento della dottrina dell'Immacolata*, *DTP.* 40, 1937, 287-297.

a. *S. Scriptura*. Nullum argumentum e *S. Scriptura* adducitur ex quo constet sensum typicum sub sensu litterali latere. Parallelismus enim *Geneseos* 3, 15 et *Isaiae* 7, 14 ostendit tantum in utroque loco de muliere bene determinata agi; apud *Isaiam* 7, 14 de virgine praeclarissima quae est Maria; in *Genesi* 3, 15 de Eva, muliere totius contextus. *Apocalypsis* 12, 4. 13 allusionem tantum ad *Genesim* 3, 15 habet, et in v. 17 determinat mulierem huius loci *Apocalypseos* esse personificationem Ecclesiae.

b. *Traditio*. 1) Quando SS. Patres interpretationem litteralem *Geneseos* 3, 15 exponunt, de inimicitiiis inter Mariam et serpentem tacent et de inimicitiiis inter Evam (eiusque posteritatem) et serpentem tantum loquuntur.

2) Exegesis quae contendit Mariam esse mulierem quae caput serpentis conterere debet fundamentum explicitum in traditione non habet. « Tout ceci est fermement établi et mérite considération », inquit H. D. SIMONIN (1).

3) Evam esse typum B. Mariae Virginis communiter apud SS. Patres animadvertitur, et quidem sub duplici respectu: a) *per modum similitudinis*: Maria est secunda Eva, sicut Christus est secundus Adam; et praecipue b) *per modum oppositionis*: imprudentia, inobedientia, incredulitas Evae reparantur prudentia, oboedientia, fide Mariae (2). Ex alia parte vero videtur SS. Patres hunc v. 15 aliquo sensu de B. Maria intellexisse et consequenter credidisse Mariam in nostro vaticinio aliquo modo fuisse designatam, non in sensu litterali, uti supra probavimus, ergo in sensu typico.

c. *Ecclesiae Magisterium*. Nullum documentum ex Cathedra quoad *Geneseos* 3, 15 interpretationem datur. In Encyclica « *Ineffabilis Deus* », Summus Pontifex PIUS IX scribit: « Patres Ecclesiaeque scriptores... enarrantes verba « Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius », docuere hoc oraculo clare aperteque demonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Iesum, ac designatam Beatissimam eius Matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas ».

Tria ergo asseruntur: a) Christum clare aperteque esse praemonstratum; b) Mariam esse designatam; c) utriusque inimicitias contra diabolum insigniter esse expressas.

Quaedam heic notatu digna sunt, inquit auctores huius interpretationis: a) SS. Patres qui prophetias messianicas subsequentes

(1) H. D. SIMONIN, *Le Protévangile dans la tradition patristique*, RSP.T. 24, 1935, 334.

(2) J. BITTREMIEUX, *De mediatione universali B. Mariae Virginis quoad gratias*, 1920, p. 184 seq.

cognoverunt ac sub luce revelationis neotestamentariae vixerunt, rite in hac *Geneseos* prophetia Christum viderunt ac docere potuerunt Christum heic «clare aperteque» fuisse praemonstratum. At si *Geneseos* vaticinium in se consideretur, abstractione facta a vaticiniis subsequentibus, tunc dicendum nobis videtur quod «clare aperteque» ipsa generis humani liberatio est praemonstrata et modo obscuro ipse liberator (1).

β) Summus Pontifex dicere videtur quod SS. Patres distinctionem posuerunt inter modum quo Christus est praemonstratus et modum quo Maria est praenuntiata: Christus «clare aperteque» est praemonstratus, Maria autem «designata». Si Maria enim esset praenuntiata eodem modo ac Christus, in sensu ergo litterali, nihil prodesset hanc distinctionem ponere; illaque distinctio revera ponitur, etenim Summi Pontificis assertio tribus membris constituitur: a) Christus clare aperteque est praemonstratus; b) Maria est designata; c) utriusque inimicitiae contra diabolum sunt insigniter expressae. Expressio adverbialis «clare aperteque» referenda est sive ad tria membra propositionis, sive ad primum tantum, scilicet ad Christum; porro non ad tria membra quia tunc superfluum fuisset addere «insigniter» in tertio membro; unde expressio «clare aperteque» ad solum Christum se refert; nulla lex hermeneutica invocari potest ad probandum adverbia «clare aperteque» etiam «Mariam designatam» determinare. Quae distinctio, aiunt huius interpretationis propugnatores, optime intellegitur si, secundum SS. Patrum doctrinam, Christus est praenuntiatus in sensu litterali, Maria vero in sensu typico.

Conclusio horum auctorum est: Si textus *Geneseos* 3, 15 in se et cum suo contextu consideretur, nullum argumentum cogens apparet ad dicendum Mariam in sensu litterali esse praenuntiatam. Si Maria secundum SS. Patrum doctrinam in vaticinio sit designata, et cum praeter sensum litteralem non adsit nisi typicus, iudicant isti auctores uti sententiam magis probabilem, Mariam in sensu typico esse praedictam; Eva esset typus Mariae, in hoc sensu quod a momento quo Deus sententiam contra serpentem protulit, Eva, vi voluntatis divinae, facta est diabolo inimica; sollicitationes diaboli continuo reiciet eiusque aggressiones constanter impugnavit, et sub hoc aspectu, Eva revera typus dici potest alienius mulieris fortioris ac praeclavioris, typus B. Virginis, Matris Redemptoris, quae etiam acriter et sine ulla mora diabolum impugnavit, consilia eius turpissima detegit et per Filium suum caput serpentis conteret (2).

(1) F. CEUPPENS, *La Genèse*, I-III, 1945, p. 160-162.

(2) J. CORLUI, *Spicil. Dogm. Bibl.* 1, 1884, 371. — W. ENGELKEMPER, *Das Protoevange-*

NOTA: Tres illae priores interpretationes admittant quod B. Maria in hoc vaticinio est praenuntiata, sive secundum sensum litteralem, sive secundum sensum typicum. Spiritus Sanctus inimicitiam speculatissimam ac perdurantem inter Mariam et serpentem diabolicum praenuntiavit. Si nunc ratione cuiuscumque peccati, Maria, etiam unleo tantum momento, sollicitationibus ac conatibus diaboli succumbere debuisset, de inimicitiis extraordinariis et perdurantibus Spiritus Sanctus loqui non potuisset; unde ex facto quod inimicitiae extraordinariae ac perdurantes habebuntur, rite deduci potest Spiritum Sanctum nos docere intendisse, Mariam ab omni labe peccati, etiam originalis, exemptam ac praeservatam fuisse; quapropter dogma catholicum de Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis, in textu *Geneseos* 3, 15, fundamentum revera habere, ibique implicite saltem esse praenuntiatum.

QUARTA INTERPRETATIO: Mulier *Geneseos* 3, 15 est Eva et Eva tantum in sensu litterali; utrum Maria, saltem in sensu typico, sit designata, non probatur.

Conclusionibus L. DREWNIK allectus et forsitan etiam sub influxu P. HEINISCH qui in suo Commentario super *Genesim* 3, 15 nullum verbum de Maria habet et omnia de Eva et de sola Eva interpretatur (1), W. GOOSSENS hanc interpretationem uti probabiliorē proposuit (2).

1. *Mulier Geneseos* 3, 15 secundum sensum litteralem est Eva et Eva tantum; quod contextu et traditione probatur.

a. *Contextu probatur*: Argumenta supra abunde iam exposita fuerunt: 1) Mulier *Geneseos* 3, 15 est mulier contextus *Geneseos* 3, 1-24; mulier illa est Eva et Eva tantum.

2) In *Genesi* 3, 15 nihil asseritur quod secundum sensum litteralem Evae convenire nequit; nullaque ratio adest aliam mulierem in contextum introducendi.

b. *Traditione probatur*: Iterum atque iterum notare debemus: 1) quod SS. Patres qui *Genesim* 3, 15 interpretantur de Maria tacent, et de solis inimicitiis inter Evam (eiusque posteritatem) et serpentem loquuntur; 2) quod exegesis quae contendit Mariam esse mulierem

ium, 8, 1910, 369. — Sententia ista a peritissimis exegetis hodiernis defenditur, et propter hanc rationem non esset vocanda « figmentum imaginationis », cfr. I. B. CAROL, O. F. M., *Utrum B. Virginis Co-Redemptio* etc., 1939, p. 32.

(1) P. HEINISCH, *Das Buch Genesis*, 1930, p. 125; etiam postea in « *Theologie des Alten Testaments* » eandem interpretationem super *Genesim* 3, 15 tradit.

(2) W. GOOSSENS, *De cooperatione immediata matris Redemptoris ad redemptionem oblectivam*, 1939, p. 97.

quae caput serpentis conterere debet fundamentum explicitum in Traditione non habet. Inter illos Patres qui interpretationem mariologicam non cognoscunt, vel saltem practice non usurpant, computandi sunt tres magni Doctores oecumenici Ecclesiae Orientalis, nempe Basilius, Gregorius Nazianzenus ac Ioannes Chrysostomus, necnon quattuor magni Patres Occidentis, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius (1).

2. *Mulierem Geneseos 3, 15 esse Mariam, secundum sensum typicum, non probatur.* Cum sensus typicus sit supernaturalis, triplex fons est consulendus: S. Scriptura, Traditio et Magisterium Ecclesiae.

a. *S. Scriptura:* Occasione tertiae interpretationis adnotavimus iam nullum argumentum e S. Scriptura adduci posse, ex quo constet sensum typicum sub sensu litterali latere; neque e parallelismo inter *Genesim* 3, 15 et *Isaiam* 7, 14, neque ex *Apocalypsi* 12, 4. 13.

b. *Traditio:* 1) SS. Patres pluries sane parallelismum antitheticum inter Evam et Mariam exponunt; quaestio vero est utrum haec antithesis originem ex interpretatione mariologica *Gen.* 3, 15 ducat aliunde. Rite enim explicari potest et explicatur ex comparatione inter narrationem *Geneseos* (c. 3) de lapsu protoparentum et doctrinam Novi Testamenti de Maria Matre Redemptoris apud *Lucam* 1, 26 seq. expositam. Caeterum SS. Patres in hac antithesi potius eximiam puritatem, sanctitatem, maternitatem B. Virginis quam eius impugnationem contra diaboli sollicitationes intenderunt.

2) Quidam SS. Patres nexum inter semen mulieris et Mariam admittunt: semen mulieris est Christus; ergo mulier est Maria. Conclusio vero ista non sequitur, nam semen mulieris, secundum ipsum vaticinium, non est solus Christus sed tota Evae posteritas, Christo incluso, qui ratione suae naturae humanae ad posteritatem Evae pertinet. Sub hoc aspectu semen mulieris in vaticinio *Geneseos* 3, 15 consideratur; ergo mulier non est Maria sed Eva. Nexus ergo a quibusdam SS. Patribus admissus fundamentum suum in nostro vaticinio non habet, sed a SS. Patribus in doctrinam mariologicam, vaticinio impleto, illatus fuit.

3) L. DREWNIK, inquisitione accurate absoluta, concludit quod quidam SS. Patres de *Genesi* 3, 15 agentes, praeter assimilationem inter « mulierem » et Mariam nihil affirmarunt. Conclusiones aliorum Patrum ad tria capita reduci possunt: a) nonnulli locutionem « semen mulieris »

(1) L. DREWNIK, *Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Väterzeit*, 1934, p. 85.
— W. GOOSEMANS, *De cooperatione immediata matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, 1939, p. 97.

non solum de Christo et de eius Matre, sed etiam de miraculosa eius matris virginitate audiunt; b) alii verba «inimicitias ponam inter te et mulierem», quae a theologis hodiernis tanti momenti ac tam comprehensiva pro Mariologia reputantur, fere nunquam a Patribus usurpantur, et solummodo Mariae sanctitatem personalem spectare consentur; c) tertio, ante saeculum VII^{um} solus Prudentius verba *Gen. 3, 15^b*: «ipsa conteret caput tuum...», applicat Mariae, sed tantum ratione maternitatis eius erga Redemptorem, immo ne exclusive quidem Mariae applicat. Nonnisi post sex saecula, saeculo scilicet XI^o et XII^o, interpretatio *Gen. 3, 15^b*, de Maria conterente caput serpentis denuo occurrit, et victoria Virginis explicatur solum per eius sanctitatem personalem ac per eius maternitatem. Demum in fine sui operis raptim ostendit L. DREWNIK etiam medio aevo interpretationem mariologicam *Gen. c. 3, 15*, nullatenus universaliter ac inconcusse esse acceptam. Quibus positis, quaerit W. GOOSSENS, num SS. Patres dici possint unanimiter docuisse «mulierem» in *Gen. 3, 15*, sensu saltem typico, designare Mariam (1).

c. *Magisterium Ecclesiae*: Conclusiones L. DREWNIK et W. GOOSSENS declarationi Summi Pontificis oppositae videntur: «Patres Ecclesiaeque scriptores... enarrantes verba: «inimicitias ponam inter te et mulierem» docuere hoc oraculo... designatam fuisse... Mariam ac simul ipsissimas ... contra diabolum inimicitias insigniter expressas». Verus sensus huius declarationis e textu et contextu est determinandus.

1) *In textu* huius declarationis tres expressiones sunt notandae: a) «*Patres enarrantes verba Gen. 3, 15*», ergo ad ipsum vaticinium Geneseos, ad verba prophetica se referunt SS. Patres; b) *docuere hoc oraculo*, intentio eorum videtur esse doctrinam oraculo expressam proponere; c) Mariam fuisse designatam et suas inimicitias contra diabolum *insigniter expressas* in ipso nempe oraculo.

Primo aspectu igitur, hac declaratione PIUS IX videtur determinare voluisse quod iuxta SS. Patrum doctrinam B. Virgo certo aliquo in sensu, sive litterali, sive typico, in oraculo *Geneseos 3, 15* designata fuit, atque inimicitiae eius contra diabolum insigniter expressae.

2) *Contextus*: Declaratione hac absoluta, Summus Pontifex mox his verbis persequitur: «Hunc eximium singularemque Virginis triumphum excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem eiusque ab omni peccati labe integritatem atque ineffabilem coelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem

(1) L. DREWNIK, *Die mariologische Deutung von Gen. 3, 15 in der Väterzeit*, 1934, p. 87-95. — W. GOOSSENS, *De cooperatione immediata matris Redemptoris ad redemptionem obiectivam*, 1939, p. 97-99.

iidem Patres viderunt tum in arca illa Noë..., tum in scala illa quam ...vidit Iacob; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusea illa Dei civitate, cuius fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis eiusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem eiusque illibatam innocentiam et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter prae-nuntiatae fuisse Patres tradiderunt. Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam originaleque Virginis, de qua natus est Iesus, integritatem describendam, iidem prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam et sanctam Ierusalem et excelsum Dei thronum et arcam sanctificationis et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia et reginam illam, quae deliciis affluens et innixa super dilectum suum ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo et nullo unquam labis naevo maculata » (1).

Expressiones utriusque declarationis consonare statim apparet:

1) SS. Patres *docuere* hoc in oraculo (*Gen. 3, 15*) Mariam fuisse designatam, utriusque inimicitias *insigniter expressas*.

SS. Patres *tradiderunt*, tum in arca Noë, tum in scala quam vidit Iacob, tum in plurimis aliis excelsam Deiparae dignitatem *insigniter prae-nuntiatae fuisse*.

2) *Enarrantes verba*: « Inimicitias ponam inter te et mulierem » SS. Patres docuere Mariam fuisse designatam.

Ad eandem Virginis integritatem describendam iidem (SS. Patres) *prophetarum adhibentes eloquia*, non aliter illam augustam Virginem concelebrarunt.

Animadvertimus ergo 1) *expressiones aequales*: a) docuere-tradiderunt; b) hoc oraculo insigniter expressas-insigniter prae-nuntiatae fuisse; c) enarrantes verba prophetae (*Gen. 3, 15*) - prophetarum adhibentes eloquia.

2) *Expressiones ad eundem contextum pertinentes*, quae verisimiliter eodem in sensu sunt explicandae.

Porro quando de arca Noë, de scala Iacob, de plurimis aliis agitur, Summus Pontifex certo non intendit dicere quod SS. Patres in his rebus Mariam ipsam, aut typum Mariae viderunt, aut docere voluerunt Deiparae dignitatem his in rebus insigniter fuisse prae-nuntiatae, sed

(1) *Acta et decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum. Collectio Lacensis*, t. VI, col. 839, d et 840, a.

comparationem inter has res et Mariae dignitatem instituere voluerunt, aliis verbis, in sensu accommodatio locuti sunt.

Ratione igitur expressionum aequalium in eodem contextu se habentium, W. GOOSSENS opinatur declarationem Pii IX: «SS. Patres Ecclesiaeque scriptores... enarrantes verba: «inimicitias ponam inter te et mulierem» docuere Mariam fuisse designatam» eodem in sensu esse intellegendam, nempe: SS. Patres prophetiam *Geneseos* 3, 15 de Eva interpretati sunt, sed quia verba prophetiae perfecto modo Mariae conveniunt, illa Mariae in sensu accommodatio applicaverunt. Summus Pontifex postquam declaravit quod SS. Patres docuerunt oraculo *Geneseos* 3, 15 Redemptorem clare aperteque fuisse praemonstratum, ad hanc declarationem non amplius revertitur; assertio ista certa est, prout constat e scriptis SS. Patrum (in sensu supra exposito). At quando de Maria agitur quae insigniter est designata, Summus Pontifex, in contextu qui immediate sequitur, videtur magis determinare quoniam in sensu ista designatio sit intellegenda, nempe sicut insigniter fuit praenuntiata in arca Noe, in scala Iacob et in pluribus aliis, quae designatio non est secundum sensum litteralem, neque typicum, sed accommodatitium tantum.

H. LENNERZ verum sensum Bullae Pii IX inquirens, concludit: «quomodo ergo verba Bullae intellegi possunt? Attendendum est, verbis Bullae omnino non affirmari consensum Patrum et Scriptorum Ecclesiasticorum in interpretatione mariologica *Gen.* 3, 15; immo ne hoc quidem dicitur, maiorem eorum partem dare hanc interpretationem. Verba probabiliter ita videntur intellegi posse, ut significant, inter Patres et Ecclesiae Scriptores inveniri, qui textum sic exposuerint, id quod omnino verum est. Similiter, ubi de typis dicitur «iisdem Patres» sensus non est omnes Patres in arca Noë, in scala Iacob, in rubo, etc. vidisse typos B. Virginis; sed inveniri Patres et Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc affirmaverint.

«Ex iis quae exposita sunt, hoc sequi videtur, ut non debeant invocari haec verba Bullae, vel auctoritas Summi Pontificis ad asserendum consensum Patrum in interpretatione mariologica verborum *Gen.* c. 3, 15» (1).

Unde credimus nullum argumentum peremptorium adesse quod probet prophetiam *Gen.* 3, 15 intendisse B. Mariam, sive in sensu stricte litterali, sive in sensu typico. Agitur de semine Evae quod serpentem diabolicum impugnet et quod finaliter victoriam perfectam ac definitivam in hunc inimicum capitalem habeat.

(1) H. LENNERZ, *Duae quaestiones de Bulla «Ineffabilis Deus»*. Prima quaestio: Num in Bulla doceatur consensus Patrum in explicandis verbis *Gen.* 3, 15 de B. Virgine «*Gregor.*» 24, 1943, 356.

II. PROPHETIA DE VIRGINE CONCIPIENTE ET PARIENTE (Is. 7, 14).

Prophetia de Virgine concipiente ac pariente omni tempore inter principaliora Isaiae vaticinia numerata fuit, ratione nempe v. 14 ubi legitur: «*Ecce Virgo concipiet et pariet filium et vocabitur nomen eius Emmanuel*». Quae praedictio, uti *Matthaeus* 1, 22, disertis verbis docet, in conceptione et in partu virginali B. Mariae plenam suam adimplerionem invenit. Quattuor in hoc mirabili vaticinio investigare et considerare intendimus: 1. Circumstantias historicas. 2. Textus interpretationem. 3. Quaenam sit illa virgo mirabilis. 4. Vaticinium et contextum historicum.

1. *Circumstantiae historicae.*

Circumstantiae historicae 1) ex libro *Isaiae* 7, 1-25, et 2) e *II Reg.* c. 16, 5-9, nobis notae sunt.

Reges Syriae et Samariae, Rezon et Pekah, magnum tributum Assyriis solvere debuerunt et non potuerunt; voluerunt ergo simul cum Achaz, rege Iudae, coalitionem contra Assyriam struere, circa 734-732 ante Christum. Achaz huiusmodi propositum nimis periculosum iudicans, illud reiecit, quapropter reges Syriae et Samariae bellum contra Achaz inierunt. Iam a principio hostiliorum, Achaz bis cladem accepit, *II Par.* 28, 5-15, et quia caput inclinare noluit, duo reges statuerunt terram Iudae invadere ac devastare, Ierusalem obsidere, templum diripere, praedas magnas ex hostibus facere et demum Achaz e throno expellere et filium Tabeel, a stirpe davidica et forsitan etiam a populo israelitico alienum, uti regem legitimum regni Iudae proclamare, v. 6 (1).

Achaz auxilium Tiglathpileser, regis Assyriorum, clam invocavit, *II Reg.* 16, 7. 8. Jahweh, cordium ac rerum scrutator, hoc consilium cognovit et mandavit Isaiam ad Achaz ad dicendum quod nihil timendum erat, propositum regum «*non stabit, non erit istud*» v. 7. Achaz fiduciam plenam in Jahweh, qui solus est salvator populi sui, habere debet, alioquin punietur: «*si non credideritis, non permanebitis*». v. 9. Isaias videns tergiversationem Achaz, illum hor-

(1) *Tabeel* = bonus Deus. Quaenam sit illa persona ignoratur: certe inimicus Assyriae, forsitan unus e principibus coniuratis; nomen videtur aramaicum. Akkadice etiam Tâb-ilu habetur. H. WINCKLER, *Keilinschr. Textbibl. zum A. T.* p. 135.

tatur ut signum extraordinarium, miraculosum quodcumque petat « sive in profundum inferni, sive in excelsum supra », quo Deus voluntatem suam Achaz ac populum salvandi aperte manifestaret, v. 11. Achaz recusavit: « non tentabo Dominum »; fiduciam plenam in Tiglathpileser habuit, illamque Jahweh recusavit. Isaias hac recusatione offensus, regi communicat quod Jahweh, non obstante sua recusatione, ipsi signum dabit: v. 13. « Audite ergo domus David: numquid parum vobis est molestos esse hominibus, qui molesti estis et Deo meo? v. 14. Propter quod hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel. v. 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum, v. 16. quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum suorum regum ». Ratione suae erga Deum diffidentiae, Achaz punietur, terra sua ab ipsis Assyriis devastabitur, vv. 17-25 (1).

2. Textus interpretatio.

v. 13. *Audite ergo domus David...* Propheta non amplius solum Achaz, verum etiam totam domum David alloquitur quae in eadem infidelitate versari videtur; homines defatigat et praesertim Deum defatigat, quia fidem in divinis promissis recusavit et semper recusat; Deus enim dynastiam davidicam servare et populum suum salvare promisit, quare nunc ad extraneos recurrere et talem diffidentiam erga Deum monstrare?

v. 14. *Propter hoc*, quia Achaz signum a propheta propositum denegavit, *dabit Dominus ipse vobis signum*, Dominus ipse signum suae voluntatis perspicuum dabit. *Signum* in S. Scriptura potest quid prodigiosum, miraculosum designare, *Exod.* 7, 8; *Iud.* 6, 17. 38; *Is.* 38, 7; potest etiam factum naturale indicare quod fit signum quia praedictum, *Gen.* 24, 13; *Exod.* 3, 12; *I Sam.* 10, 2, etc. Achaz signum a propheta in v. 11 propositum repudiavit; culpa eius fuit quod ad regnum et populum suum salvandum, extraneorum, Assyriorum auxilium invocaverat et ideo fiduciam a Deo abrogaverat, qui populum suum per semetipsum salvare promiserat. Isaias, impietate Achaz commotus et offensus, statim addit Deum ei signum quoddam ('ôt, absque articulo) daturum esse, quo suam voluntatem populum per semetipsum salvandi manifestare intendit; illudque signum esse videtur: « *Ecce virgo concipiet...* » vv. 14-16. Quenam sit horum verborum significatio?

1. *Ecce hebraice hinnēh*, quandoque ad propositionem hypo-

(1) F. CEUPPENS, *De Prophetiis messianicis in A. T.* 1935, p. 188-225.

theticam introducendam adhibetur, cum sensu «*supposito quod*», *Lev.* 13, 8; *Deut.* 13, 15; et sensus tunc est: «supposito quod virgo nunc conciperet et pareret filium suum Emmanuel, nondum discretionis annos attigisset et terra Iudae iam esset desolata». Ita A. B. DAVIDSON, C. HUYGHE, A. DURAND, A. CONDAMIN (1). Quae significatio apud Prophetas communis non est, apud illos forsan semel tantum ille sensus adest, scilicet apud *Osee* 9, 6; dum e contra apud *Isaiam* particula *hinnēh* in 24 locis occurrit et nunquam cum sensu hypothetico, sed cum sensu communi «ecce»; hac particula propheta mentem lectoris ad rem peculiaris momenti attrahere intendit, immo ad rem futuram, quae simul gravis est, praemonstrandam.

2. *Virgo* hebraice *hā'almāh*. Uti in Protoevangelio iam adnotavimus, 'almāh cum articulo non necessario virginem a lectoribus iam notam designat, potest etiam virginem bene determinatam, ab auctore notam, a contextu vero et lectoribus ignotam significare, virginem scilicet quam propheta in sua visione bene perspicit.

Quid significat hā'almāh? Ad virginem designandam tria nomina in S. Scriptura adhibentur:

a) *b'tūlāh*, *Gen.* 24, 16, mulierem cuiuscumque aetatis significat quae virginitatem suam physicam intactam servavit; statum igitur designare videtur.

b) *na'ārāh*. *Num.* 30, 4, 17, mulierem adolescentem indicat, potius aetatem quam statum significat et indifferenter de nuptis et innuptis praedicatur.

c) *'almāh*, quod in nostro vaticinio legitur; unde summi est momenti, et, ne temeritate damnemur, sensum eius etymologicum, sensum scripturisticum, et sensum quem in antiquis versionibus habet, inquiremus.

a. *Sensus etymologicus*: Etymologice 'almāh a radice 'ālam = esse fortem, esse virilem, esse nubilem provenit; unde 'almāh etymologice puellam adolescentem, nubilem, designat (2); at in verborum sensus determinatione, peculiariter ad usum loquendi est attendendum, sicut v. g. germanice «Jungfrau» etymologice «mulierem adolescentem» significat; secundum usum vero communem «mulierem innuptam». Sensus ergo 'almāh in usu loquendi S. Scripturae est considerandus.

b. *Sensus scripturisticus*. Praeter *Isaiam* 7, 14, 'almāh in sex aliis S. Scripturae locis refertur:

1) In *Genesi* 24, 43: Rebecca ante suum matrimonium cum

(1) C. HUYGHE, *La Vierge Mère, La Science Catholique*, 15 février, 1895. — A. B. DAVIDSON, *Immanuel, Dict. Bibl. Hastings*, 2, 1899, 454. — A. DURAND, *La Vierge et l'Emmanuel, l'Université Catholique*, Juin 1899. — A. CONDAMIN, *Le Livre d'Isaïe*, 1905, p. 71-72.

(2) W. GESSENIUS-BUHL, *Arum. Hebr. Wörterbuch*, p. 588.

Isaac 'almāh nuncupatur; immo in v. 16 eadem Rebecca b'tōlāh vocatur, e quo constare videtur vocem 'almāh heic in sensu stricto de innupta, quae de facto virginitatem retinuit, esse intelligendam.

2) In *Exodo* 2, 8: Maria, soror Moysis, 'almāh dicitur; contextus ostendit hanc puellam, ratione tenerae suae aetatis, nubendi capacem nondum haberi; insuper in S. Scriptura nullum vestigium de suo matrimonio datur et secundum traditionem Maria semper innupta mansit.

3) In *Cantico Canticorum* 1, 2 et 6, 7: Reginis et regis concubinis opponuntur 'ālāmōt; reginae et regis concubinae sunt regis uxores sive primi sive secundi ordinis; 'ālāmōt vero sunt adolescentulae, sive reginis inservientes, sive a rege postea in uxores ducendae; adolescentulae ergo innuptae.

4) In *Psalmo* 68, 26: De comitatu quodam quaestio habetur: cantores praecedunt, psallentes sequuntur, in medio autem sunt 'ālāmōt, adolescentulae tympanis concrepantes. Officium illud a virginibus communiter assumptum fuit; unde valde probabiliter adolescentulae illae fuerunt mulieres innuptae.

5) In *Proverbiis* 30, 18. 19: Hebraice legitur: « ignoro viam viri in adolescentulam » ('almāh). Quo in casu 'almāh non meretricem significat, uti A. LOISY false contendit (1), sed puellam innuptam. Hagiographus enim de illa adolescentula, quam 'almāh vocat, disserens, quid mysteriosi perspicit in illo impulsu naturali quo vir ad adolescentulam fertur in ordine ad matrimonium et ad copulam carnalem; hanc puellam ergo considerat ante matrimonium et ante quodcumque commercium carnale; factum vitae quotidianae consignare videtur auctor sacer. Ergo etiam in *Proverbiis* 'almāh non meretricem sed puellam innuptam significat (2).

Unde 'almāh in S. Scriptura nunquam de adolescentula nupta, sed semper de innupta praedicatur; virginitas formaliter et expresse voce 'almāh non intenditur, sed potius voce b'tōlāh; adolescentula innupta tamen de iure « virgo » est supponenda. In S. Scriptura ergo voce 'almāh primario adolescentia mulieris innuptae praedicatur, qua communiter virginitas connotatur (3).

(1) A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, I, 1907, 337, nota.

(2) A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El*, RB. 13, 1904, 221. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 57. — *Les cinq livres de Salomon*, 1923, p. 23. — F. FELDLMANN, *Das Buch Isaias*, 1923, p. 87. — A. VACCARI, *I Libri poetici*, 1925, p. 265. — D. BUZY, *Les machals numériques de la sangsue et de l'Almāh*, Prov. 30, 15. 16; 18-20, RB. 42, 1933, 10-11.

(3) J. CALÈS, *Le sens du mot 'almāh en hébreu*, Rech. Sc. Rel. 1, 1910, 161. — L. DENNEFELD, *Messianisme*, DTC. t. 10, P. II, 1929, p. 1435.

c. *Sensus in versionibus.* Versio graeca LXX vertit ἡ παρθένος, quo semper in hac versione «virgo» in sensu stricto exhibetur; item versio syriaca-Peshitta «bethulta», i. e. virginem in sensu stricto intellegit; demum Vulgata «virgo» legit, eundem ergo sensum admittit.

Quaedam versiones graecae, Aquilae, Symmachi, Theodotionis, ἡ νεᾱνίς vertunt quo adolescentula, mulier iuvenis, abstractione facta a virginitate, in sensu na'ārāh, significatur. Notetur oportet has versiones post Christum natum ortas esse et forsā ex inimicitia contra Christi religionem, vel contra Christum ipsum, eo modo 'almāh vertisse.

Conclusio: Voce 'almāh secundum usum loquendi S. Scripturae adolescentula innupta sed nubilis intenditur, adolescentula quae «de iure» virgo supponitur; immo quandoque de puella praedicatur quae simul iuvenis est et «de facto» virginitatem suam physicam conservavit, Gen. 24, 16. 34. Similiter versiones praestantiores textum nostrum de virgine in sensu stricto 'almāh exposuerunt. Sane propheta virginitatem strictam manifestius intendisset, si loco 'almāh voce b'tūlāh usus esset; at 'almāh uti maluit, quia praeter virginitatem quae verbo 'almāh connotatur, etiam virginis adolescentiam adnotare voluit, quae adolescentia verbo b'tūlāh explicite non indicatur (1).

3. *Concipiet et pariet.* Hebraice «gravida (est) et pariens» legitur. Isaias qui aliqua cum solemnitate loquitur, virginis conceptionem et partum annuntiat. Utraque expressio perfecto prophetico est vertenda: «gravida est, pariens est»; propheta enim in sua visione prophetica facta ut praesentia perspicit.

a) *Propheta virginem gravidam vidit*, puellam scilicet quae, non obstante sua praegnatione, virgo 'almāh adhuc vocari potest; cuius alia ratio adesse non videtur nisi quod, etiam conceptione peracta, virginitatis signaculum intactum retinuit; etenim:

1) Dicendo 'almāh propheta adolescentulam innuptam designare intendit, prout ex usu loquendi S. Scripturae et principaliorum versionum constat.

2) Adolescentula innupta quae coitu peccaminoso concepit excluditur, nam α) nullum habetur exemplum in quo huiusmodi puella 'almāh vocetur; et β) non intellexeretur quare propheta Dei cum tanta solemnitate de puella meretrice loqui posset; unde de adolescentula innupta agitur, quae tamen absque peccato concepit.

3) Propheta hanc puellam in sua visione perspicendo, cum solemnitate hā'almāh (cum articulo) vocat. Quare hā'almāh (cum ar-

(1) M. J. LAGRANGE, *La Vierge et Emmanuel*, RB. 1, 1892, 486. — A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanuel*, RB. 13, 1904, 221. — A. CONDAMIN, *Le livre d'Isaïe*, 1905, p. 67. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 53. — J. FISCHER, *Das Buch Isaias*, 1, 1937, 72. — P. HEINISCH, *Theologie des Alten Testaments*, 1940, p. 302.

ticulo)? Sane non quia virgo usque ad conceptionem permansit ac virginitatem suam ratione conceptionis perdidit, nam α) nulla ratio tunc adesset illam cum tanta solemnitate hā'almāh vocandi, quia multae matres eadem in conditione concipiunt et parturiunt; β) si de virginitate in ipsa conceptione non ageretur, tota gloria huius mulieris consisteret in facto quod esset mater Emmanuelis, mater Messiae; at quare tunc modo peculiari suum virginitatis statum exaltare qui conceptionem praecesserit et qui nihil extraordinarium habuerit, cum sit multis puellis communis? Quapropter opinamur prophetam hanc puellam hā'almāh vocare ratione specialis qualitatis matris quae innupta concepit, quin virginitatem perdiderit aut virum cognoverit, uno verbo, ratione eius mirabilis ac virginalis conceptionis qua ab omnibus aliis mulieribus prorsus distinguitur (1).

b) *Propheta virginem gravidam ac parientem vidit.* Estne partus virginalis annon? Partus virginalis certe est in argumentationis linea; sicut virgo permansit in conceptione, ita et in partu. Animadversio prophetae non versatur circa id quod 'almāh olim, ante conceptionem et ante partum, fuit aut fecit, sed circa 'almāh in quantum concepit et in quantum parturit. Porro post suam conceptionem (gravida est) et in ipso actu pariendi (pariens est), propheta illam semper cum eadem solemnitate hā'almāh (cum articulo) vocat, et nunquam nomine hā-'iššāh, aut quocumque alio nomine; quod explicari nequit nisi dicendo prophetam nobis mulierem ostendere quae tam in conceptione quam in partu virginitatem suam intactam retinuit (2).

4. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Loco « vocabitur » legitur hebraice tertia persona singularis feminina, tempore activo, unde « vocabit » est vertendum; virgo ipsa, mater ergo nomen puero dabit, Emmanuel illum vocabit; quae lectio contextui consonat, nam si mater sit virgo, quae absque ullo viri interventu concepit et peperit, tunc convenit ut nomen puero a matre virgine imponatur. Versio LXX, sicut postea versiones Aquilae, Symmachi, Theodotionis, καλέσεις reddunt, ita ut nomen puero a rege Achaz daretur; Vulgata « vocabitur » vertit, persona quae nomen imponet non indicatur, modo indeterminato dicitur: « puer Emmanuel vocabitur ». Lectio masoretica quia melius contextui convenit, critice multo probabilior videtur. Nomen pueri erit « Emmanuel », i. e. « Nobiscum Deus »; nomen manifestativum et reale quod ex natura sua non designat puerum nasciturum esse Deum, sed esse quasi pignus quod Deus cum populo suo (nobiscum) est et erit.

(1) A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El*, RB. 13, 1904, 221. — S. R. DRIVER, *Isaiah, his life and times*, p. 41.

(2) F. FELDMANN, *Das Buch Isaias*, 1, 1925, 90. — A. VAN HOONACKER, *Het Boek Isaias*, 1932, p. 68.

5. v. 15. *Butyrum et mel comedet*. SS. Patres plerique haec verba de puerorum cibo intellegunt, quo puerum nasciturum naturam humanam habere ostenditur; haec quippe natura humana in v. 14 aperte iam fuit indicata, quia ex virgine, ex muliere ergo, nascetur.

Auctorum hodiernorum magna pars hanc expressionem «Butyrum et mel comedet» duplicem sensum in S. Scriptura induere agnoscit: a) terrae abundantiam ac felicitatem exprimit in *Exod.* 3, 17; 13, 5; *Lev.* 20, 24; *Ier.* 11, 5; ubi legitur «terra quae fluit lac et mel»; b) terrae desolationem etiam importat apud *Isaiam* 7, 22 et heic in loco nostro, *Is.* 7, 15 (1).

Plerique vero auctores autumant propositionem «butyrum et mel comedere» semper in S. Scriptura terrae abundantiam ac felicitatem exprimere, etiam apud *Isaiam* 7, 15 et 22. Tres rationes ad hoc probandum afferuntur: 1) Expressio «in illa die» apud *Isaiam* 7, 21. 23 non ut tempore simultanea sed contigua est sumenda, «ita ut in v. 21 describatur felix condicio, quae immediate praecedat desolationem v. 23 adumbratam; quod est aliis verbis dicere: eo tempore e tam felici statu, ut vita passim sustentetur butyro et melle, devenietur in tantam desolationem ut agri redigantur in vepres». 2) «Mirum esset, si ad indicandam penuriam adhiberentur verba abundantiae, et hic dicitur: «prae copia lactis comedet butyrum»; 3) «Quod unusquisque potest nutrire» vaccam unam et duas oves» non penuriam sed felicitatem indicat». Unde *Is.* 7, 21, sicut etiam 7, 15 de statu felicitatis sunt explicandi; ratio caeteroquin huius felicitatis in 7, 16 indicatur: quia terra Syriae et Samariae erat desolata, quia Iuda ab invasione horum regum fuit liberata (2).

Expressio «terra quae fluit lac et mel» semper in S. Scriptura abundantiam ac felicitatem alicuius regionis denotat; contextus in quo haec expressio occurrit hunc sensum aperte indicat. Quando vero de *Isaia* c. 7, 15. 21 agitur, sensus ille «felicitatis et abundantiae» non multo contextui horum textuum convenire videtur. Etenim 1) expressio «in die illa» non solum in vv. 21 et 23 occurrit, verum etiam in *Is.* 7, 18. 20, ibique in sensu simultaneo, de destructione terrae praedicatur; immo expressio «in die illa» in quattuor versiculis citatis, *Is.* 7, 18. 20. 21. 23, inspecto contextu, non videtur esse nisi amplior explicatio seu determi-

(1) J. GUIDI, *Une terre coulant du lait avec du miel*, *R. B.* 12, 1903, 241. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 60. — F. FELDMANN, *Das Buch Isaias*, 1, 1925, 93. — A. VAN HOONACKER, *Het Boek Isaias*, 1932, p. 69. — J. FISCHER, *Das Buch Isaias*, 1937, p. 72.

(2) A. VACCARI, *De signo Emmanuelis*, *Is.* 7, *VD.* 17, 1937, 76. — M. ZERWICK, *De signo demonstrativo in V. T. nota*, *VD.* 19, 1939, 249. — A. FEUILLET, *Le signe proposé à Achaz et l'Emmanuel*, «*Rech. Sc. Rel.*», 30, 1940, 129-151. — S. GAROFALO, *La Nozione Profetica del «Resto d'Israele»* 1942, p. 80. — G. ROSCHINI, *Mariologia*, t. II, P. I, 1942, p. 133. — E. POWER, *The Emmanuel Prophecy of Isaias*, «*The Irish Ecclesiastical Record*», 70, 1941, 299.

natio vocis « dies » ex *Is.* 7, 17; et dies illae sunt dies desolationis; 2) propositio « prae copia lactis comedet butyrum » cum his quae immediate sequuntur est coniungenda, ibique dicitur: « omnis qui relictus fuerit in medio terrae », quae propositio populi deportationem et consequenter terrae desolationem insinuare videtur; 3) expressio « nutriet unusquisque vaccam et duas oves » etiam secundum contextum est explananda, et in contextu expressio significat quod terra Emmanuelis, terra Iuda in qua olim agri culti, horti olitorii, vineae abundanter floruerunt, nunc non amplius nisi magnum pratum constituet, quod butyrum et mel solummodo producet.

Opinamur igitur expressionem « butyrum et mel comedere » apud *Isaiam* 7, 15. 22 non prosperitatis sed penuriae statum denotare.

A. FEUILLET, uti diximus, etiam « butyrum et mel comedere » de abundantia, de statu felicitatis explicat; addit tamen quod 7, 14^b. 15. 21 et 22, ubi felicitas illa describitur, non sunt in loco suo proprio. Legendum enim esset: 1) *Is.* 7, 14^a. 16 ubi desolatio terrae Syriae et Samariae praedicatur, et illa desolatio erit signum pro Achaz. 2) *Is.* 7, vv. 17-20 et 23-25 ubi desolatio terrae Iuda, tamquam punitio Achaz, praenuntiatur. 3) *Is.* 7, 14^b. 15. 21. 22 liberatio messianica, status felicitatis et abundantiae (1).

Sola transpositio horum versiculorum quae in manuscriptis nullum fundamentum habet, reddit hanc interpretationem valde suspectam. Deinde, uti rite A. Vaccari adnotat, v. 16 aretissime cum v. 15 connectitur, quod probatur 1) coniunctione « ki = quia »; 2) ex facto quod prima pars v. 16 « quia antequam sciat puer reprobare malum et eligere bonum » alteram partem v. 15 ipsis verbis resumit et postea explicationem eius tradit (2). 3) Repetitio expressionis « et erit in die illa » vv. 18. 20. 21. 23, quae non est nisi amplior determinatio « dies » e v. 17, unitatem contextus narrationis manifestat, et omnes ergo ad eandem rem, ad statum desolationis se referunt. De his infra.

6. *ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, hebraice praefixum *le* potest finem vel tempus intendere. Versio LXX et Targum de tempore interpretantur, sic etiam auctores hodierni communiter: tempore quo Emmanuel sciet reprobare malum et eligere bonum, tempore quo ad annos discretionis pervenerit, quo malum a bono distinguere poterit, butyrum et mel comedet, terra eius, terra Iuda, *Is.* 8, 8, erit desolata.

7. v. 16. *Quia antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris a facie duorum regum suo-*

(1) A. FEUILLET, *Le signe proposé à Achaz et l'Emmanuel*, *Isaïe*, 7, 10-25, « *Rech. Sc. Rel.* » 30, 1940, 129-151.

(2) A. VACCARI, *De signo Emmanuelis*, *Is.* 7, *VD.* 17, 1937, 77.

rum. Hebraice potius legitur: « Quia antequam... derelinquetur terra, a cuius duobus regibus tu molestia premeris ». Sensus utriusque versiculi 15 et 16 esset quod Emmanuel annona laborabit, non quia terra eius desolabitur, sed quia terra adversariorum suorum devastabitur; quod valde mirum videtur.

Diversae interpretationes propositae fuerunt: 1) B. DUHM et K. MARTI interpolationem v. 16 supponunt; K. BUDDE et M. J. LAGRANGE interpolationem v. 15 propugnant; A. B. DAVIDSON interpolationem ultimae partis v. 16: « quam tu detestaris a facie duorum regum suorum » admittit (1). Quae interpretationes difficultatem solvunt: penuria enim habebitur ratione devastationis terrae Iuda; sunt tamen absque fundamento in manuscriptis. 2) A. CONDAMIN et A. VAN HOONACKER textum hebraicum intactum retinent; A. CONDAMIN vertit « ...terra, propter quam ('āšer) tu times duos reges ». A. VAN HOONACKER separationem ponit: « ...derelinquetur terra. Tu qui times duos reges, v. 17 adducet Dominus... » (2). Etiam sic difficultas evanescit, quia de desolatione solius terrae Iuda agitur, ratione cuius Emmanuel butyrum et mel comedet. Attamen coacta videtur utraque versio 1) quia absque ulla ratione supprimit possessivum « suorum », et 2) quia 'āšer nunquam in S. Scriptura significat « propter quam », nullumque exemplum in S. Scriptura invenitur in quo 'āšer in principio alicuius propositionis significaret « quia » vel « tu qui ».

Quid ergo dicendum? Propheta eventuum successionem prae oculis habere, illamque indicare videtur: 1) desolatio Syriae et Samariae habebitur: *antequam* puer sciat reprobare malum et eligere bonum, v. 16; 2) postea desolatio Iudae fiet: *quando* sciet puer reprobare malum et eligere bonum, v. 15. Propheta igitur et factum et desolationum successionem simul in sua visione perspexit; vidit Assyrios a Septentrione venientes et ad Meridiem pergentes. Achaz ratione suae impietatis punietur *quando* puer ad annos discretionis pervenerit, v. 15; at non a regibus Syriae et Samariae, nam *antequam* sciat puer reprobare malum et eligere bonum, reges illi iam prostrati erunt ac terra eorum devastabitur, v. 16; ab Assyriis Achaz punietur, ab Assyriis quos in auxilium suum vocavit; totam eius terram destruent, tributum onerosum Iudae imponent, vv. 17-25 (3).

(1) B. DUHM, *Das Buch Jesaja*, 1922, p. 51. — K. MARTI, *Das Buch Jesaja*, 1900, p. 77. — M. J. LAGRANGE, *recensio in A. Condamin*, RB. 14, 1905, 279. — A. B. DAVIDSON, *Immanuel*, DB. Hastings, 2, 1899, 455.

(2) A. CONDAMIN, *Le Livre d'Isaïe*, 1905, p. 51. — A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanu-El*, RB. 13, 1904, 214-216. — *Het Boek Isaïas*, 1932, p. 69.

(3) F. CEUPPENS, *De signo Emmanuelis*, « Angelicum » 23, 1946, 53-59.

3. *Quaenam sit virgo concipiens et pariens Emmanuel?*

De virgine praeclarissima agit vaticinii contextus, de virgine quae neque in conceptione, neque in partu virginitatis suae signaculum amittet; de virgine illa nihil aliud dicitur nisi quod erit Emmanuelis mater. Cognito ergo Emmanuele, cognoscetur etiam mater. Porro Emmanuel est Messias; unde virgo est mater Messiae, est B. Virgo Maria. Probandum ergo est Emmanuelem esse Messiam, et quidem in sensu stricte litterali (1).

A. *Emmanuel in sensu stricte litterali est Messias.*

a. *Emmanuel non est Ezechias, filius regis Achaz* (2).

1. Nomen filio a matre datur; si Emmanuel fuisset filius Achaz, tunc rex ipse, secundum consuetudines eo in tempore in Oriente vigentes, nomen filio daret. Deinde quare propheta uxorem Achaz, cum solemnitate, virginem in conceptione et partu vocaret?

2. Quamvis chronologia huius temporis sit sat manca, videtur tamen Ezechiam iam natum fuisse quando Isaias ministerium suum propheticum incepit: Isaias enim munus propheticum circa 740 ante Christum incepit; Ezechias circa 727-722 thronum ascendit, et uti scimus ex *II Reg.* 18, 2 tunc iam 25 annos habuit. Unde certo ante 740 natus est.

3. Iuxta capita 7 et 8 apparet a) nomen pueri esse symbolicum; et b) puerum esse regem Iudae et pignus salutis, *Is.* 8, 8. Porro non vidimus a) quare Ezechias illud nomen symbolicum acciperet; certo non ad liberationem a Syria et Samaria significandam, ad hoc enim habetur nomen secundi filii Isaiae: Maher-salal-haš-baz, 8, 1-4; neque ad salutem ab Assyriis exspectatam praenuntiandam, nam ab his non salus sed desolatio exspectatur et provenit. Neque vidimus b) quomodo Ezechias fuit pignus certum salutis qui per semetipsum terram Iudae salvabit, nam liberationem enixis precibus a Jahweh petiit, *II Reg.* c. 19, 1-7.

4. Puer nasciturus, *Is.* 7, 14, et puer mirabilis ex *Is.* 9, 5, est, iuxta communem sententiam, unus et idem; huic puero qualitates adscribuntur quae nullatenus Ezechiae conveniunt: a) Ezechias non fuit « admirabilis consiliarius », nam pluries imprudenter egit, *Is.* 39, 5 seq.; *II Reg.* 18, 21 seq.; b) non fuit « *Deus fortis* » nam, nuntio mortis suae

(1) F. CEUPPENS, *De Prophetiis messianicis in Antiquo Testamento*, 1935, p. 204 seq. amplius argumenta exponuntur.

(2) Ita HEBRAEI, MASPERO, LAGARDE, Mc CURDY.

audito, amare flevit et vitae conservationem ardentem petiit, *Is.* 38, 1-8; similiter auxilium contra Assyrios apud Aegyptios petiit, *Is.* 36, 6 (1).

b. *Emmanuel non est nomen symbolicum filii Isaiae* (2).

1. Filius Isaiae non est dominator, rex pacis, principatum super humeros habens, *Is.* 9, 5; neque rex et salvator Iudae, *Is.* 8, 8-10.

2. Quare Isaías uxorem suam cum tanta solemnitate vocaret « *virgo 'almāh* », quando enim Isaías missus fuit ad Achaz iam filium Šār Jāsūb habuit, et in eadem vaticiniorum serie uxorem suam nomine « prophetissam » designat, *Is.* 8, 3.

c. *Emmanuel non est puer quicumque, absque determinatione.*

Sententia ista asserit quod Emmanuel est puer quicumque, sicut etiam virgo est mulier quaecumque nubilis sed iuvenis; propheta liberationis proximitatem tantum praediceret. Signum huius liberationis consisteret in hoc, quod mulieres heic et nunc concipientes et parientes poterunt filios suos Emmanuelem (nobiscum Deus) vocare, quia exercitus Syriae et Samariae festinanter terram Iudae derelinquere cogentur, quo recessu inexpectato, Deus manifeste se nobiscum esse monstraret. Sic pueri omnes qui nomen « Emmanuelem » acceperint, populo et praecipue Achaz divinae liberationis signum semper erunt, signum ergo in ipso nomine « Emmanuel » habetur, et virgo de quacumque matre, cuius filius Emmanuel vocatur, praedicatur (3).

1. Sententia ista est valde suspecta, quia uti interpolatum considerat *Is.* 7, 15. 17; ut corruptum *Is.* 8, 8; ut ad alium contextum pertinens *Is.* 7, 18-25.

2. Apud *Is.* 9, 5, de eodem puero, de Emmanuele etiam agitur, secundum interpretationem communem; in hoc textu vero Isaías unicum tantum puerum certo designat; unde etiam in c. 7, v. 14 et consequenter unica tantum *'almāh* designatur.

3. Emmanuelis nomen non potest esse signum liberationis a regibus Syriae et Samariae, quia a) ista liberatio non fuit beneficium, sed devastatio terrae Iudae ab Assyriis, quam liberationem Isaías certo cum tanta solemnitate non praenuntiasset; b) caeterum huius liberationis signum est nomen symbolicum filii Isaiae: Mahēr-sālāl-hāh-baz, *Is.* 8, 3. 4.

4. Quare omnes illas mulieres cum solemnitate hā'*almāh* vocare? et non nomine communi hā'*iššāh* designare? eo quod *'almāh*

(1) M. J. LAGRANGE, *La Vierge et Emmanuel*, RB. 1, 1892, 495. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 43-45.

(2) Ita: IBN EZRA, H. GROTIUS, W. GESENIUS, F. HITZIG, H. OLSHAUSEN.

(3) Ita: A. KUENEN, T. K. CHEYNE, B. DUHM, K. MARTI.

nunquam de muliere nupta etiam iuvene praedicatur. Quare solus iuvenes filium suum Emmanuelem vocare poterunt?

d. *Emmanuel, secundum sensum litteralem, est Messias; unde 'almāh, mater eius, est B. Maria Virgo* (1).

A. *Emmanuel, secundum sensum litteralem, est Messias.*

1. Terra Iudae, in Antiquo Testamento, constanter terra Jahweh, nunquam terra alicuius regis temporalis dicitur, *Is.* 14, 2. 25; 47, 6; *Osee*, 9, 3; *Ier.* 2, 7; 12, 14; *I Sam.* 26, 19; *II Sam.* 14, 19. Porro eadem terra etiam terra Emmanuelis nuncupatur, *Is.* 8, 8, quod fieri nequit, concedente K. MARTI, nisi Emmanuel sit ipse Messias. Auctores independentes vim huius argumenti perspicientes, legunt loco « o Emmanuel », « quia nobiscum Deus », *Is.* 8, 8. Correctio vero ista absque fundamento est in manuscriptis.

2. Emmanuel est pignus salutis praesentis et salvator futurus populi iudaici. Omnia enim consilia ab inimicis contra Iudam nutrita inania erunt ratione Emmanuelis, *Is.* 8, 9. 10. Munus illud salvatoris Iudae optime Messiae et Messiae soli competit; etenim:

a) Quotiescumque vaticinia circa populi iudaici castigationes versantur, nunquam ruina totalis, definitiva, populi praenuntiatur, sed semper residuum populi fidelis salvatur. Quare? Quia secundum decreta divina residuum illud necessarium est ad futurum regnum messianicum constituendum. Populus igitur semper, tempore praesente et futuro, ratione Messiae salvabitur. Unde etiam a praesente calamitate, ab invasione syro-ephraimitica et praesertim assyrica salvabitur.

b) Novum Testamentum etiam passim docet Deum per suum Messiam et per illum solum, populum suum electum salvasse, non amplius a ruina materiali ac temporali, sed a ruina spirituali.

Messias ergo et Messias solus est pignus salutis praesentis et futurae populi sui. Unde Emmanuel cui character ille in vaticinio adscribitur et qui in Messia et in Messia tantum plene et perfecte adimpletur, non potest esse nisi Messias.

3. Auctores communiter admittunt prophetias cc. 7-11 ad easdem temporis circumstantias et ad eundem puerum se referre. Emmanuel de virgine e domo David nascetur, 7, 14; erit rex et salvator Iudae, 8, 8-10; virgam Assur franget ac regionibus Zabulon et Nephtali erit via ac lumen salutis, 8, 23 - 9, 6; mirabilibus qualitatibus erit ornatus, 9, 5; populum a calamitatibus salvabit, gentes ad Deum con-ducet, regnum ad omnes populos extendet, regnum pacificum stabi-

(1) Omittimus sententiam eorum (BOSSUET, D. CALMET, R. LE HIR, etc.) qui contendunt Emmanuelem in sensu litterali esse filium Isalae, in sensu typico vero Messiam; supra enim iam ostendimus filium Isalae non esse Emmanuelem.

liet, 11, 1-10. Haec omnia de eodem puero, de Emmanuele praedicuntur. Porro praeter Messiam, nulla inveniri potest persona cui omnia et singula asserta horum capitum 7-11 convenire possint. Puer iste Emmanuel ergo non potest esse nisi Messias (1).

4. Textus Michaeae 5, 1-5 (hebr.), in quo Messias clare designatur et in quo propheta indubie ad *Isaiam* 7, 14 alludit, hanc interpretationem messianicam confirmat:

a) Isaias et Michaeas annuntiant: futurum liberatorem e familia Davidis nasciturum; super Israël regnabit et terram suam ab invasione assyrica salvabit; tempus pacis ac iustitiae perfectae stabiliet. *Is.* 9, 5, 6; *Mich.* 5, 1-5.

b) Isaias praenuntiat puerum nasciturum esse populi liberatorem; terra populi electi destructa erit usque ad liberatoris adventum, nam ipse butyrum et mel comedet, *Is.* 7, 14-15. Item Michaeas terrae desolationem praedicat usque ad momentum quo liberator a Jahweh suscitatus in terra ista apparebit, *Mich.* 5, 2.

c) Isaias vidit 'almāh, virginem, filium suum parturientem, illumque tamquam salutis divinae instrumentum exhibet, *Is.* 7, 14. Michaeas coram oculis habet matrem ipsam quae filium suum pariet et quem Jahweh ad salutem divinam peragendam praelegit, *Mich.* 5, 5.

Similitudines istae harum prophetiarum interpretationem messianicam confirmant (2).

5. Sensum messianicum demum Novum Testamentum affirmat:

a) *Explicite* S. Matthaeus qui, conceptione supernaturali Christi narrata, pergit: «Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo concipiet et pariet filium: et vocabunt nomen eius Emmanuel», *Mt.* 1, 22, 23.

b) *Implicite* S. Lucas qui ad *Is.* 7, 14 et 9, 5 alludere videtur quando salutationem angelicam refert: «Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum, hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis», *Lc.* 1, 31, 32.

B. Virgo hā'almāh, mater Emmanuelis, est B. Virgo Maria.

Emmanuel in sensu litterali est ergo Messias; unde Virgo quae

(1) M. J. LAGRANGE, *La Vierge et Emmanuel*, RB. 1, 1892, 490. — *Le Judaïsme avant Jésus Christ*, 1931, p. 365. — A. B. DAVIDSON, *Immanuel*, DB. Hastings, 2, 1899, 455. — A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanuel*, RB. 13, 1904, 220. — A. CON-
DAMIN, *Le Livre d'Isaïe*, 1905, p. 63. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 52. — F. FELD-
MANN, *Das Buch Isaias*, 1, 1925, 93. — J. FISCHER, *Das Buch Isaias*, 1937, p. 72.

(2) E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 52.

illum peperit, mater eius est Maria. Quid de Maria in nostro vaticinio praedicatur?

1. *Et textu et contextu* supra ostendimus Isaiam intendisse puellam innuptam, quae non secundum leges communes concepit, sed quae tam in conceptione quam in partu filii sui, virginitatem suam intactam conservavit; conceptio et partus virginales praedicuntur.

2. *Prophetiae textus et traditio iudaica.* Interpretes LXX qui antiquam Iudaeorum traditionem nobis referunt, vaticinium de conceptione virginali intellexisse videntur, quapropter vocem ἡ παρθένος adhibuerunt. Dico « videntur » nam LXX expressionem « virgo concipiet » forsitan in sensu diviso, non vero in sensu composito intellexerunt (1). Temporibus autem posterioribus, prout e scriptis rabbinicis et operibus PHILONIS constat, Iudaei nativitatem Messiae mysteriosam expectaverunt, de parthenogenesi vero nullibi in scriptis iudaicis quaestio occurrit, et hoc forsitan quia Iudaei originem Messiae carnalem e stirpe David firmissime asseverare voluerunt (2); vestigium opinionis Iudaeorum, Christi coaevorum, circa Messiam forsitan invenire possumus apud IOANNEM 7, 27: Iesus non est Messias, inquit Iudaei, et ratio eorum est, quia omnes sciunt unde Iesus provenit, omnes illum uti filium Ioseph et Mariae agnoscunt, Messias e contra erit persona mysteriosa quae inopinate et mysteriose apparere debet: « nemo scit unde sit » (3). APOCALYPSES IUDAEICAE de Messiae nativitate nihil tradunt, quia eius praeexistentiam apud Jahweh admittentes, illum cum virtute et in gloria venturum esse crediderunt.

3. *Prophetiae textus et traditio christiana.* S. MATTHAEUS, 1, vv. 18-25 Mariam, matrem Salvatoris, virginem in conceptione et partu permansisse docet, et in hoc facto miraculoso vaticinii *Isaiae* 7, 14 adimpletionem perspicit. S. LUCAS 1, 31. 32 quando nativitatem Christi supernaturalem proponit, ad textum *Isaiae* 7, 14 alludit. Ab hoc momento tota traditio christiana unanimiter docuit *Isaiam* 7, 14 conceptionem ac partum virginales Mariae praenuntiassse (4).

4. *Prophetiae textus et Protestantes.* Protestantes antiquiores Isaiam Messiae nativitatem miraculosam praenuntiassse opinati sunt:

(1) F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 48, n. 2.

(2) M. J. LAGRANGE, *Evangile selon S. Matthieu*, 1923, p. 17.

(3) M. J. LAGRANGE, *Le Messianisme chez les Juifs*, 1909, p. 222, 223. — H. STRACK-P. BILLERBECK, *Kommentar zum N. T. aus Talmud und Midrasch* 2, 1924, 488. — F. TILLMANN, *Das Johannes evangelium*, 1931, p. 164.

(4) S. IUSTINUS, *Apolog.* 1, 33, P. G. t. 6, c. 381. — *Dial. cum Tryphone*, 66, 71, 77. P. G. t. 6, c. 628, 633, 644, 673. — S. IRENAEUS, *Adv. Haereses*, 3, 21, 4. 6. P. G. t. 7, c. 950. — TERTULLIANUS, *Adv. Iudaeos*, c. 9. P. L. t. 2, c. 617. — *De carne Christi*, 17, P. L. t. 2, c. 781. — ORIGENES, *Contra Celsum*, 34, P. G. t. 11, c. 728. — LACTANTIUS, *Divin. Instit.* 4, 12. P. L. t. 6, c. 479. — S. EPIPHANIUS, *Adv. Haer.* 54, 3. P. G. t. 41, c. 965. — Cfr. praesertim, L. REINKE, *Die Weissagung von der Jungfrau*, p. 233-360.

« Evidens est, scribit J. CALVINUS, Isaiam de quadam virgine locutum fuisse quae non secundum communem naturae ordinem, sed Spiritus Sancti gratia concipere debuit ». E. F. C. ROSENMÜLLER disertis verbis dicit: « intellexisse autem Iesaiam, cum haec loqueretur, virginem parituram, verba eius ipsa demonstrant ». S. R. DRIVER agnoscit saltem admitti posse quod Isaias nativitatem Messiae tamquam quid mirabile consideraverit; quod vero vocem 'almāh attinet, suspicionem non probationem constituit matrem pueri non fuisse coniugatam. Eodem fere in sensu locutus est K. VON ORELLI; etiam ipse quid mysteriosum, quid inexplicabile in Emmanuelis nativitate perspicit (1).

Concludere ergo nobis licet quod, etiam abstractione facta a textibus S. Matthaei et S. Lucae, et a traditione SS. Patrum, solo textu vaticinii critice inspecto, *Isaias* 7, 14 Messiam eiusque matrem in sensu literaliter designavit: Maria concipiet et pariet filium suum quin virginitas sua detrimentum patiatur: est virgo in conceptione, est virgo in partu. Independentium ergo assertio secundum quam fides Ecclesiae in conceptionem ac nativitatem virginales Christi falsa versione et interpretatione textus Isaiæ innititur, nullo fundamento fuleitur, omnino est gratuita et fundamento scientifico caret.

4. *Vaticinium et contextus.*

Quaestio difficillima nunc solvenda haec est: Quid facit ista prophetia de miraculosa Messiae conceptione et nativitate in contextu qui circa invasiones Syriae et Samariae et circa invasionem Assyriae anno 734-732 versatur?

a. *De contextus natura.*

Isaias divinitus ad Achaz missus, illum hortari debet ut firmam spem ac fiduciam in Jahweh conservet, nam Jahweh ipse, protector omnipotens populi sui, illum ab omni calamitate salvabit. Achaz quodcumque signum huius divinae protectionis petere poterit, et Jahweh illud concedet; si vero rex fiduciam hanc recuset, non permanebit, punietur, v. 9. Comminatio ista sane conditionata est, sed v. 12 clare ostendit Achaz fidem in Jahweh non habuisse et conditionem a propheta positam non adimplevisse, nam signum propositum dedignatus est et auxilium apud extraneos quaesivit. Puniendus igitur est. Quapropter haud facile secundum signum benevolentiae ex parte Dei expectare

(1) J. CALVIN, *Commentaire sur Isaïe* 7, 14. — E. F. C. ROSENMÜLLER, *Scholia in V. T. Isaiæ vaticinia*, 1, 1829-1834, 306. — S. R. DRIVER, *Isaiah his life and times*, 1898, p. 41, nota. — K. VON ORELLI, *Die Propheten Isaija und Jeremia*, 1891, p. 38.

possumus, sed potius signum comminationis. De facto comminatio iam a v. 13 incipit et a v. 15 ad v. 25 disertis verbis punitio Achaz, ratione suae infidelitatis exponitur: Terra Iudae totaliter devastabitur: butyrum et mel tantum erunt cibus illorum qui in terra remanserint.

b. De loco prophetiae in contextu.

Propheta signum quoddam regi Achaz promisit; unde quaeritur quodnam sit illud signum. Si sit nativitas Messiae miraculosa, tunc quaeritur quomodo ista nativitas posset esse signum pro Achaz. Si sit signum distinctum a nativitate Messiae, tunc quaeritur: 1) quodnam sit illud signum. 2) Quid facit nativitas Messiae in contextu qui devastationem terrae Iudae ab Assyriis, tempore Achaz, peragenda, narrat?

1. PLERIQUE AUCTORES CATHOLICI asserunt primum signum ab Isaia propositum: « sive in profundum inferni, sive in excelsum supra » v. 11, fuisse signum benevolentiae quo Deus manifestasset suam voluntatem liberandi populum suum ab invasione syro-ephraimitica, non per nationes extraneas, sed per semetipsum. Secundum signum: « Ecce virgo concipiet... » v. 14 esset signum eiusdem generis, signum divinae benevolentiae, demonstrans divinam voluntatem liberandi per semetipsum populum suum; signum illud esset Emmanuel. Propheta in sua visione vidit iam virginem praestantissimam Emmanuelem concipientem ac parientem; vidit Emmanuelem uti liberatorem populi sui iudaici, uti personam cuius intuitu Jahweh semper populo suo parceret. Ratione huius characteris liberatoris perpetui, propheta nexum ponere potest inter Emmanuelem et proximam invasionem syro-ephraimiticam, illumque uti signum certum liberationis Iudae a Syria et Samaria ostendere (1).

Huic opinioni appropinquant J. FISCHER et J. COLERAN dicentes signum esse signum mixtum, spei scilicet et punitiois. Deus enim sub Antiquo Testamento generatim sic agit erga homines et praesertim erga populum electum eiusque rectores, spem animis puniendis addit (2).

Dicendum vero est a) quod post comminationem *Isaiae* v. 9 et post apertam recusationem Achaz, v. 12, qua perfidia eius manifestatur, signum benevolentiae vix expectari potest, eo vel magis quod

(1) L. MURILLO, *El cumplimiento de los vaticinios profeticos. A. El pasaje de Isaías 7, 14. Bíblica*, 5, 1924, 270. — F. FELDMANN, *Das Buch Isaías*, 1, 1925, 92. — DENNERFELD, *Le « signe » dans la prophétie d'Emmanuel*, « *Rev. Sc. Rel.* » 7, 1927, 69. 86. — *Messianisme, DTC.* 10, 1929, 1434-1435. — J. CALÈS, *L'avènement d'Emmanuel est-il affirmé prochain dans Isaie 7, 14*, *ultiv. et Réch. Sc. Rel.*, 17, 1927, 315. — J. RENIÉ, *Manuel d'Écriture Sainte*, 3, 1931, 69.

(2) J. FISCHER, *Das Buch Isaías*, 1, 1937, 69. — J. COLERAN, *Propter hoc dubit Dominus ipse vobis signum*, *VD.* 17, 1937, 306.

in toto capitis 7 contextu ne ullum quidem verbum de vera liberatione aut de vero felicitatis statu occurrit.

b) Pars formalis huius prophetiae non est ipsa persona Emmanuelis, sed eius supernaturalis conceptio et nativitas; unde non persona sed conceptio et nativitas virginalis uti signum propositum essent considerandae, et tunc quaeritur quomodo conceptio et nativitas huiusmodi possunt esse signum futurae liberationis ab invasione syro-ephraimitica.

c) Signum liberationis ab invasione syro-ephraimitica est nomen symbolicum secundi filii Isaiae, Mah̄er-šālāl-hāš-baz; caeterum huiusmodi liberatio vera liberatio dici nequit, nam tota terra Iudae ab Assyriis liberatoribus devastata et ex composito spoliata fuit; et quia illa liberatio fuit revera spoliatio, cum tanta solemnitate praenuntianda non erat.

2. A. VACCARI, quem sequitur M. ZERWICK, opinionem substantialiter valde similem proposuit: Deus duo David promisit: a) thronum firmum, sempiternum, semini eius, *II Sam.* 7, 16; *Ps.* 89, 30; b) salutem populi, dummodo populus fidelis permaneat, alioquin populus punietur, *Ps.* 89, 32. 33. Primum promissum est absolutum, secundum vero conditionatum. Promissum absolutum adimplebitur, nam propositum inimicorum regem alienum, filium Tabeel, imponendi « non stabit », v. 7, et signum huius est: « Ecce Virgo concipiet et pariet filium », signum ergo benevolentiae. Promissum conditionatum partialiter tantum adimplebitur, quia populus fidelis non permansit, unde ab invasione syro-ephraimitica salvabitur, at ratione suae infidelitatis invasione assyrica punietur (1).

Ad hanc interpretationem vero animadvertimus:

1) Sane « non nostrum est iudicare cur Deus modo inexpectato tantae offensionis responderit, affirmando inconcussam suam fidelitatem erga domum Davidis », uti scribit M. ZERWICK; at quando secundum ea quae in contextu nostro occurrunt iudicamus, tunc difficile credere possumus quod post comminationem *Isaiae* v. 9, post apertam et malignam recusationem Achaz, v. 12; post solemnem obiurationem prophetae, qua domus Davidis reprehenditur, signum benevolentiae pro Achaz ex parte Dei adhuc exspectari potest.

2) Prophetia secundum suum contextum est explicanda. Quae-nam sit, secundum contextum, culpa Achaz? Culpa Achaz consistit in hoc quod foedus cum Assyriis inivit et ideo suam diffidentiam erga Jahweh manifestavit. Jahweh illud consilium regis cognoscens, mandat

(1) A. VACCARI, *De signo Emmanuelis*, *Is.* 7, *VD.* 17, 1937, 46. — M. ZERWICK, *De signo demonstrativo in V. T. nota.* *VD.* 19, 1939, 249.

Isaiam ad illum ut foedus cum Assyriis derelinquat et fiduciam suam in Jahweh ponat, alioquin peribit, 7, 9. Achaz recusavit, ergo punitur. Quanam sit punitio eius? Invasio Assyriorum et devastatio ne spoliatio ab eis totius terrae Iudae. Factum illud historicum erit signum manifestum pro Achaz, e quo discere debet Jahweh solum esse dominum et salvatorem terrae Iudae. Nativitas Emmanuelis non est signum pro Achaz, sed confirmatio decreti immutabilis Jahweh qui per semetipsum et non per extraneos, neque per Achaz, neque per quemcumque interventum activum domus Davidis, populum suum salvare intendit, suscitando nempe per semetipsum, mysteiose ac miraculose, salvatorem populi sui, Messiam.

3. A. FEUILLET interpretationem sat peculiarem exponit: Apud Isaiam, inquit, signum est semper sive factum miraculosum, sive factum ordinarium. Auditores prophetae signum illud vel sub oculis iam habent, aut mox habebunt, vel debet apud illos certitudinem parere quod propheta facta futura, remota aut proxima, praenuntiat. In prophetia nostra signum ut praesens exhibetur et non potest ergo esse Emmanuel. Quapropter versiculi alio modo sunt disponendi, uti supra iam indicavimus: a) signum benevolentiae, signum liberationis nempe ab invasione syro-ephraimitica, vv. 14^a et 16; b) castigatio seu punitio Achaz, scilicet Assyriorum invasio, vv. 17-20; 23-25; c) ipsa liberatio messianica vv. 14b-c. 15. 21. 22. Signum Achaz propositum non est Emmanuel, sed filius Isaiiae Še'ār Jāšūb qui eo in momento cum propheta erat: «antequam Še'ār Jāšūb sciat reprobare malum et eligere bonum, devastata erit terra duorum regum Syriae et Samariae» v. 16. Iuda salvabitur, quia in hac terra Emmanuel-Messias nasci debet. Quando filius virginis, Messias, sciet reprobare malum et eligere bonum, incipiet pro Iuda epocha felicitatis, puer enim butyrum et mel comedet et unusquisque suam vaccam et duas oves habebit, vv. 15. 21; omnes homines huius felicitatis participes erunt (1).

1) Supra iam diximus: a) hanc versiculorum transpositionem nullum fundamentum in manuscriptis habere et characterem subiectivum ac debilem huius interpretationis demonstrare; b) expressionem «butyrum et mel comedere» neque in 7, 15, neque in 7, 22 prophetiae Isaiiae felicitatem designare, e contra magna desolatio hac expressione denotatur.

2) Nomen filii Isaiiae Še'ār Jāšūb est nomen symbolicum quo significatur quod semper, non obstantibus castigationibus et captivitate populi iudaici, reliquiae quaedam ad terram patrum redibunt et Jahweh

(1) A. FEUILLET, *Le signe proposé à Achaz et l'Emmanuel* (Is. 7, 10-25). • *Rech. Sc. Rel.* • 30, 1940, 129-151.

fideles manebunt, *Is.* 10, 20-22; nunquam in nostra prophetia, neque in sequentibus Še'ar Jāšūb dicitur signum liberationis Iudae a Syria et Samaria; liberatio ista nomine symbolico secundi filii Isaiae Maher-šālāl-hāš-baz significatur, *Is.* 8, 1-4.

4. AUCTORES CATHOLICI HODIERNI SAT MULTI autumant Emmanuelis nativitatem non esse signum liberationis pro Achaz, eo quod post suam diffidentiam in Jahweh signum benevolentiae non amplius meruit et non amplius exspectatur. «Conceptus virgineus, concludit G. RIENER, licet sine dubio sit miraculum, tamen non potuit esse verum signum in favorem regis Achaz, etiamsi statim factus esset, quia fuisset eventus plane occultus, qui ab hominibus immediate sensibus percipi non potuisset» (1). Signum vero a propheta promissum est ipsa terrae Iudae devastatio ab Assyriis. Quanam tunc est vaticinii nostri relatio cum contextu?

a) Signum a Deo Achaz promissum non est Emmanuelis nativitas, sed terrae Iudae ab Assyriis devastatio; illa devastatio clare regi monstrabit quod salus non ab extraneis sed a Deo et a solo Deo est exspectanda. Nuntium nativitatis Emmanuelis est nova confirmatio, seu manifestatio decreti immutabilis Dei salvandi populum suum per semetipsum absque ullo extraneorum interventu, immo absque ulla collaboratione activa domus Davidis.

b) Antequam vero illud signum - devastationem terrae Iudae ab Assyriis - referat, propheta iterum modo solemni regi Achaz eiusque domui repetit salutem populi esse omnino certam, illamque vero non ab Assyriis sed a solo Jahweh venire, etenim: «ecce Virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel», *Is.* 7, 14. Quo nuntio praedicatur 1) *certitudo salutis*, nomen ipsum hanc salutem iam indicat, et pluries in his prophetiis messianicis (cc. 7-11) Emmanuel uti rex salvator praenuntiatur, *Is.* 8, 8-10; 9, 5; 11, 1-10. 2) *Salus a Jahweh solo provenit*, salvator enim e virgine nascetur, absque interventu extraneo, absque collaboratione activa domus davidicae; Deus illum, divina sua omnipotentia, suscitabit.

c) Difficultas summa tamen manet: 1) Messias. Emmanuel butyrum et mel comedet ratione desolationis Iudae ab Assyriis, *Is.* 7, 15. 2) Messias-Emmanuel Iudam a iugo assyrico salvabit, *Is.* 8, 9-10; *Mich.* 5, 3-5. 3) Messias-Emmanuel regnum pacis super ruinas invasionis assyricae (c. 9) firmiter statuet, *Is.* 11, 1-10. Messias-Emmanuel videtur ergo esse liberator populi israelitici a potentia assyrica. Quomodo nexus ille inter Messiam et potentiam assyricam est explanandus?

Ad prospectum propheticum est recurrendum. Datur enim lex

(1) G. RIENER, *De signo demonstrativo in V. T. V.D.* 19, 1939, 248.

generalis quae fere omnes Antiqui Testamenti prophetae regit, et quae consistit in hoc quod eventus futuri, utut distantes, tamquam idealiter praesentes describuntur, et ratio huius est, quia in visionibus communiter res, non vero tempus rerum exhibetur (1). Isaias in visione sua prophetica tria facta perspicit: 1) nativitatem supernaturalem Emmanuelis-Messiae, quam uti praesentem videt, sed cuius momentum seu tempus praecisum ei non revelatur; videt factum, non tempus, v. 14; 2) futuram destructionem terrae Iudae ab Assyriis perficiendam, vv. 15 et 17-25; 3) futuram devastationem terrae Syriae et Samariae ab Assyriis, v. 16. Devastatio Syriae et Samariae praecedet destructionem terrae Iudae; utraque tamen est proxima, nam quando puer, quem Isaias heic et nunc nasci videt, ad annos discretionis pervenerit, ergo post paucum tempus, tum terra Syriae et Samariae, tum terra Iudae erunt desolatae; immo Isaias iam videt Assyrios advenientes, alas super totam terram Emmanuelis extendentes, *Is.* 8, 8; propheta destructionem quamdam animadvertit talem qualem nunquam vidit, neque audivit; populus tamen non peribit, ratione Emmanuelis-Messiae, 8, 10, qui est pignus salutis praesentis ac futurae; etenim quotiescumque vaticinia circa populi iudaici castigationes versantur, uti supra iam diximus, nunquam ruina totalis populi annuntiatur, semper residuum populi fidelis ratione Messiae salvatur. Unde etiam a praesenti calamitate, ab invasionibus syro-ephraimitica et assyrica salvabitur.

Quia igitur Emmanuel-Messias est pignus salutis praesentis et futurae populi, Isaias heic Messiam, quem simul cum invasione assyrica in visione sua perspicit et quidem ut salvatorem populi, introducit ad hos potentissimos inimicos populi impugnandos qui, secundum vaticinia Isaias, potentiam paganam repraesentant quae, non solum tempore Achaz, sed omni tempore, contra Messiam eiusque opus insurgunt (2).

d) Quaedam vestigia in hoc oraculo et etiam in sequentibus ad-sunt, quae manifestare videntur interventum Messiae non fuisse uti imminensem a propheta consideratum: 1) In vv. 13. 14, signum formaliter non soli Achaz, sed domui David datur. 2) Calamitates quae vv. 17-25 annuntiantur non solum super Achaz sed etiam super populum et domum patris eius advenient. 3) Aegyptii sunt Assyriis consociati v. 18, unde prospectus propheticus sese extendit magis quam ad solam expeditionem Tiglathpileser. 4) Assyrii fiunt populi et omnes regiones

(1) C. VAN CROMBRUGGHE, *Tract. de B. M. V.* 1913, p. 33. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 67. — L. DENNEFELD, *Messianisme*, DTC. 10, 1929, 1436.

(2) A. VAN HOONACKER, *La prophétie relative à la naissance d'Immanue El*, RB. 13, 1904, 226. — M. J. LAGRANGE, *recension*, RB. 14, 1905, 280. — P. CRUVEILLIER, *Emmanuel (Explication de la prophétie de l')* DBS. 2, 1934, 1043-1049.

terrarum longin quarum, 8, 9. 5) Nativitas Messiae invasioni Assyriorum postponitur, nam supponit regiones Zabulon et Nephtali desolatas c. 8, 23^b, quae desolatio fuit effectus incursionum Tiglathpileser. 6) Demum *Is.* 11, 1 seq. imperium Assyriorum destructum supponit, domum Davidis magna calamitate humiliatam, ita ut non amplius nisi truncus permaneat; facta ista sane longum temporis spatium requirere videntur.

Quoad doctrinam mariologicam concludere possumus: dogma fidei nostrae de virginitate B. Mariae tam in conceptione quam in partu divini filii sui, hac in prophetia *Isaiae* 7, 14 fuisse praenuntiatum.

III. VATICINIUM DE PARTURIENTE PARITURA IN BETHLEHEM.

(*Mich.* 5, 1. 2 [*Vulg.* 5, 2. 3]).

Michaeas, oriundus ex Moresheth (Moraschthi) prope hodiernum Beit Dachibrin (Eleutheropolis) in tribu Iuda, prophetavit in regno Iuda sub regibus Ioatham, Achaz, Ezechia, ergo c. a. 735-690. Fuit proinde *coaevus Isaiae*, ut patet etiam ex *Ier.* 21, 18, collato cum *Mich.* c. 3, 12. Ita A. MILLER (1).

1. *Vaticinii contextus.*

Castigationibus divinis ratione populi infidelitatis erga Jahweh praenuntiatis, propheta ad novas promissiones transit, ad promissiones nempe gloriosissimas pro regno Iuda. Iuda perfecta victoria praedicatur quae fiet a dominatore seu salvatore qui, e Bethlehem Ephrata egrediens, in virtute ac maiestate nominis Jahweh populum reconstitutum reget et ad maximam gloriam conducat; ipse populum suum ab invasore assyrico salvabit; illaque salus erit pro populo initium novae prosperitatis tum materialis, tum spiritualis. Munus illud magnas habet similitudines cum munere ab Emmanuele *Isaiae* cc. 7-11 adimplendo.

2. *Textus interpretatio.*

c. 5, v. 1. *Et tu Bethlehem Ephrata.* Commemorato periculo in quo Sion versabatur ratione suae infidelitatis, 4, 14 (*Vulg.* 5, 1), Michaeas in sua visione prophetica perspicit novum tempus pro Iuda adventurum, tempus gloriosissimum, tempus summae maiestatis, illudque tempus novum tempori praesenti opponit. In textu masoretico et in Vulgata legitur: «*Et tu Bethlehem Ephrata*»; versio LXX habet «*et tu Bethlehem, domus Ephrata*»; legit ergo in textu suo hebraico «*Et tu Bethlehem, Beth Ephrata*», ex quo auctores quidam concluderunt 1) «*Bethlehem*» apud LXX, et 2) «*lehem*» apud Masoretas esse interpolationes, ita ut textus originalis habuisset: «*et tu Beth Ephrata*». Plerique tamen horum auctorum agnoscunt has interpolationes revera intentionem prophetae exprimere qui, loquendo de Beth Ephrata de facto Bethlehem

(1) A. MILLER et A. METZINGER, *Introductio Specialis in V. T.* 1940, p. 516.

designare voluit. Notandum vero est quod nomen Beth Ephrata S. Scripturae prorsus ignotum est, et deinde explicari nequit quomodo Michaeas istud nomen adhibere potuerit ad Bethlehem designandam. Ratio igitur textum masoreticum derelinquendi nobis non videtur. Legimus ergo: «*et tu Bethlehem Ephrata*».

Quare propheta voci Bethlehem addidit Ephrata? Inutile et arbitrarium credimus cum A. VAN HOONACKER et E. TOBAC ad iudum verborum recurrere (1); ratio valde simplex et magis probabilis ab E. KÖNIG exponitur: Michaeas voluit Bethlehem nativitatis Christi ab alia civitate Bethlehem in tribu Zabulon, *Ios.* 19, 15, distinguere (2).

Parvulus es in millibus Iuda. Bethlehem «*parva est inter coetus Iuda*». De facto Bethlehem in A. T. parva consideratur, nam quandoque inter civitates Iuda numeratur, *Esdr.* 2, 21; *Neh.* 7, 26; quandoque vero omittitur, *Neh.* 11, 25. Similiter extra A. T. parva iudicatur Bethlehem, nam apud *Lc.* 2, 4. 11, et apud Fl. Iosephum «*civitas*» dicitur (3); apud *Ioannem* 7, 42 «*castellum*» i. e. locus parvulus nullius momenti. — Neque dicendum est oppositionem haberi cum *Mt.* 2, 6 qui dicit: «*et tu Bethlehem, nequaquam minima es in principibus Iuda*». Michaeas enim considerat Bethlehem historice, prout de facto fuit tempore quo prophetavit, abstractione facta a futura Messiae nativitate; et ad hanc parvitatem praecipue attendere videtur ut summa gloria quae ei, ratione originis futuri dominatoris Israël, adveniet, apertius cluceat. Matthaeus e contra considerat Bethlehem, prophetia Michaeae iam adimpleta, post dominatoris-Messiae nativitatem, unde in veritate de Bethlehem dicere potest quod «*nequaquam minima est in principibus Iuda*», ratione nempe nativitatis Messiae.

Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël. Dominator praenuntiatus sicut novus David e Bethlehem in Iuda egredietur, ad domum davidicam pertinebit; *mihi egredietur*, illud «*mihi*» non ad prophetam se refert, uti E. F. C. ROSENMÜLLER asseruit, sed ad Jahweh, de quo 4, 13^b, et 5, 2; egredietur ad munus divinum assumendum, ad decreta Jahweh perficienda, egredietur mihi «*qui sit dominator in Israël*», egredietur aliquis ut sit dominator, princeps in Israël. Aerumnae multae adhuc super populum advenient, dixit *Michaeas* 4, 14 (Vulg. 5, 1), quae tamen non permanebunt, nam e domo David egredietur princeps cuius regnum salutem populo ministrabit; unde potius ad munus salvatoris quam ad potentiam ac dignitatem huius principis propheta attendere videtur.

(1) A. VAN HOONACKER, *Les douze petits Prophètes*, 1908, p. 389. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 1, 1919, 262.

(2) E. KÖNIG, *Die messianischen Weissagungen des A. T.* 1923, p. 192.

(3) FLAV. IOSEPHUS, *Antiq. Jud.* 5, 2.

Et egressus eius ab initio, a diebus aeternitatis. Princeps futurus e Bethlehem, ex familia davidica oriatur; propheta nunc in ipsam originis antiquitatem modo peculiari insistit. Quid vero hac expressione significatur? Consensus inter auctores etiam catholicos non datur. Alii illam de origine aeterna futuri principis interpretantur, ita ut origo eius terrestris (in Bethlehem, e domo David), et origo divina ac aeterna (a diebus aeternitatis) essent praenuntiatae: natura humana et natura divina principis (1). Alii vero animadvertunt hanc interpretationem neque in S. Scriptura, neque in Traditione fundamentam habere: non in S. Scriptura, nam auctores sacri nunquam ad textum Michaeae alludunt in locis qui circa originem divinam Christi versantur; non in Traditione, nam SS. Patres quoad sensum messianicum huius loci conveniunt, quoad originem vero divinam Messiae in hoc loco valde discrepant. Textum ipsum inspicientes, exegetae isti opinantur 1) expressionem «*egressus eius*» ad verbum «*egredietur*» esse referendam, et quia «*egredietur*» respicit originem humanam principis, interpretantur «*egressus eius*» etiam de origine humana eius davidica; 2) animadvertunt expressionem «*a diebus aeternitatis*» non aeternitatem denotare, sed apud prophetas Amos 9, 11, Isaiam 51, 9, immo apud Michaeam 7, 14. 20, de altissima antiquitate praedicari. Sensus totius propositionis tunc est: «*Princeps egredietur de stirpe David, ideoque origines eius erant ab aetate antiquissima, a diebus altissimae antiquitatis*» (2). Quae ultima interpretatio contextui et terminologiae Antiqui Testamenti melius convenire videtur.

v. 2. *Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo parturiens pariet: et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israël.* Formula «*propter hoc*» sensum causalem habet, ideoque quaeritur quisnam sit ille nexus causalis inter v. 1 et 2. Propheta in c. 4, v. 14 (Vulg. 5, 1) dixit quod Jahweh populum suum infidelem castigabit illumque inimicis suis tradet; in c. 5, c. 1 (Vulg. 5, 2) vero annuntiatur dominator qui simul erit salvator populi sui; ratione adventus huius dominatoris, castigatio populi durabit tantummodo usque ad tempus quo ea quae parere debet, filium suum pariet; quo peracto, castigatio finem habebit, nam puer nasciturus erit dominator quem Jahweh e Bethlehem suscitabit ad liberationem populi adducendam; en nexus causalitatis.

Usque ad tempus in quo parturiens pariet. Cum ipse dominator

(1) J. KNABENBAUER - M. HAGEN, *Commentarius in Prophetas Minores*, 1924, p. 357. — A. SKRINGAR, *Origo Christi temporalis et aeterna*, Mich. 5, 2. 3 = hebr. 5, 1. 2. VD. 13, 1933, 12. — J. LIPPL, *Die Zwölf kleinen Propheten*, 1937, p. 207. — G. ROSCHINI, *Mariologia*, t. 2, p. 1, 1942, p. 147.

(2) A. VAN HOONACKER, *Les douze petits Prophètes*, 1908, p. 389. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 1, 1919, 265. — E. KÖNIG, *Die messianischen Weissagungen des A. T.* 1923, p. 196. — Cfr. etiam L. DÜRR, *Ursprung und Ausbau*, 1925, p. 91.

sit persona bene determinata, persona historica, ideo mulier quae cum pariet - nam de eius genitrice certo agitur - etiam persona bene determinata et individualis erit. Mulier ista ergo non est « *filia Sion* » quae c. 4, vv. 9-10 in doloribus partus describitur et quae nunc tamquam parturiens populum messianicum, uti apud *Isaiam* 66, 7, vel tamquam Messiam pariens exhiberetur, uti THEODORUS MOPSUESTENUS asseruit. Etenim 1) comparatio cum *Isaia* 66, 7 non stat, quia contextus *Isaiae* aperte petit ut de populo messianico explicetur; 2) in nostro contextu, quaestio versatur circa individuum, circa principem e domo David, qui Bethlehem nascetur, et quem Jahweh ad salutem populi sui suscitabit; 3) nunquam « *filia Sion* » uti mater Messiam parturiens praenuntiatur; caeterum filia Sion in c. 4, vv. 9-10 mulieri parturienti comparatur, non ratione fructus quem producit, sed ratione dolorum ac oppressionum quas suffert (1).

Et reliquiae fratrum eius convertentur ad filios Israēl. Simul cum adventu huius futuri dominatoris, e familia David, habebitur ipsius populi reconstitutio in tota sua integritate. *Reliquiae fratrum eius* sunt fratres ipsius dominatoris praenuntiati, qui opponuntur « *filiis Israēl* »; ante adventum dominatoris, fratres eius ad filios Israēl non pertinent, nam « *convertentur* », vel potius revertentur, ea in occasione, « *ad veros filios Israēl* ». Fratres illi sunt Iudaei, sicut et ipse dominator promissus; sunt Iudaei qui, ratione schismatis, fuerunt a filiis veri Israēl separati, et auctoritatem dynastiae davidicae agnoscere recusaverunt. Reliquiae ergo fratrum dominatoris, reliquiae praesertim decem tribuum regni Septentrionalis quae usque nunc in schismate, a Jahweh remotae vixerunt, sub sceptro huius futuri dominatoris congregabuntur; coniungentur filiis fidelibus Iuda qui verum Jahweh nucleum constituunt: schisma decem tribuum pro semper erit finitum (2). Deinde a v. 3 ad v. 5 regis dominatoris opus describitur, scilicet cum fortitudine regnabit quia virtute Jahweh sustinebitur, et regnum eius « *usque ad fines terrae* » extendetur. Cum hi versiculi minoris sint momenti quoad scopum quem persequimur, ab eorum commentario abstinere nobis licet (3). Michaeas relationem inter principem prophetiae, qui uti videbimus est Messias, et potestatem assyricam ponere videtur, sicut supra iam ostendimus apud *Isaiam* 7, 15-25; 8, 8. 9. Notandum est 1) quod prophetae salutem messianicam futuram communiter in periculis et calamitatibus praesentibus aut imminetibus nationis con-

(1) J. KNABENBAUER - M. HAGEN, *Comm. in Prophetas Minores*, 1924, p. 558.

A. SKRINGAR, *Origo Christi temporalis et aeterna*, Mich. 5, 2. 3 = hebr. 5, 1. 2. VD. 13, 1933, 15.

(2) R. DE VAUX, *Le « Reste d'Israël » d'après les Prophètes*, RB. 42, 1933, 526-539. — S. GAROFALO, *La Nozione Profetica del « Resto d'Israele »*, 1942, p. 197.

(3) F. CEUPPENS, *De Prophetiis messianicis in A. T.* 1935, p. 347.

siderant; 2) quod Assur tamquam typus omnium populorum inimicorum Israël apud Prophetas depingitur (1).

3. *Quisnam sit ille dominator? Quacnam sit parturiens?*

a. *Dominator est Messias.*

Sensus messianicus huius prophetiae ab exegetis catholicis communiter admittitur, et probatur 1) argumentis auctoritatis, et 2) argumentis internis.

1) *Argumenta auctoritatis.*

Traditio tam iudaica quam christiana characterem messianicum propugnat.

Traditio iudaica tempore Christi circa *Michaeam* 5, 1-5 vigens aperte apud *Matthaeum* 2, 5 traditur: Quando Magi Hierosolymam advenerunt, congregavit Herodes rex omnes principes sacerdotum et scribas populi et petiit ab eis ubi Christus nasceretur. Qui responderunt: In Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam: « Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël » (*Mich.* 5, 1). Item apud IOANNEM 7, 41. 42, Iudaei circa personam Iesu litigantes, quidam dixerunt: « Nonne Scriptura dicit: quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? » Iudaei isti indubie ad prophetiam *Michaeae* 5, 1 se referunt. Eadem interpretatio in TALMUD proponitur, ubi legitur: « Ex te mihi Messias, filius David egredietur », *Mich.* 5, 1. Eodem in sensu interpretantur R. Raschi et R. Kinhi (2).

Traditio christiana unanimi consensu sensum messianicum exponit. S. IUSTINUS ex narratione « de adoratione Magorum », *Mt.* 2, 5. 6 probat prophetiam *Michaeae* nativitate Messiae in Bethlehem esse adimpletam. TERTULLIANUS hoc loco adnotat: « nasci enim eum oportuit in Bethlehem Iudae. Sic enim scriptum est in propheta: « Et tu Bethlehem... qui pascat populum meum Israël ». S. CYPRIANUS et EUSEBIUS declarant *Michaeam* prophetam Bethlehem tamquam locum originis Christi praenuntiasse (3).

(1) L. DENNEFELD, *Messianisme*, DTC. 10, 1929, 1436. — P. CUVEILLIER, *Emmanuel*, (*Explication de la prophétie de l'*) DBS. 2, 1934, 1049.

(2) L. REINKE, *Die messianischen Weissagungen des A. T.* 3, 1861, 350. — J. CORLUIY, *Spic. Dogm. Bibl.* 1, 1884, 444. — E. KÖNIG, *Die mess. Weissagungen des A. T.* 1923, p. 1999. — Talmud, tr. *Pesachim*, fol. 51, c. 1. et *Nedarim*, fol. 39, c. 2.

(3) S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryphone*, 78, P. G. t. 6, c. 658. — TERTULLIANUS, *Adv. Iud.* c. 12. P. L. t. 2, c. 673. — EUSEBIUS, *Demonstr. Evang.* 2, 4. 51. P. G. t. 22, c. 107. — CYRILLUS HIERS., *Catech.* 11, *De filio Dei unigenito*, n. 20. P. G. t. 33, c. 715. — S. JOANNES CHRYS., *Homilia in diem natalem*, n. 2, P. G. t. 56, c. 249.

2) *Argumenta critica.*

a) Dominator dici nequit persona idealis, uti quidam Rationalistae excogitaverunt, sed persona realis, historica, cuius locus originis, Bethlehem, disertis verbis a Propheta est designatus.

b) Dominator etiam non est Zorobabel, uti Rabbini quidam ex Medio Aevo et H. GROTIUS (saec. XVII) propugnauerunt, nam Zorobabel non Bethlehem sed Babylone est natus, et regnum suum non usque ad fines terrae extendit.

c) Dominator est Messias: 1) Jahweh populum suum derelinquet donec parturiens pariet; parvulus nasciturus reliquias fratrum suorum ad Jahweh convertere atque perfectam pacem constituere debet. Quae notae optime conveniunt cum his quae ab *Isaia* 7-11, coaevo Michaeae, de Emmanuele prolata fuerunt et quae de Messia in sensu litterali sunt praenuntiata. 2) Dominator ex familia David orietur, regnum suum ad fines terrae extendet, populum suum a suis inimicis liberare debet. Universalitas regni sicut liberatio populi sui ab omnibus inimicis suis etiam potentissimis sunt characteres essentialiter messianici apud Prophetas et qui soli Messiae competunt.

Ex his igitur constat prophetiam Michaeae esse prophetiam essentialiter messianicam et quidem in sensu litterali (1).

b. *Parturiens est Beata Maria Virgo.*

1) Supra, contra THEODORUM MOPSUESTENUM, iam ostendimus filiam Sion non esse parturientem: a) quia in textu agitur de individuo historico, de principe e domo davidica, qui Bethlehem nascetur; de partu populi messianici nullatenus quaestio habetur; b) quia nunquam filia Sion uti mater parturiens Messiam individuum, a Prophetis praenuntiatur.

2) Parturiens est B. Maria. Secundum textum et contextum dominator praenuntiatus, qui populum suum liberare debet, est Messias. Castigationes et aerumnae populi usque ad eius adventum perdurabunt. Quando ergo propheta hunc adventum annuntiat et dicit quod aerumnae cessabunt tempore quo parturiens pariet, evidens est quod partu illo nativitatem Messiae intendit, nativitatem e matre sua, Beata Virgine Maria.

3) Conclusio ista confirmatur parallelismo cum *Isaia* 7, 14, prophetia de Virgine Emmanuelem-Messiam paritura. Etenim a) Isaia et Michaeas annuntiant originem futuri liberatoris e familia David,

(1) Ad v. 1 «egressus eius ab initio a diebus aeternitatis» recurrere non intendimus, quia exegetae catholici quoad huius loci interpretationem dissentiunt; opinamur quod potius de antiquitate stirpis davidicae quam de generatione aeterna dominatoris quaestio habetur.

super Israël regnabit, populum ab invasione assyricam liberabit et pacem perfectam constituet, *Is.* 9, 5. 6; *Mich.* 5, 1-5. b) Isaias et Michaeas annuntiant desolationem populi duraturam usque ad adventum liberatoris, *Is.* 7, 14. 15; *Mich.* 5, 2. c) Isaias vidit 'almāh virginem suam filium parturientem, illumque tamquam salutis divinae instrumentum monstrat, *Is.* 7, 14. Michaeas coram oculis habet matrem ipsam quae filium suum pariet, et quem Jahweh ipse ad salutem divinam peragendam praelegit, *Mich.* 5, 5.

Maria ergo praenuntiatur ut *mater Messiae*. Auctores qui admittunt «egressus ab initio a diebus aeternitatis» originem aeternam ac divinam respicere, concludunt Mariam uti *matrem Dei* esse praenuntiatam.

IV. « FEMINA CIRCUMDABIT VIRUM » (*Ier.* 31, 22^b).

Textus ille Ieremiae inter difficiliores totius S. Scripturae numeratur, quapropter, etiam inter auctores Catholicos, quoad huius loci interpretationem, unio non est facta. Quia vero plures exegetae catholici hodierni opinantur hanc feminam esse B. Mariam Virginem, textus ille Prophetae Ieremiae accurate consideretur oportet, et antequam sensum eius determinemus, contextus eius est consulendus.

1. *Textus in suo contextu.*

Auctores convenire videntur prophetam in cc. 30 et 31 varias salutis promissiones praenuntiare: gaudium enim et pacem restorationis describit. Restauratio ad omnes tribus Israël, ad regnum Septentrionale Ephraim, sicut ad regnum meridionale Iuda, se extendet, v. 1. Difficultas vero statim exsurgit quando determinandum est ubinam propheta de Ephraim et ubinam de Iuda loquitur. Interpretatio magis probabilis, ad quam exegetae hodierni inclinare videntur, asserit prophetam disserere 1) de regno ephraimitico, vv. 2-22; 2) de regno Iuda, vv. 23-26; 3) de utroque regno, vv. 27-40 (1); omnes tamen conveniunt quod certo a v. 15 ad v. 22 de regno ephraimitico est quaestio.

Prima pars a v. 2 ad v. 22 ad nos respicit. Ieremias liberationem e captivitate babylonica, reditum ad terram sanctam, conversionem ad Jahweh, tribus regni Septentrionalis primo praenuntiat: «erit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim: Surgite, et ascendamus in Sion ad Dominum Deum nostrum» v. 6. Tempora illa erunt tempora summae gloriae et exultationis, tempora magnae prosperitatis, vv. 7-14. Rachel e sepulchro suo surgere videtur ad plorandos filios suos in captivitate detentos; Jahweh vero illam consolatur captivitatis finem promittendo, vv. 15-17. Ephraim castigatus sed poenitens, suam infidelitatem agnoscit, atque veniam divinam poposcit. Jahweh omnia condonare paratus «miserans miserebor eius», inquit Jahweh, vivide hortatur Ephraim ut redeat ad terram suam, vv. 18-20. Multi captivi ad patriam reverti non desideraverunt, et consequenter viam Jahweh non reppererunt, quia condiciones vitae in regno Septen-

(1) E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 273. — F. NÖTSCHER, *Das Buch Jeremias*, 1934, p. 225. — A. CONDAMIN, *Le Livre de Jérémie*, 1936, p. 220.

trionali multo peiores apparuerunt quam in Babylonia; illud autem impedimentum Jahweh auferet illos confirmando quod novum quoddam in terra eorum creabit: « Revertere, virgo Israël, revertere ad civitates tuas. Usquequo haesitabis, filia infidelis? Nam *Deus creat novum super terram: femina circumdabit virum* », vv. 21-22. Ratio ergo quare Ephraim reverti debet et quare haesitare non potest, est: quia (hebr. ki) Deus creat novum super terram, et illud novum est: « *femina circumdabit virum* ».

2. Critica textualis.

Populus regni Septentrionalis (Ephraim) in captivitate degens, et peccata sua plorans, haesitat in patriam redire, quia timet ne conditiones vitae sint peiores in patria quam in captivitate. Jahweh ergo illos enixe hortatur ut revertantur; timor eorum est deponendus, nam Jahweh « *creavit novum super terram: femina circumdabit virum* ».

1) *Creavit* hebr. *bārā'* in kal semper de divina, nunquam de humana operatione praedicatur, de actione nempe qua Deus quid novi, aut quid prodigiosi producit, *Exod.* 34, 10; *Is.* 48, 7; *Ps.* 50, 12. Unde *bārā'* novae rei productionem denotat, non necessario novae rei productionem qualis nondum exstitit, ut G. ROSCHINI contendit, cfr. *Ps.* 50, v. 12 (1). Jahweh novam rem super terram seu in terra (*bā'āres*) scilicet regni Septentrionalis producere intendit; illud novum est « femina circumdabit virum ».

2) *Femina circumdabit virum*, hebraice legitur: *nēqēbāh tēsōbēb gāber*, quod S. HIERONYMUS vertit: « femina circumdabit virum » et explicat de conceptione et nativitate virginali Salvatoris. Quisnam praecise sit sensus textus hebraice, nunc est indagandus.

a) *nēqēbāh*, femina: In S. Scriptura *nēqēbāh* nunquam de virgine praedicatur; virgo est *bētūlāh*, *Gen.* 24, 16; vel *'almāh*, *Is.* 7, 14. Voce *nēqēbāh* sexus designatur, et quidem in sensu qui vix cum virginitate stare potest, nam mulierem significat in quantum est ad matrimonium destinata, *Deut.* 4, 16. In S. Scriptura *nēqēbāh* indifferenter de sexu feminino hominum, *Gen.* 1, 27; 5, 2, et de sexu feminino animalium *Gen.* 6, 19; 7, 3 asseritur; apud *Ieremiam* 31, 22 *nēqēbāh* est femina prout ratione sexus sui masculo opponitur (2); quoad hoc, auctores consentiunt.

b) *tēsōbēb* = *circumdabit*, est pō'el verbi *sābab* et significat « circumire, circumdare, ambire », *Ps.* 59, 7. 15. *Versiones* LXX et

(1) G. ROSCHINI, *Mariologia*, t. II, P. 1, 1942, p. 152.

(2) F. NÖTSCHER, *Das Buch Jeremias*, 1934, p. 231.

Theodotionis περιέρχομαι habent; *versiones* Aquilae et Symmachi περι-κυλέω. Notandum est verbum sâbab cum sensu «circumire, circumdare, ambire» nunquam in S. Scriptura dici de matre quae fructum suum in utero portat. T. K. CHEYNE qui sensum «sâbab = ambire» admittit, vertit «mulier ambiat virum»; F. NÖTSCHER et plures Catholici hodierni hanc versionem probabiliorē iudicant et explicant: «mulier variis amoris ac benevolentiae signis virum suum cumulabit ut eius favorem sibi lucretur» (1). A. CONDAMIN parvam textus correctionem introducens, quam olim P. HOUBIGANT iam proposuit, legit nēqēbāh tāsūb lēgāber, loco nēqēbāh tēsōbēb gāber, et vertit: «mulier redibit ad virum», scilicet synagoga (mulier) redibit ad Jahweh (virum) (2). Sensus ille contextui non convenire videtur, quia non agitur de reditu synagogae, sed de reditu populationis regni ephraimitici; deinde haec textus mutatio sat arbitraria apparet, nam fundamento in manuscriptis caret. J. CLOSEN interpretationem E. F. C. ROSEN-MÜLLER sequitur, qui animadvertit verbum sâbab in pō'el etiam in *Deut.* 32, 10 occurrere, ibique in sensu «tueri, providere» (schützend umgeben) adhiberi; illeque sensus textui Ieremiae etiam convenit, unde vertit J. CLOSEN: «mulier proteget virum», vel mulier viro providebit» (3).

Quaenam ex his interpretationibus est retinenda? Explicatio A. CONDAMIN nimis arbitraria nobis apparet, praesertim quando textus prout iacet sensum contextui convenientem dare potest. Unde duae tantum remanent: a) interpretatio F. NÖTSCHER, et b) interpretatio J. CLOSEN, de quibus infra.

c) gāber vel geber idem sonat ac mas, in sensu sexuali, sicut nēqēbāh; primario igitur sexum designat; adhibetur tamen frequenter ab auctoribus sacris ad hominem in genere iŕs significandum, nunquam vero de Messia asseritur; in *Prov.* 6, 34 probabiliter de marito praedicatur.

3. *Textus Interpretatio.*

a. S. HIERONYMUS sensum messianicum huius loci admisit, at sicut pluries apud illum evenit, inquit A. CONDAMIN, sensum messianicum nimis determinare volens, illum exaggeravit, videns in textu quod in textu non exprimitur (4). S. HIERONYMUS textum hebraicum

(1) F. NÖTSCHER, *Das Buch Jeremias*, 1934, p. 231.

(2) A. CONDAMIN, *Le livre de Jérémie*, 1936, p. 228.

(3) J. CLOSEN, *Mulier circumdabit virum*, *Jer.* 31, 22b. *VD.* 16, 1936, 299.

(4) A. CONDAMIN, *Les caractères de la traduction de la Bible par S. Jérôme*, «*Rech. Sc. Rel.*» 3, 1912, 132-137.

vertit: « mulier circumdabit virum », et commentarium suum adiungens, scribit: « absque viri semine, absque ullo coitu atque conceptu, femina circumdabit virum gremio uteri sui... Notandum quod nativitas Salvatoris atque conceptio Dei creatio nuncupatur » (1). Sensus totius contextus tunc esset: « captivi ad patriam suam redeunt, in terra ista per templum Jahweh iam consecrata mirabilia videbunt, ubi Messias, novus David virginaliter concipietur, ibi novum foedus, novum pactum cum Jahweh concludetur, ibi novus populus Dei constituetur.

Sententia ista quam S. BERNARDUS, S. THOMAS, S. BONAVENTURA propugnaverunt et quam etiam J. KNABENBAUER cum eruditione ac prudentia defendit, vix sustineri potest. G. ROSCHINI se ad A. C. FILLION referens scribit: « Iure ergo merito cum FILLION concludere possumus: Tandis que l'interprétation traditionnelle fournit un sens très simple et très naturel, toutes les autres sont arbitraires » (2).

Animadvertendum vero est: 1) *nēqēbāh* nunquam in S. Scriptura de virgine praedicatur, sed de muliere, masculo opposita, et ad matrimonium destinata; 2) item nunquam de muliere asseritur quae fructum suum in utero portat; 3) nullus S. Scripturae textus affertur, neque afferri potest in quo Messias nomine « geber » designatur; 4) vix contextui convenit, nam quaeritur quomodo nativitas virginalis Messiae potuerit esse pro captivis babyloniciis ratio in patriam redeundi.

Auctores quidam interpretationem S. HIERONYMI traditionalem esse affirmant. « Sustinemus, inquit C. TROCHON, quod secundum Patres, Doctores, Interpretatores, agitur heic de incarnatione Verbi in sinu Beatae Virginis », et affert 1) « Sermo de Nativitate Domini » ex operibus S. Cypriani, et 2) « Sermo 9 de Tempore » ex operibus S. Augustini.

Traditionalis dici nequit. Etenim 1) *Versio* LXX legit: « nam suscitavit Dominus salutem in novam plantationem, in salute circuibunt homines », et secundum hanc versionem Patres Graeci textum Ieremiae interpretati sunt. Neque dicendum est, uti quidam aiunt, S. Athanasium (295-373) interpretationem S. Hieronymi iam proposuisse; de facto S. ATHANASIUS versionem Aquilae tradidit, illamque de conceptione virginali intellexit, quin de valore huius interpretationis quid determinet (3). Iam ante S. Athanasium, S. IUSTINUS hanc sententiam, secundum quosdam, propugnasse videtur; quod sane valde mirum est, eo quod S. IUSTINUS nunquam in suis operibus hunc textum Ieremiae citat, ne in suo opere quidem « *Dialogus cum Tryphone* » in quo ex professo vaticinia A. T. circa Messiam eiusque Matrem percurrit. 2) *Versio*

(1) S. HIERONYMUS, *In Jeremiam*, P. L. t. 24, c. 880-881.

(2) G. ROSCHINI, *Mariologia*, t. II, P. I. 1942, p. 156.

(3) S. ATHANASIUS, *Opera*, P. I, *Historica et Dogmatica. Expositio fidei*, P. G. t. 46, c. 200.

syriaca Peshitta vertit «femina valde diligit virum», quod nullus de conceptione virginali interpretari ausus est. 3) *Vetus Itala* habet: «creavit Dominus salutem novam, in salute circuibit homo». Patres Latini antiquiores sensum Italae secuti sunt. S. CYPRIANUS et S. AUGUSTINUS a caeteris Patribus Latinis dissesdisse videntur. Notetur vero oportet: a) «*Sermo de Nativitate Domini*» non est S. Cypriani, sed in opere cuius titulus est «*Liber de Cardinalibus operibus Christi*», et quod de facto est Ernaldi Bonaevallis Abbatis, coaevi S. Bernardi (saec. XII), invenitur (1). b) «*Sermo IX de Tempore*» inter sermones supposititios S. Augustini adscribitur (2); in libro S. Augustini «*De Civitate Dei*», S. Doctor sex locos messianicos de persona Messiae e libro Ieremiae enumerat et de loco nostro, c. 31, 22b tacet. Unde inter Patres Latinos antiquiores, S. HIERONYMUS solus manet, et primus dici potest qui textum Ieremiae de conceptione virginali Messiae interpretatus est; interpretatio eius ergo potius personalis quam traditionalis est cogitanda (3).

b. L. REINKE, expositis variis explicationibus suo tempore vigentibus, statuit: 1) S. HIERONYMI explicatio admitti nequit, quia sensui verborum *nēqēbāh* et *geber*, quae sunt «nomina sexus» convenire nequit. 2) Ratione contextus, verba «femina circumdabit virum» ad bona messianica sunt referenda. 3) De persona Messiae quaestio non datur, sed de populo israhēlitico (mulier) et de Jahweh (vir), de conversione nempe Israēl ad Jahweh. Sensus igitur esset: tempore messianico Jahweh infirmitatem Israēl sustinebit, sicut vir infirmitatem sustinet coniugis infidelis quae poenitens ad virum suum redit (4). De Maria ergo non ageretur.

Interpretatio L. REINKE 1) nobis manca videtur, praesertim quia Ieremias non dicit quod vir (Jahweh) circumdabit mulierem (populum), sed quod «mulier circumdabit virum». 2) E contextu non patet verba «mulier circumdabit virum» ad tempora messianica esse referenda, nam contextus versatur circa reditum populi ephraimitici ex exilio babilonico et circa restaurationem regni ephraimitici a Jahweh faciendam. Cum L. REINKE admittimus quod secundum contextum femina seu mulier est populus israhēliticus regni Septentrionalis e captivitate rediens, et vir est Jahweh.

c. Plures auctores catholici hodierni nullum nuntium messianicum, neque mariologicum, his verbis Ieremiae subiacere autumant, ita

(1) ERNALDUS BONAEVALLIS, *Liber de Cardinalibus operibus Christi*, P. L. t. 189, c. 1620.

(2) S. AUGUSTINUS, *Sermo* 109, olim *de Tempore* 9, P. L. t. 39, c. 1933.

(3) A. CONDAMIN, *Le texte de Jérémie 31, 22 est-il messianique?* RB. 6, 1897, 400-402.

(4) L. REINKE, *Die messianischen Weissagungen bei den grossen und kleinen Propheten*, 3, 1881, 414-602.

A. CONDAMIN, E. TOBAC, F. NÖTSCHER (1). Auctores isti primo consignant nullam huius textus interpretationem traditionalem haberi. — S. Scriptura enim de hoc textu tacet, et SS. Patres dissentunt - unde narrationis contextum praecipue inspicientes animadvertunt quod vv. 15-20 circa captivos regni Septentrionalis in Babylonia adhuc degentes versantur. Rachel, avia Ephraim, exhibetur uti e sepulchro suo egrediens et videns afflictionem, plorat filios suos in captivitate detentos; Jahweh ei respondit: « revertentur filii ad terminos suos », vv. 15-17. Non solum Rachel, verum etiam populus ipse, poenitens, peccata sua plorat, et Jahweh ut Deum suum agnoscat, vv. 18-19. Jahweh omnia condonare paratus est: « conturbata sunt viscera mea super eum: miserans miserebor eius », v. 23. Haesitatio quaedam inter partem populi captivi manifestatur, eo quod timet ne conditiones vitae in patria peiores sint quam in captivitate. Jahweh animum eis augeat, nam ipse conditiones vitae in patria feliciores reddet, ipse novum quoddam in patria producat: « femina circumdabit virum », populus iterum Jahweh fideliter adorabit, iterum variis amoris ac benevolentiae signis Deo suo cumulabit; ab adultero fiet fidelis, ratione cuius Jahweh cum populo suo novum foedus inibat: « dabit legem suam in visceribus eorum, et in corde eorum scribebit eam: erit eis in Deum, et ipsi erunt ei in populum », *Ier.* 31, 33 (2); Jahweh prosperitatem magnam, felicitatem supremam populo suo adducet, ratione eius conversionis ad Jahweh.

Populus « *neqēbāh* » et Deus « *geber* » rite dici possunt, nam pluries in S. Scriptura unio populi cum Deo matrimonio comparatur et populus Jahweh infidelis, populus adulter, nuncupatur, *Is.* 54, 6-8; *Ez.* 16; *Os.* 2; *Ier.* 2, 2. 20-25; 3, 8; 9, 2. Item reditus populi ad Jahweh, ut novum quoddam in terra Ephraim, a Deo productum, considerari potest, nam prius populus fuit idololatria totaliter a Deo amotus, erat sicut femina viro suo infidelis, quapropter in captivitatem dimissus fuit; nunc vero, gratia Jahweh ad poenitentiam adductus, novam vitam, vitam intimam cum Jahweh in terra sua incipiet, novasque benedictiones a Jahweh accipiet quae in sequentibus cc. 31-33 amplius describuntur. Interpretatio ista convenit cum pluribus aliis locis ipsius libri Ieremiae in quibus Jahweh enixe ac cum summo amore rogat uxorem suam infidelem, adulteram, ut ad ipsum redeat, *Ier.* 16, 13; 23, 8; 24, 6. 7; 29, 14; 30, 3. 14-18; 31, 3-8; 20-22.

(1) A. CONDAMIN, *Le texte de Jérémie 31, 22 est-il messianique?* *RB.* 6, 1897, 396-404. — *Le livre de Jérémie*, 1936, p. 226-227. — E. TOBAC, *Les Prophètes d'Israël*, 2, 1921, 275. — F. NÖTSCHER, *Das Buch Jeremias*, 1934, p. 231: « messianisch ist die Stelle nicht zu verwenden ». — P. HEINISCH, *Theologie des A. T.* 1940, p. 303.

(2) J. VANDERVORST, *Israël et l'Ancien Orient*, 1915, p. 158.

d. J. CLOSEN huic interpretationi opponit 1) principium generale Ieremiae: « Doctrina gratiae, quae secus a Ieremia propheta supponitur, semper quam fortissime effert principium hoc: in ordine gratiae et salutis omnia a Deo tamquam a primo suo principio procedant oportet », *Ier.* 20, 7; 31, 18; *Lam.* 5, 21.

2) Verbis « *femina circumdabit virum* » gratia quaedam annuntiari videtur quae ad ordinem « novi foederis » pertinet; haec gratia erit quasi « creatio novi mundi ».

3) Expressio « *femina circumdabit virum* » intellegenda est in sensu: « mulier viro providet », ille enim est sensus תִּסְבֵּב.

4) « Inter pulcherrimas imagines gratiarum temporis futuri, Ieremias propheta unam percipit, quam perfecte non cognoscit. Tantummodo videt lineas quasdam generaliores, caligine obscuritatis multae involutas. Sed ea, quae videt, fideliter refert, licet sint pauca tantum, sat generalia et obscura... Tamen haec imago, quam videt, est tam pulchra et consolationis plena, ut eam omittere non velit. Videt enim figuram, *personam feminae cuiusdam temporis futuri*, magnae, potentis, plenae simul caritatis. Res autem maxime inaudita, quam percipit, est haec. Semper viri fortis est, tueri feminas. Vir debet pro muliere curare eamque defendere. Sed haec mulier magna, quam videt, non a viro curatur vel defenditur, sed e contra, ipsa est tutela atque defensio etiam fortissimorum virorum. Ipsi apud eam refugia quaerunt et auxilium inveniunt. — Haec videt propheta; et licet ipse minime perfecte perspiciat ea, quae videt, tamen fideliter et recte refert ea pauca, quae percepit: *Deus creabit rem novam in terra: mulier virum proteget*.

5) Difficultas removetur: « Licetne substantivum in casu nostro « *nēqēbāh* » vertere sensu individuali et singulari, aliud, « *geber* », vel sensu colectivo, vel saltem sensu magis indeterminato qui proxime ad collectivum accedit? — Patet neque in textu hoc, neque in Protoevangelio hanc quaestionem ex sola inquisitione philologica textus V. T. plena cum certitudine perfecte decidi posse. Ad hanc rem plene determinandam ipsa vaticinii impletio accedat oportet... Posse misceri sensum individuum et collectivum in eodem contextu certo constat; v. g. ex 2 *Sam.* 7, 13 seq. ubi idem verbum modo agit de Salomone sensu individuo singulari, modo de summa successorum David regis sensu colectivo ».

6) In patronatu quodam, quo mulier magna et benefica omnes, etiam viros fortes, defendit atque tuetur, omnibus consulit et providet. Talem autem mulierem in ordine salutis unam tantum cognovimus, quae est mater Messiae, Beatissima Virgo Maria.

7) Summatim: « *femina circumdabit virum* », vel exactius « mulier providebit viro » impletum est, i. e. ad plenitudinem sensus sui ad-

ductum est in mysterio *maternitatis Beatae Mariae Virginis*, quoniam habet relate ad Christum et mysticum corpus eius » (1).

« Contra hanc pulcherrimam et logicam P. Closen interpretationem, scribit G. ROSCHINI, nullum validum argumentum, ut nobis videtur, opponi potest, illamque maxima probabilitate gaudere censemus » (2).

Conclusioni G. ROSCHINI subscribere vero non possumus.

1) Credimus quod contra interpretationem auctorum Catholicorum supracitatum, doctrina gratiae, prout a propheta supponitur, invocetur non oportet, nam si populus ad Jahweh revertatur, hoc fit evidenter gratia divina, sicut contextus supponit; hortatione Jahweh enim gratia populo offertur, et reditu populi manifestatur populum gratiam oblatam assumpsisse. Secundum hos auctores etiam omnia, in conversione populi ephraimitici, a Deo tamquam a suo primo principio procedunt.

2) Considerato textu, de nuntio circa creationem novi mundi non agitur, sed de productione a Jahweh alicuius rei novae in ipsa terra Ephraim (hebr. bā'āreš), de renovatione regni Septentrionalis, de populo nempe renovato qui ab idololatria maxime ignominiosa ad cultum veri Dei et sui Dei redibit.

3) Verbum sābab, etiam in pō'ēl, non solum « providere » significat, sed alios etiam sensus induit, v. g. sābab in pō'ēl de inimicis psalmistae dicitur qui per civitatem vagantur, Ps. 59, 7. 15; similiter de vigilibus qui super murum civitatis vigilias circumeunt, Cant. 3, 3; insuper versiones principaliores, LXX, Peshitta, Vulgata, in sensu « circumire » variis in his locis verbum sābab in pō'ēl intellexerunt.

4) Certo de muliere temporis futuri loquitur propheta; at quaeenam est illa mulier? estne mulier cuius propheta videt solummodo lineas generaliores, caligine obscuritatis multae involutas? estne femina maior, potens, quae curabit ac defendet viros etiam fortissimos? estne Beata Maria Virgo? Mulier huiusmodi sane e contextu deduci nequit. Contextus de renovatione, de restauratione regni Septentrionalis loquitur. Jahweh vehementer desiderat ut populus poenitens ad patriam suam revertatur, ut in patria sua honorem Deo suo debitum iterum reddat. Porro variis in locis audimus Jahweh easdem preces ad populum suum dirigere, uxorem suam infidelem, populum suum adulterum rogare ut ad cultum veri Dei redeat et fiat ab adultero fidelis, Ier. 16, 13; 23, 8; 24, 6-7; 29, 14; 30, 3. 14-18; 31, 3-8; 20-22. Ad eandem imaginem heic recurrit propheta: illud novum quod Jahweh in terra Ephraim creabit, erit nova mulier, mulier renovata, populus renovatus qui, ido-

(1) J. CLOSEN, *femina circumdabit virum*, Jer. 31, 22b. VD. 10, 1930, 300.

(2) G. ROSCHINI, *Mariologia*, t. II, P. I, 1942, 158.

latria derelicta, ad Deum suum revertetur illique variis amoris ac benevolentiae signis cumulabit; novum foedus Jahweh cum populo suo inibit.

5) Difficultas quoad interpretationem «*n^eqēbāh*» in sensu individuali, et «*geber*» in sensu colectivo semper manet. Neque Protoevangelium est afferendum, nam textus et contextus ostendunt quod «semen mulieris» his in sensu colectivo est exponendum, nulla ratio cogens adest alium sensum assumendi, item in *II Sam.* 7, 13 seq. contextus aperte postulat modo sensum individuum, modo sensum collectivum (1); at quando ratio cogens deficit, semper manet regula hermeneutica: unum idemque substantivum in eodem contextu sumi debet in eodem sensu, nisi adsit ratio cogens quae alium sensum petit. Sane quaestio de sensu alicuius vocis aut propositionis non semper ex sola inquisitione philologica solvi potest, nam ad prophetiam rite explicandam, praeter textum et contextum, etiam S. Scriptura et Traditio sunt invocandae; at, si S. Scriptura et Traditio de vero sensu alicuius propositionis tacent, sicut fit in casu prophetiae *Ier.* 31, 22^b, tunc solummodo textus et contextus manent. P. CLOSEN addit quod ad sensum plene determinandum alicuius propositionis propheticæ, ipsa vaticinii impletio accedat oportet. Hoc est omnino verum quando de sensu prophetiae certo constat; illa vero certitudo heic non datur et sensus prophetiae a priori non est determinandus, sed secundum textum et contextum inquirendus.

Opinio nostra est interpretationem ab E. TOBAC et F. NÖTSCHER expositam, secundum quam prophetia nostra versatur circa «populum ephraimiticum qui ad virum suum Jahweh revertitur, eique variis amoris ac benevolentiae signis cumulabit» esse probabiliorē, quia magis cum contextu consonat. Addi forsā potest hanc restorationem et reditum ad Jahweh esse typum restorationis messianicæ, quia persaepe in V. T. reditus ille uti typus temporis messianici exhibetur. Credimus ergo hanc prophetiam nihil de B. Maria Virgine praenuntiare.

CONCLUSIONES.

1. Opinamur quod argumentum peremptorium non datur probans prophetiam *Geneseos* 3, 15 intēdisse B. Mariam Virginem, neque in sensu litterali, neque in sensu typico.

2. Similiter credimus textum *Ieremiae* 31, 22^b de B. Maria Vir-

(1) F. CEUPPENS, *De prophetiis messianicis in V. T.* 1935, p. 118.

gine non esse explicandum, sed de conversione populi ephraimitae ad Jahweh.

3. *Isaias* 7, 14 praedicat quod B. Maria Virgo erit Mater futuri Messiae et quod filium suum virginaliter concipiet et pariet. Utrum ille filius sit Deus in sensu stricto, *Is.* 9, 5, inter auctores disputatur, unde etiam utrum *Isaias* Mariam matrem Dei praedixerit.

4. Similiter apud *Mich.* 5, 1. 2 Maria certo mater Messiae, secundum quosdam Mater Dei praedicatur; immo locus partus indicatur: in Bethlehem Ephrata.

B) DE MARIOLOGIA IN NOVO TESTAMENTO

I. ANNUNTIATIO B. MARIAE FACTA

(*Lc.* 1, 26-38).

Ratione magni momenti dogmatici, praesertim vv. 34. 35 in quibus futura conceptio virginalis Christi annuntiatur, auctores RADICALES argumenta omnis generis congerere conantur, sive ad horum versiculorum authenticam denegandam, sive ad totius narrationis historicitatem impugnandam. Quoad hanc narrationem de annuntiatione B. Mariae facta, tria ergo sunt exponenda:

A. Textus interpretatio.

B. Versiculorum 34. 35 authenticia.

C. Narrationis historicitas.

A. *Textus interpretatio.*

Pericopa *S. Lucae* 1, 26-38 communiter secundum tres partes dividitur: 1. Angeli salutatio, vv. 26-28. 2. Angeli annuntiatio, vv. 29-33. 3. Quaestio Mariae, responsio angeli, assensio Mariae, vv. 34-38.

1. *Angeli salutatio*, vv. 26-28.

Indicatis temporis, loci ac personarum circumstantiis, vv. 26. 27, angeli salutatio narratur, v. 28. Salutatio fit mense sexto praegnationis Elisabeth, matris Ioannis Baptistae; fit in Nazareth, civitate Galilaeae, fit ab angelo Gabriele et ad Mariam virginem desponsatam Ioseph dirigitur. Momento igitur annuntiationis, Maria erat desponsata ἐμνηστευμένη Ioseph. Quid significat graece verbum μνηστεύω?

Matrimonium apud Iudaeos triplici actu perfectum fuisse communiter asseritur: a) desponsatione quae verbo μνηστεύω designatur; b) sumptione sponsae in domum sponsi, quae verbo παραλαμβάνειν significatur; c) cohabitatione coniugum quae verbo συνέρχεσθαι exprimitur. Matrimonium ergo sumptione sponsae in domum sponsi solemniter celebrabatur et coniugum cohabitatione definitive concluditur. Tempore vero annuntiationis, matrimonium inter Ioseph et Mariam nondum

initum fuisse ex narratione *Matthaei* 1, 18. 24 constare videtur; etenim 1) quando Ioseph ab angelo audivit quod Maria de Spiritu Sancto conceperat, tunc solummodo « accepit coniugem suam » (παρέλαβεν), *Mt.* 1, 24. Matrimonium ergo post conceptionem quae post annuntiationem locum habuit, celebratum fuit, et momento annuntiationis Maria desponsata tantum erat. 2) Maria inventa est in utero habens de Spiritu Sancto « *antequam convenirent* » (πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς), *Mt.* 1, 18. Momento ergo conceptionis et annuntiationis nondum cohabitabant, nondum introducta fuerat Maria in domum Ioseph, matrimonium nondum fuerat celebratum, neque definitive conclusum, unde Maria non erat nisi desponsata, et μνηστευθείσης apud *Mt.* 1, 18 non matrimonium sed desponsationem designat (1).

Quid de his sit cogitandum? Verbum μνηστεύω ter solummodo in Novo Testamento occurrit, et quidem in historia infantiae Iesu, *Mt.* c. 1, 18; *Lc.* 1, 27 et 2, 5. In lingua graeca profana μνηστεύω communiter ad puellam desponsatam designandam. Apud *Lc.* 2, 5 vero, consensu communi ἐμνηστευμένη certo de Maria coniugata praedicatur; « de Maria nuptiis Iosepho iuncta, sed virgine manente », dicit F. ZORELL (2). Cum apud *Lc.* 2, 5 sensus ille sit certus, quaeri potest utrum forsitan idem sensus in duobus aliis S. Scripturae locis, *Mt.* 1, 18 et *Lc.* 1, 27, admitti possit, ita ut momento annuntiationis Maria non solum desponsata sed revera coniugata fuisset.

Contra matrimonium Mariae cum Ioseph ante annuntiationem duplex difficultas e *Mt.* 1, 18 et 24 adducitur: 1) MATTHAEUS 1, 18 dicit quod « *antequam convenirent* » (πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς), i. e. « antequam cohabitarent », inventa est Maria in utero habens de Spiritu Sancto. Cohabitatio vero matrimonii conclusionem definitivam importat. Unde ante matrimonii conclusionem Maria iam erat praegnans, et praegnatio annuntiationem sequitur. Momento igitur annuntiationis Maria non erat coniugata, unde μνηστευθείσης apud *Mt.* 1, 18 de desponsata est explananda. 2) MATTHAEUS 1, 24 narrat quod quando Ioseph ab angelo audivit Mariam de Spiritu Sancto concepisse, *Mt.* 1, 20, tunc solummodo « accepit coniugem suam » (παρέλαβεν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ), tunc tantum matrimonium inter Mariam et Ioseph solemniter celebratur. Celebratio ergo matrimonii sequitur tum Mariae praegnationem, tum Gabrielis nuntium. Narratio igitur Matthaei asserere videtur quod

(1) G. M. PERRILLA, *B. ma Virgo Maria, cum caelestem excepit nuntium, Sancto Ioseph sponsalibus solis, non vero nuptiis iuncta erat*. DTP. 30, 1932, 378-398; 519-531. Desponsatione sponsa libertati suae renuntiat et iam aliquo modo ad sponsum pertinet: a) secundum ius iudaicum sponsa infidels ad instar uxoris culpabilis lapidatione puniebatur; b) morte praematura sponsi, sponsa viduae assimilabatur; c) sicut uxor nonnisi libello repudi dimitti poterat, ita nec sponsa; d) puer tempore sponsalium conceptus, uti legitimus considerabatur.

(2) F. ZORELL, *Lexicon Graecum Novi Testamenti*, 1931, p. 850.

momento annuntiationis, Maria non erat coniugata, sed tantum desponsata; unde verbum *μνηστεύω* apud *Mt.* 1, 18 desponsationem designat.

Utraque difficultas accurate consideretur oportet: AD PRIMAM: Tota difficultas circa sensum verbi *συνέρχομαι* versatur. Etymologie *συνέρχομαι* «convenire» significat; at quia «convenire» varios sensus admittit, narrationis contextus est consulendus. Porro contextus relationem intimam inter «convenire» et «matrimonium» stabilire videtur, et tunc *συνέρχομαι* duplicem sensum habere potest: a) convenire cum scopo cohabitandi ac matrimonium solemniter celebrandi; b) convenire ad actum coniugalem ponendum. Sensus igitur esset, vel «antequam cohabitarent», vel «antequam commercium carnale haberent». Quando S. Scripturam consideramus, verbum *συνέρχομαι* nunquam, praeter *Mt.* 1, 18, in relatione cum matrimonio in N. T. occurrit; quaedam tamen manuscripta K, L, P, legunt in *I Cor.* 7, 5 loco ἦτε verbum *συνέρχῃσθε*, ibique *συνέρχομαι* certo de commercio carnali praedicatur; ex quo constat quod *συνέρχομαι* graece hunc sensum habere potest (1). Sensus ille rite contextui *Matthaei* 1, 18-25 consonat: etenim, prout constat e textu *Isaiac* 7, 14, a Matthaeo citato, Evangelista lectores suos docere intendit matrem Iesu fuisse virginem tam in conceptione quam in partu. Porro partus virginalis aperte exprimitur his verbis: «non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum», *Mt.* 1, 25. Conceptus virginalis cum eadem perspicuitate redditur, si *συνελθεῖν* apud *Mt.* 1, 18, de commercio carnali intellegatur: «antequam commercium carnale haberent, inventa est (Maria) in utero habens de Spiritu Sancto», *Mt.* 1, 18. E contra, si *συνελθεῖν* de sola cohabitatione explicetur, conceptio virginalis minori cum vi exprimitur. Credimus ergo quod sensus «antequam commercium carnale haberent» melius contextui *Matthaei* 1, 18 convenit; quia vero expressio illa non solum de desponsata dici potest, verum etiam de coniugata et praesertim in casu Mariae cuius matrimonium virginale fuit, *Lc.* 1, 34, concludimus quod e textu *Matthaei* 1, 18 probari nequit Mariam momento annuntiationis fuisse tantum desponsatam. Quae conclusio non nova est dicenda, nam MALDONATUS in *Matthaeum* c. 1, 18 scribit: «Pluribus auctoribus, Chrysostomo, hom. IV in Matthaeum, Ambrosio lib. II in Lucam, Theophylacto in Commentariis, et omnibus fere theologis subscribo, vere iam tunc fuisse nuptam (Mariam)» (2).

(1) E. B. ALLO, *Première Eptre aux Corinthiens*, 1934, p. 157.

(2) S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Matth. hom.* 4, 3. 4, P. G. t. 57, c. 42-44. — S. AMBROSIIUS, *Expositiones in Lucam*, l. 2, n. 5, P. L. t. 15, c. 1635. — THEOPHYLACTUS, *In Mt.* 1, 18, P. G. t. 123, c. 135.

AD SECUNDAM: Post nuntium Angeli, certior factus de divina Mariae praegnatione, «*accepit (Ioseph Mariam) coniugem suam*», παρέλαβεν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ. Quaestio heic solvenda est utrum expressione ista solemnisi matrimonii celebratio designetur, ita ut, momento annuntiationis, Maria nondum coniugata, sed solummodo desponsata fuerit?

Expressio παραλαβεῖν τὴν γυναῖκα bis repetitur, *Mt.* 1, 20 et 24; in utroque casu τὴν γυναῖκα est appositio, unde vertendum est: «*accepit Mariam, coniugem suam*» et non «*tamquam seu in coniugem suam*», in hoc ultimo sensu enim graece articulus esset superfluous; item γυνή apud Iudaeos non statum sed sexum designat, unde indifferenter tam de coniugata quam de desponsata praedicatur, sicut vir ἀνὴρ de coniugato et desponsato dicitur.

Quid significat παραλαμβάνειν? In lingua graeca profana stat pro matrimonii celebratione; in lingua graeca biblica praesertim duplicem sensum induit: *a)* communiter significat «*aliquem secum assumere*», in sensu valde generali, vel «*aliquem sibi socium adiungere, aliquem accipere ut secum sit aut secum aliquo eat*», ita *Mt.* 2, 13; 4, 5. 8; 12, 45; 17, 1; 18, 16; 20, 17; 24, 40-41; 26, 37; 27, 27. *b)* At παραλαμβάνειν etiam de «*assumptione seu acceptione spirituali, de acceptione doctrinae alicuius magistri*» praedicatur, *I Cor.* 15, 3; *Gal.* 1, 19, vel de «*acceptione alicuius personae*», aliquem qui ad me venit agnosco vel admitto, item de «*acceptione alicuius facti seu situationis*», *Ioan.* 1, 11; *I Cor.* 15, 1. 3; *Phil.* 4, 9 (1).

Cum παραλαμβάνειν variis in locis hos diversos sensus habere possit, sensus quem expressio apud *Mt.* 1, 20 et 24 habet contexta oratione est determinandus. De solemnisi matrimonii celebratione quaestio haberi non videtur quia παραλαμβάνειν frequenter in S. Scriptura occurrens, in locis supracitatis nunquam hunc sensum admittit. Considerando vero contextam orationem credimus verbum παραλαμβάνειν rite explicari posse in secundo sensu supra tradito, nempe de acceptione alicuius situationis: quia de praegnatione supernaturali Mariae certior factus est, Ioseph hanc situationem accepit et Mariam coniugem suam retinuit et non dimisit. Si insuper sumamus μνηστεύω in sensu quem certissime apud *Lc.* 2, 5 (de muliere coniugata) habet, tunc nulla amplius difficultas in narratione *Mt.* 1, 18-25 remanet, omnia contextae orationi perfecte correspondent, quod fusius explicatur: Quando Ioseph Mariae graviditatem perspexit, valde perplexus fuit; ex una parte, de perfecta Mariae puritate dubitare non potuit; ex alia parte facta evidentia convictioni suae palam dissentiant, nam difficile de conce-

ptione virginali ac supernaturali cogitare potuit. Quod concives anxietatis Ioseph participes etiam fuerint, ex evangelio non constat; Matthaeus de solo Iosephi loquitur: « noluit Mariam traducere, sed occulte dimittere illam », *Mt.* 1, 19. Omnes alii ergo casum Mariae normalem iudicare videntur. Etenim quod Maria et Ioseph a quibusdam mensibus matrimonio coniuncti primum suum puerum expectant, extraneis valde normale apparere debet. Solus Ioseph scit puerum conceptum non esse suum; ipse solus his anxius curis tacite inquit quid sit faciendum. Declarare se non esse huius filii patrem? Nullatenus, quia sic Mariam, cuius incomparabilem puritatem cognoscit, adulterio accusaret. Simpliciter vitam quotidianam cum Maria persequi ac si nihil extraordinarii advenisset? Nequaquam, quia tunc accipere deberet paternitatem alicuius pueri cuius origo ei plane ignota erat; hoc esset contra propriam suam dignitatem et honestatem. In sua perplexitate unam tantum solutionem perspicit: divortium absque adulterii accusatione: « voluit occulte dimittere eam », *Mt.* 1, 19, forsan mediante libello repudii; libellus repudii dicet solummodo quod uxor ei non amplius placet, *Deut.* 24, 1. Expressio « voluit occulte dimittere eam » significare etiam potest quod Iosephi clam abire voluit, clam Nazareth derelinquere, quin aliquem admoneat; uxor sua tunc ut vidua consideraretur, et puer uti suus agnosceretur. Audita vero explicatione angeli, Ioseph nunc situationem Mariae cognovit illamque admisit atque Mariam domi retinuit et cohabitationem persequitur. Qua in interpretatione παραλαμβάνειν de alicuius situationis agnitione accipitur, sicut apud *Ioan.* 1, 11; *I Cor.* 15, 1. 3; *Phil.* 4, 9, et μνηστεύω in sensu *Lucae* 2, 5 de puella coniugata praedicatur. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS cuius lingua graeca fuit materna, παραλαμβάνειν de matrimonio iam inito interpretatus est: « Quid vero significant illud « accipere » (παραλαμβάνειν), inquit S. Ioannes Chrysostomus? Domi retinere: iam enim illam animo dimiserat. Hanc dimissam retine, quam tibi Deus tradit, non parentes: tradit autem non ad nuptias, sed ut cum illa habites » (1).

Sententia igitur nostra est quod, non obstantibus difficultatibus supra indicatis, possumus etiam apud *Matthaeum* 1, 18 et apud *Lucam* c. 1, 27, interpretari μνηστεύω sicut apud *Lucam* 2, 5, non de simplici desponsata, sed de coniugata. Unde, salvo meliori iudicio, credimus quod, momento annuntiationis, Maria iam fuit Ioseph coniugata (2), vel saltem ex S. Scriptura cum certitudine probari nequit, Mariam non fuisse nisi desponsatam.

(1) S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Mt. hom.* 4, n. 6. P. G. t. 57, c. 46.

(2) H. DIEPEN, *Cum esset desponsata. Een geval van theologische exegeze. Ons Geloof*, 28, 1916, 147-167. — D. FRANGIPANE, *Utrum B. V. M. ab angelo salutata in domo Ioseph coniux fuerit? V. D.* 25, 1947, 99.

v. 28. Ingressus domum Mariae (1), angelus ei salutavit: « *Ave, gratia plena, Dominus tecum*: χαῖρε, κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ » (2). Angelus, qui lingua vulgari aramaica usus est, salutationem biblicam šālôm, in Oriente a Semitis adhibitam, pronuntiavit, asserunt plerique exegetae; angelus « pacem » (šālôm) exoptavit (3). Salutatio vero prout apud *Lucam* 1, 28 traditur est essentialiter graeca, inquit M. J. LAGRANGE et J. VOSTÉ, nam voce χαῖρε non pax sed gaudium exprimitur; Graeci enim gaudium et non pacem exoptant (4).

Circa hanc sententiam M. J. LAGRANGE, quaedam animadversiones proponuntur ab S. LYONNET: 1) Pluries in evangeliiis salus semitica χαῖρε redditur: Iudas Magistrum salutatur: χαῖρε ῥαββί, *Mt.* 26, 49; et Iesus ipse, post suam resurrectionem mulieres salutatur dicens: χαῖρετε, *Mt.* 28, 9.

2) Tota narratio Lucae manifeste characterem semiticum habet et expressionibus versionis LXX exponitur. Porro salutatio semitica šālôm apud LXX voce εἰρήνη et nunquam voce χαῖρε exprimitur. Si ergo χαῖρε esset salutatio pure graeca, sat mirum esset illam in narratione essentialiter semitica invenire. Unde χαῖρε etiam usum semiticum habere debet.

3) Vox χαῖρε versioni LXX ignota non fuit, nam quater occurrit: *Soph.* 3, 14; *Ioel.* 2, 21; *Zach.* 9, 9 et *Lam.* 4, 21 et quater cum sensu « laetare »; insuper notatu dignum iudicamus quod in tribus prioribus locis adhibetur ad laetum nuntium messianicum introducendum; quo in sensu SS. Patres etiam heic terminum χαῖρε interpretati sunt. Unde iam ab initio suae salutationis, et etiam postea, angelus in mentem virginis verba prophetica revocat, verba A. T., verba semitica, quae ad gaudium et iubilationem hortantur, et quae constituunt notam valde characteristicam omnis nuntii messianici, tam in A. T. quam in N. T., cfr. *Lc.* 1, 14. Habermus ergo simul salutationem cum hortatione et ad gaudium (5).

Hanc interpretationem parum probabilem reputat P. JOTTON, eo quod perturbatio virginis simul cum exhortatione ad gaudium vix componi potest; si enim angelus Mariam ad gaudium invitasset, ipsa

(1) *Protoevangelium, Iacobi*, 11, 1 salutationem angeli in via ponit quae a fonte ubi Maria communiter aquam hausit ad domum suam conducit; annuntiatio ipsa vero domo Mariae esset facta. Auctor huius apocryphi voluit probabiliter duplicem traditionem conciliare, unam quae annuntiationem prope fontem posuit, et aliam in ipsa domo Mariae.

(2) Verba « *benedicta tu in mulieribus* » deficiunt in Sin. Vat. et Paris., in versionibus copticis et armenis, in editionibus criticis; interpolationem e v. 42 desumptam constituunt. Si authentica fuissent, omissio eorum vix explicari posset.

(3) A. MÉDEBIELE, *Annonciation*, DBS. 1, 1928, 282-283.

(4) M. J. LAGRANGE, *Evangel. de S. Luc.*, 1921, p. 28. — J. VOSTÉ, *De Conceptione virginali Jesu Christi*, 1933, p. 9.

(5) S. LYONNET, Χαῖρε κεχαριτωμένη, *Bibl.* 20, 1939, 131, 138.

ab initio exsultasset, sciens quod omnis invitatio ex parte Dei infallibiliter suum effectum attingit (1).

At quod, non obstante huiusmodi invitatione ad gaudium, Maria, puella, pauper, humilis ac devota, primo instante, apparitione nuntii coelestis suam excellentiam laudantis, fuit in sua humilitate valde perturbata, facile intellegi potest.

Verbum principale huius salutationis est *κεχαριτωμένη*, quod Vulgata «*gratia plena*» vertit. Forma *κεχαριτωμένη* est participium passivum perfectum verbi *χαριτώω*. Verba graeca denominativa in *ὄω* abundantiam quamdam denotant; tempore activo *χαριτώω* significat «aliquem gratia ornare seu cumulare», et in hoc sensu docet S. Paulus quod Deus Christifideles gratia ornavit seu cumulavit, *ἐχαρίτωσεν*, *Eph.* 1, 6; tempore passivo significat «gratia quadam abundanter esse ornatum», et in perfecto passivo: «modo firmo ac stabili gratia abundanter esse ornatum».

Quaenam sit illa gratia qua B. Maria abundanter et modo stabili iam est ornata? Verbum *χαριτώω* bis tantum in A. T. occurrit et quidem in sensu diverso: 1) praedicatur de gratia *in sensu physico*, de pulchritudine externa, physica, de corpore gratioso, *Eccli.* 9, 8; 2) *in sensu morali*, de favore divino, de benevolentia Dei asseritur in *Eccli.* 18, v. 17 (2). Item in N. T. bis tantum *χαριτώω* legitur, nempe heic, *Lc.* 1, 28 et *Eph.* 1, 6: «in laudem gloriae gratiae suae, in qua gratificavit (*ἐχαρίτωσεν*) nos in dilecto Filio suo». Deus desiderat ut gratia sua agnoscatur et ab hominibus laudetur, et non solummodo gratia sua, sed gloria gratiae suae, i. e. illa divina benevolentia, illa divina liberalitas quae splendide in nobis manifestatur per gratiam adoptionis qua ornavit nos Deus, vi unionis nostrae cum Filio suo dilecto et etiam per hunc Filium. Unde in sensu morali sumitur *ἐχαρίτωσεν* in *Eph.* 1, 6 (3).

Apud *Lucam* 1, 28 verbum *χαριτώω* in sensu morali certo est sumendum: Maria *gratia divina plena* salutatur, quia Dominus cum illa est. Unde «Dominus tecum» non votum exprimit (sit), sed iudicium continet (est), et reddit rationem quare Maria gratia plena salutatur (4). Quoad expressionem «*Dominus tecum*» adnotat U. HOLZMEISTER: 1) quod illa formula in S. Scriptura nunquam de homine in conditionibus con-

(1) P. JOÜON, *L'Annonciation* (*Lc.* 1, 26-38), *NRT.* 66, 1939, 797, n. 8: «Il ne nous paraît pas très vraisemblable que Gabriel ait commencé son message *ex abrupto* par un «Réjouis-toi!» Si Marie avait ainsi compris, elle aurait été immédiatement envahie par un sentiment irrésistible de joie, cette invitation, venue de Dieu, ne pouvant manquer son effet. En conséquence, Marie n'aurait pas été troublée, et l'ange n'aurait pas eu à lui dire: «ne crains pas, Marie».

(2) P. BONNETAIN, *Grâce, acceptions du mot dans l'A. et le N. Testament*, *DBS.* 3, 1938, 752.

(3) F. PRAT, *La Théologie de S. Paul*, 2, 1923, 105-107.

(4) M. J. LAURANCE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 28. — F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 1440. — L. MARCHEL, *Ev. de S. Luc*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 27.

suetis posito affirmatur, sed dicitur a) vel de ipso populo Dei speciatim electo divinitusque protecto; vel b) de viro quodam singulari, cui Deus officium magnum ac durum imponit. 2) Praepositio *‘im, μετά, cum*, importat praesentiam Dei efficacem, qui hominem dirigit ad illud opus quod ei divinitus est impositum. Unde expressio « *Dominus tecum* » indicat 1) quod Mariae magnum at durum officium a Deo imponitur; 2) quod Deus Mariae auxilia specialia praebit ad officium ei impositum rite perficiendum. Officium Mariae impositum, uti statim videbimus, est maternitas divina. Officium illud revera est magnum, sed arduum, nam a) puritas extraordinaria in matre Dei sanctissimi praerequitur; b) secum annexum habet virginitatis donum, eo in tempore quasi incognitum ac gravissimae suspicioni subiectum; c) vitam affert dolorosam, nam gladius doloris animam suam pertransibit; ipsius enim Filius est signum cui contradicetur, *Lc. 2, 34* (1).

Momento ergo annuntiationis, iam ante Christi conceptionem, Maria plena gratia salutatur, et de facto iam erat plena gratia; plenitudo illa Mariae non competit ratione praesentiae Filii Dei in utero suo materno, sed ratione officii ad quod divinitus est vocata, et illud munus est maternitas divina, *Lc. 1, 31. 32*. Deus ab aeterno Mariam praedestinavit ad illud munus perfecte adimplendum, quapropter ut sit digna mater filio suo ei modo permanente hanc plenitudinem gratiae contulit. Plenitudo illa Mariae soli competit; titulus enim *κεχαριτωμένη* antonomastice de Maria praedicatur; est quasi nomen proprium Virginis, sub quo angelus Mariam alloquitur, et quo certo quid mirum, quid particulare, quid ei omnino proprium denotatur, aliquid quod inter homines ignoratur, et quo Maria prae caeteris eminet. Apostoli et Christifideles sane multas et insignes gratias a Deo acceperunt, nunquam tamen aliquis, Maria excepta, « gratia plenus » antonomastice proclamatur. Plenitudo gratiae, qua Maria dotatur, excedere videtur omne quod unquam alicui creaturae, Christo excepto, concessum fuit. Plenitudo illa sane crescere potest et de facto crevit momento salutationis ac conceptionis in ordine ad novum officium rite ac perfecte adimplendum; est quasi complementum quod superplenitudo dici posset (2).

Quid importat illa plenitudo gratiae? Ex solis verbis angeli huius plenitudinis extensio difficile determinari potest. Importatne praeter multas alias gratias ad officium suum rite perficiendum necessarias, etiam sanctificationem B. Mariae a peccato originali iam in utero matris

(1) U. HOLZMEISTER, *Dominus tecum*, *Lc. 1, 28. VD. 23, 1943, 260-261; 232 seq.*

(2) E. MANGENOT, *Immaculée Conception, DTC. 6, 1921, 863.* — P. BONNETAIN, *Grâce, l'Aurore du salut, DBS. 3, 1938, 947.* — *Immaculée Conception. La salutation angélique, DBS. fasc. 19, 1943, 255.*

suae? At quare tunc Mariam antonomastice κεχαριτωμένη vocare? cum etiam Ioannes Baptista hoc privilegio dotatus fuerit, *Lc.* 1, 15. Vox κεχαριτωμένη quid altius, quid eximius designare videtur; importatne forsitan immaculatam B. Mariae conceptionem? Nulla aperta determinatio sane adest, at, cognito ex una parte dogmate Immaculatae Conceptionis et animadvertendo ex alia parte quod de privilegio Mariae proprio agitur, fundamentum huius dogmatis in nuntio angelico inveniri potest, nam plenitudo gratiae non erit perfecta, neque privilegium unice Mariae reservatum, nisi se extendat usque ad primum momentum existentiae personalis Mariae.

Concludere igitur possumus dogma Immaculatae Conceptionis B. Mariae apud *Lc.* 1, 28 esse insinuaturn, non vero clare neque aperte assertum.

2. *Angeli annuntiatio*, vv. 29-33.

v. 29. *Cum audisset* Maria nuntium caelestem suam excellentiam proclamare, *turbata est in sermone eius*; ratio perturbationis est ipsa salutatio angeli, ratione sermonis angeli: ἐπὶ τῷ λόγῳ. Perturbatio Mariae multo profundior quam perturbatio Zachariae videtur: Maria enim διεταράχθη, *Lc.* 1, 29; Zacharias autem ἐταράχθη tantum, *Lc.* 1, 12. Maria in sua humilitate commota fuit, non vero in suis facultatibus superioribus, nam Lucas addit quod *cogitabat* (διελογίζετο), secum perpendebat, *qualis esset ista salutatio*; graece διαλογίζομαι attentam deliberationem denotat. Maria salutationis verba intellexit et de his praecise miratur, eo vel magis quod, a legato divino, a Deo ergo provenientia, de eorum veritate dubitare non potuit. At quare ista salutatio? Quid illi vult angelus? Maria suspicatur quod si Deus illam tot ac tantis gratiis cumulaverit, hoc non potest esse nisi quia Deus quid magnum circa ipsam mente conceperit. Angelus ergo hac inconsueta salutatione Virginis attentionem evigilavit, quod S. THOMAS acute animadvertit dicens: « Animo humili nihil est mirabilius quam auditus suae excellentiae; admiratio autem maxime attentionem animi movet, et ideo volens mentem virginis attentam reddere ad auditum tanti mysterii, ab eius laude inceptit » (1).

v. 30. Maria *cogitabat* διελογίζετο, consilium divinum circa propriam suam personam cognoscere desideraret, nihil tamen respondit angeli salutationi. Angelus Mariae perplexitatem perspiciebat, perturbationem eius componere conatur, addens: « *ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum* ». Ad fiduciam inspirandam, angelus

(1) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. xxx, a. 4, ad 1^{um}. — A. MÉDEBIELLE, *Annonciation*, DBS. 1, 1928, 284.

Mariam nomine suo proprio vocat: « Ne timeas, *Maria* », et quare timere non debet? quia gratiam apud Deum invenit. « *Gratiam apud Deum invenire* » pluries in A. T. legitur, ibique asseritur de illo qui divina benevolentia gaudet et qui ad beneficia accipienda dignus iudicatur; ita Noë, *Gen.* 6, 8; Moyses in *Exod.* 33, 12-16; Gedeon, *Iudic.* c. 6, 17. Maria etiam divinis beneficiis digna iudicatur. Angelus in vv. 31-33 amplius determinat beneficium quo Maria digna iudicatur:

v. 31. *Ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum*; v. 32 *hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius*: v. 33. *et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis*. Haec verba veram prophetiam constituunt et duae partes animadvertuntur: altera respiciens matrem v. 31; altera filium, vv. 32. 33.

a. *Quoad matrem*: 1) Formula « *ecce concipies et paries filium* » magnam habet similitudinem cum nuntio nativitatis Ismaëlis, *Gen.* 16, 11 et Samsonis, *Iud.* 13, 3-5. At Lucas qui modo speciali insistere videtur in virginitate Mariae vv. 26. 27, manifeste alludit ad *Isaiam* 7, 14; situationis enim identitas datur: virgo quae fiet mater, et mater filii mirabilis, filii salvatoris populi sui.

2) Propositio « *vocabis nomen eius Iesum* », mandatum Mariae impositum includit, sicut apud *Isaiam* 7, 14, quo manifestatur ipsam etiam partem activam habere, nempe nomen puero dabit, quod est contra omnes consuetudines Orientis, et nomen illud erit *Iesus*, i. e. Jahweh salvavit, vel Jahweh est salus (1).

b. *Quoad puerum*: 1) *Hic erit magnus*, Ioannes Baptista etiam *erit magnus*, *Lc.* 1, 14, non tamen simpliciter, non modo absoluto, sed cum restrictione: « *coram Domino* »; filius vero Mariae *erit magnus* simpliciter, absque ulla restrictione.

2) *Et Filius Altissimi* (ὁ υἱὸς ὑψίστου) *vocabitur*; in v. 35 idem Filius υἱὸς Θεοῦ, filius Dei vocabitur, unde filius Dei et filius Altissimi est unus et idem. Quia ὑψίστος est nomen proprium quo Iudaei Deum unicum designaverunt, plerique exegetae catholici concludunt has expressiones in vv. 32 et 35 in sensu stricto de filiatione divina naturali pueri esse intellegendas (2).

Notetur vero oportet 1) quod « *filius Dei* » non necessario filiationem divinam naturalem importat, nam pluries in A. T. de angelis, de populo electo, de regibus, de iudicibus asseritur; 2) quod contextus vv. 31-33 circa naturam humanam filii nascituri versatur: etenim expressiones

(1) P. JOÜON, *L'Annonciation* (*Lc.* 1, 26-38). *NRT.* 66, 1939, 795.

(2) L. MURILLO, *El cumplimiento de los vaticinios proféticos*, *Bibl.* 5, 1924, 259-269; 287-293. — A. MÉDEBIELLE, *Annonciation*, *DBS.* 1, 1928, 286.

«sedebit super thronum David patris eius, regnabit in domo Iacob in aeternum, regni eius non erit finis» ex A. T. desumuntur ubi istae qualitates de futuro Messia praedicuntur. In contextu nostro ergo istis expressionibus designantur qualitates quae puero nascituro uti Messiae conveniunt. Contextus immediatus ergo dicere videtur quod filius Mariae «filius Altissimi» vocabitur, et quidem modo peculiari, ratione dignitatis suae messianicae, quia erit Messias, non necessario ratione suae divinae naturae, quia erit filius Dei naturalis.

3) *Regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.* Propheta Nathan pro dynastia davidica ad quam Messias futurus pertinebit regnum sempiternum praenuntiaverat, *II Sam.* 7, 11-16; disertis verbis vero de Messia locutus non erat, sed globatim de tota dynastia. Angelus nunc annuntiat quod vaticinium Nathan, in persona quadam determinata, in filio Mariae nascituro, in Messia plenam suam adimpletionem habebit: erit enim de domo David, sedebit super thronum David patris sui, et regni eius non erit finis. Qua ultima propositione sumus iam in ordine supernaturali, inquit M. J. LAGRANGE, nam quod infinitum est ad res humanas non pertinet (1).

Quid intellegere potuit Maria de hac declaratione angeli? Maria quae, sicut quicumque Iudaeus fidelis ac devotus libros sacros et praecipue prophetias messianicas meditabatur, sensum saltem substantialem horum verborum intellegere debuit, quae omnia ad futurum Messiam, ad eius nativitatem, dominium ac regnum aeternum se referebant: *Isaias* enim virginem praedixerat quae Emmanuel-Messiam conciperet et pareret, *Is.* 7, 14; *Isaias* et *Psalmista* nuntiaverant quod Messias sedem patris sui David occuparet, *Is.* 9, 5; *Ps.* 89, 5; *Daniel* demum vaticinatus est quod regnum Messiae in aeternum duraret, *Dan.* 7, 14. Circa huius nuntii sensum ergo, Maria vix dubium nutrire potuit; intellegere debuit quod ipsa, tamquam mater huius novi David, Messiae, filii Altissimi, a Deo electa erat. Difficultas tamen quaedam statim in mente sua oritur: Angelus praedixit quod puer «*super thronum David patris sui sedebit*», quod ergo ad posteritatem David pertinebit, quod sicut omnes posteri David copula carnali concipiendus erat. Secundum legem vero puer nasciturus filius David vocari nequebat, nisi pater ipse esset de domo David; Maria ergo supponit, saltem tamquam possibilitatem, quod puer praenuntiatus, ut esset filius David, deberet virum suum Ioseph uti patrem habere (2). Circa hanc rem, circa modum quo ista conceptio fiet, aliquam explicationem ex parte angeli desiderat: «*quomodo fiet istud*», et ratio quare ista explicatio desideratur est

(1) M. J. LAGRANGE, *Ép. de S. Luc.*, 1921, p. 31.

(2) P. JOÜON, *L'Annonciation* (Lc. 2, 26-38), *NRT*, 66, 1939, 795.

«*quoniam virum non cognosco*». Haec sunt prima verba B. Mariae in Evangeliiis narrata.

3. Quaestio Mariae; responsio angeli; assensus Mariae, vv. 34-38.

A. HARNACK assertit hos vv. 34-35 esse interpolatos sive a Luca ipso, postquam Evangelium suum iam composuerat, sive a quodam amanuensi; ratio est quia quaestio «*quomodo fiet istud?*» ex parte desponsatae et a fortiori ex parte coniugatae nullum sensum habet (1). De his vero infra.

a. Quaestio Mariae, v. 34.

Circa nuntium angeli Maria explicationem desiderat, unde petit v. 34: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, οὐ γινώσκω? Duo statim sunt animadvertenda: 1) Maria nullum dubium circa possibilitatem facti, circa nativitatem filii ex ipsa, exprimit, credere non recusavit, 1, 45; neque signum peculiare ab angelo petit, uti fecit Zacharias 1, 18, quo manifestaret missionem suam revera esse divinam. 2) Expressio «*virum cognoscere*», in linguis semiticis, et etiam in S. Scriptura, in contextu sexuali, de relationibus coniugalibus, de copula carnali praedicatur.

Quisnam sit sensus quaestionis Mariae?

Explicatio sat singularis ab S. LANDERSDORFER O. S. B. proponitur, qui credit quod angelus, aramaice locutus, expressionem *hinnāh^e hārāh* A. T. communem adhibuit, quae tum praeteritum, *Gen.* 16, 11, tum futurum, *Iud.* 13, 3. 5; *Is.* 7, 14 in S. Scriptura respicit. Angelus de futuro locutus est «*ecce concipies*», Maria vero de praeterito intellexit «*ecce concepisti*»; ex quo exclamatio miratione plena: «*quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*»? Virgo sum, quomodo iam concepissem! Maria dixisset aramaice «*quomodo factum est istud*»? sed Lucas ad errorem Mariae corrigendum, futurum adhibuit, sicut angelus intendit (2).

Quae interpretatio nobis non placet, etenim: a) Maria, quae verba angeli de praeterito intellexit, supponit ergo ex parte angeli, divina legatione onerati, errorem circa statum suum praesentem; dixit enim «*ecce concepisti*», et de facto «*non concepit*»; estne verisimilis huiusmodi suppositio? b) Similiter valde mirum videtur factum quod Maria expressionem aramaicam quae, tum de praeterito, tum de futuro praedicatur, intellexerit in sensu statui suo praesenti plane opposito (ecce concepisti) dum intellegi potest in sensu qui suo statui praesenti convenit (ecce concipies). Unde admittimus quod *hinnāh^e hārāh* tam de

(1) A. HARNACK, *Zu Lc.* 1, 34. 35, *ZNW.* 1, 1901, 53.

(2) S. LANDERSDORFER, *Bemerkungen zu Lukas*, 1, 26-38, *BZ.* 7, 1909, 70.

praeterito quam de futuro praedicari potest, sed credimus quod vi contextus in nostro loco de futuro est intellegendum et quod eo in sensu Maria hanc expressionem intellexit; et tunc manet quaestio: quid significat interrogatio Mariae: « quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? »

Plerique auctores non Catholici, inter quos F. GODET, J. L. HAHN, H. GUNKEL, autumant Mariam verba angeli neque de praeterito, neque de futuro intellexisse, sed de tempore praesenti, de conceptione nempe statim adventura, quapropter ab angelo petit: « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco », quoniam usque nunc nullam relationem carnalem cum homine habuit? Sic etiam CAIETANUS hunc locum interpretari videtur (1).

Explicatio ista a prima distinguitur in hoc quod omnem errorem ex parte angeli circa statum praesentem Mariae removet; convenit vero cum prima in hoc quod omne propositum aut votum B. Mariae virginitatem perpetuo servandi e narratione Lucae excludit.

Quoad interpretationem diversa notanda sunt: a) Angelus in suo nuntio ab omni temporis determinatione abstrahit; dixit enim « ecce concipies », quod potest esse statim, hic et nunc, at potest etiam post aliquod tempus fieri; nuntium angeli primario maternitatem B. Mariae respicit et secundo huius maternitatis tempus. - b) Maria ad factum designandum quod usque nunc locum nondum habuit, melius aoristum οὐκ ἔγγων quam praesens οὐ γινώσκω adhibuisset; caeteroquin οὐ γινώσκω non solum tempus praesens denotat, verum etiam futurum perenne in se includere et designare potest (2). — c) Si admittatur Mariam iam fuisse coniugatam momento annuntiationis, quaestio Mariae in ista interpretatione non intellexeretur, nam relationes conjugales habere potuit quando voluit, consequenter « concipere ».

A. MÉDEBIELE quaestionem Mariae dupliciter intellegi posse contendit: 1) vel Maria votum virginitatis habuit illudque votum uti obstaculum futurae suae maternitati consideravit; unde quaestio Mariae significaret: quomodo cum voto seu proposito servandi virginitatem possum ego mater huius pueri fieri? 2) vel Maria votum suum uti obstaculum suae maternitati non consideravit; Maria enim vi suae electionis, lumina specialia a Deo accepit, ratione quorum cognovit et intellexit prophetias A. T. circa Messiam, inter quas prophetia *Isaiae* 7, 14 numeratur: audiens ergo nuntium angeli statim intellexit Maria 1) quod

(1) F. GODET, *Commentaire sur l'Evangile de Luc*, 1888, p. 27. — J. L. HAHN, *Das Evangelium des Lukas*, 1894, p. 34. — H. GUNKEL, *Zur religionsgeschichtl. Verständnis des N. T.* 1903, p. 67.

(2) U. HOLZMEISTER, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, *Lc.* 1, 34. *VD.* 19, 1939, 72.

Deus ipsam elegerat ut mater esset futuri Messiae et 2) quod conciperet et pareret, secundum Isaiam, virginaliter; votum ergo suum virginitatis suae maternitati obstaculum constituere non potest, et quaestio Mariae versatur tantum circa modum quo ista conceptio «virginalis» fiet. In hoc sensu quaestio a Maria posita intellegenda esset (1).

Primo quaeri potest utrum Maria revera illud donum, illud lumen supernaturale «*omnem sensum*» prophetiarum messianicarum A. T. perspicendi acceperit. Deinde quando prima pars quaestionis «*quomodo fiet istud*» separatim consideratur, tunc ista verba sane intellegi possunt sive de modo quo conceptio ista cum voto suae virginitatis conciliari potest, sive de modo quo ista conceptio «virginalis» fiet. At Maria hanc primam partem magis determinavit addens: «*quoniam virum non cognosco*». Si Maria nuntium de conceptione «virginali» intellexisset, et explicationem circa modum huius conceptionis «virginalis» petiisset, tunc ista additio Mariae esset omnino inanis, nam in conceptione «virginali» vir partem non debet habere. Si e contra Maria nuntium intellexisset non de conceptione «virginali» sed de sola conceptione futuri Messiae, sicut conceptio communiter fit, tunc ista additio Mariae suam rationem essendi habet, nam omnis conceptio e coitu viri cum femina nascitur; Maria vero propositum vel votum virginitatis habet, propositum seu votum non habendi relationes carnales cum homine. Quomodo ergo hanc conceptionem cum isto voto vel proposito conciliare?

Opinamur ergo quod secundum contextum interpretatio A. MÉDEBIELLE non est probabilis; credimus quod quaestio Mariae versatur circa modum quo conceptio ista praenuntiata ab angelo cum voto suo conciliari potest, potius quam circa modum quo conceptio «virginalis» fiet.

Singularis exegesis huius v. 34 a DONATO HAUGG proponitur. 1) Propositum seu votum virginitatem perpetuo servandi excludendum est, et quidem propter duo: a) quia in A. T. matrimonium, cui mater-nitas adiungitur, uti status naturalis et normalis mulieris iudicatur; b) quia intentio Mariae matrimonium ineundi non intellegeretur, si Maria intentionem non habuisset illud consummandi; Maria enim sicut omnis desponsata de matrimonio cogitavit et in animo habuit statum coniugalem cum omnibus iuribus ei annexis conducendi. En rationes quare votum virginitatis est excludendum. — 2) His praenotatis, considerat D. HAUGG textum et contextum. Quando Maria audivit angelum dicentem «ecce concipies et paries filium», neque dubium, neque recusationem, neque quaestionem curiositatis nimis candidae ipsa proposuit

(1) A. MÉDEBIELLE, *Annonciation*, DBS. 1, 1928, 289, 290.

in sua responsione, sed veram anxietatem animi psychologice manifestavit. Maria cognovit ex A. T. diversas natiuitates mirabiles, Ismaëlis, *Gen.* 16, 9 sq.; Samsonis, *Iud.* 13, 2-25; cognovit etiam conceptionem miraculosam Ioannis Baptistae, *Lc.* 1, 36; in his omnibus Deus peculiari modo intervenit, omnes tamen absque ulla legis naturalis mutatione, copula nempe carnali, factae sunt. Maria igitur intellexit declarationem angeli eo etiam in sensu, scilicet quod ipsa etiam heic et nunc eodem modo, carnaliter, concipere debebat. Maria vero erat filia Jahweh fidelis et ante vitam suam communem cum Ioseph, ante celebrationem solemnem matrimonii, relationes carnales cum Ioseph habere nolebat. Anxietas ergo eius consistit in hoc quod ex una parte credidit quod heic et nunc carnaliter concipere debebat, et ex alia parte quod fidelitas sua Jahweh has relationes prohibebat; quae anxietas quaestione Mariae manifestatur: quomodo fiet istud, quomodo possum heic et nunc concipere, quia pro momento relationes carnales habere non possum et non volo? Responsio angeli v. 35 animum Mariae composuit. — 3) Quando vero Maria audivit explicationem angeli dicentis quod virginally et supernaturaliter conciperet, tunc virginitatem suam Deo perpetuo vovere statuit; Ioseph circa illud propositum admonitus sponsalia retinere ac in statu virginitatis perpetuae cum Maria vivere annuit (1).

Notandum est ante omnia quod in ista interpretatione quaedam gratis asserta habentur: 1) quod Maria sicut omnis desponsata, ante suum matrimonium cum Ioseph, in animo habuit statum coniugalem cum omnibus iuribus ei annexis conducendi; 2) quod Maria tantummodo post explicationem ab angelo in v. 35 traditam, suam virginitatem Deo perpetuo vovere statuit.

Deinde quaedam interpretationes D. HAUGG sunt emendandae: — 1) Angelus de tempore conceptionis modo valde indeterminato loquitur: «ecce concipies...»; conceptionem et partum annuntiat, de temporis determinatione abstrahit; unde ex verbis angeli «ecce concipies et paries» Maria deducere non potuit conceptionem statim, hic et nunc esse adimplendam. Similiter ex ipsa responsione Mariae «quoniam virum non cognosco», nempe e tempore praesenti γινώσκω a Maria adhibito, deduci nequit Mariam verba angeli de conceptione immediata intellexisse, nam, uti supra iam animadvertimus, γινώσκω non solum tempus praesens denotat, sed etiam futurum perenne in se includere ac designare potest, quod D. HAUGG concedere videtur (2). Unde

(1) D. HAUGG, *Das erste biblische Mariawort, Eine exegetische Studie zu Lukas, 1, 34.* HILDESBACH, 1938.

(2) U. HOLZMEISTER, «Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco», *Lc.* 1, 34. *VD.* 10, 1930, 72. — D. HAUGG, *Das erste biblische Mariawort*, 1938, p. 46.

praesens γυνώσκω non prohibet quin verba Mariae etiam de proposito aut voto virginitatem semper servandi explicari possint (1). — 2) Si, momento annuntiationis, Maria propositum non habuisset virginitatem etiam in matrimonio servandi, anxietas Mariae vix explicaretur, nam si fuisset solummodo desponsata, mox matrimonium inire potuisset, immo nuntium angeli ei in signum esse debuisset unionem suam cum Ioseph properandi, illamque absque mora consummandi; si e contra iam coniugata fuisset momento annuntiationis, anxietas nullam prorsus rationem habuisset. — 3) Quoad difficultatem suggestam e conceptibus in A. T. circa matrimonium vigentibus, dicendum est quod in A. T. status coniugalis uti naturalls et normalis mulieris sane considerabatur; admittendum vero etiam est quod Deus eligendo Mariam ad dignitatem matris Filii sui, in divina sua Providentia, omnes et singulos eius actus direxit, et imprimis illud propositum virginem perpetuo manendi. Deus forsitan matrimonium Mariae cum Ioseph voluit, ut ipsa a multis aliis sollicitationibus, sive parentum, sive amantium, liberaretur, et etiam ut omnis impuritatis suspicio ab ipsa auferretur (2). Addendum caeterum est quod status virginalis, etiam in matrimonio, non fuit eo in tempore omnino ignotus, nam Esseni hunc statum valde laudaverunt et in matrimonio ab omni copula carnali se abstinerunt (3). Credimus ergo hanc interpretationem D. HAUGG textui et contextui S. Lucae non convenire ideoque esse respuendam.

Quid ergo est dicendum? Maria aramaice locuta probabiliter participium praesens verbi jāda' (יָדַעַת) adhibuit et respondit ênennî jōda'at 'iš (אֵינִי יֹדַעַת אִישׁ) — et non indicativum perfectum lō jāda'ti (לֹא יָדַעַתִּי) quod significaret « non cognosco hic et nunc » et quod contextui non convenit — quo status praesens indicatur, sed status praesens qui simul voluntatem in hoc statu permanendi implicat (4). Sola ista interpretatio quaestionem Mariae iustificare videtur. Maria certo disposita erat ad Deo oboediendum ac maternitatem divinam accipiendam; obstaculum vero grave adest quod a propria sua voluntate dependere non videtur, alioquin illud facillime auferre ac voluntati divinae statim assentire potuisset; agitur potius de obstaculo quod ab

(1) S. AUGUSTINUS, *Sermo* 225, 2. P. L. t. 38, c. 1097. — F. X. STEINMETZER, *Empfangen vom Heiligen Geiste. Eine Auseinandersetzung mit der Antike*, 1938, p. 74. - *recensio in op. D. Haugg*, in « *Theol. Revue* », 37, 1938, 366. - C. SPICQ, *recensio in op. D. Haugg*, in *RSPT*, 28, 1939, 144. — J. COPPENS, *ETL* 16, 1939, 513.

(2) O. BARDENHEWER, *Mariä Verkündigung. Ein Kommentar zu Lukas*, 1, 26-36. « *Bibl. Stud.* » 10, 1905, 129-137. — M. J. LAGRANGE, *Evangile de Jésus Christ*, 1929, p. 18.

(3) M. J. LAGRANGE, *Evangile de Jésus Christ*, 1929, p. 18-19. — L. MARCHAL, *Esséniens*, *DBS*, 2, 1934, 1122.

(4) P. JOÜON, *L'Evangile de Jésus-Christ*, 1930, p. 284. — L. MARCHAL, *Evangile de S. Luc*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 29.

ipsa sola non dependet, sed etiam a Deo, nempe de virginitate quam Deo perpetuo consecravit (1). Illud propositum sane fuit difficultas contra nuntium angeli sicut Maria illud intellexit, intellexit enim de conceptione copula carnali peragenda, et huic difficultati respondit angelus conceptionem virginalem annuntians.

Quaeritur ulterius utrum intentio illa Mariae fuerit simplex propositum an votum. S. THOMAS non credit Mariam, ante desponsationem, absolutam virginitatem vovisse, licet illam in desiderio habuerit, postmodum vero, accepto sponso, simul cum eo votum virginitatis emisit (2). S. LANDERSDORFER et D. HAUGG inter Catholicos recentiores, tum votum, tum propositum virginitatis reiciunt, uti supra vidimus. « Utrum sit votum aut propositum, vix certo discerni potest », concludit U. HOLZMEISTER (3). Et revera exegetae valde dubitant; nunc de voto, nunc de proposito in eadem dissertatione loquuntur. Videamus igitur contextum: Angelus nuntiat Mariae quod in matrem filii mirabilis futuri Messiae, a Deo electa erat. Si ergo eo in momento solum propositum virginitatis habuisset, propositum a sola sua voluntate dependens, illud derelinquere debuisset ad voluntatem divinam, nuntio angelico aperte manifestatam, cum laetitia et exultatione accipiendam. Difficultas vero a Maria proposita profundior sensum habuisse videtur: contra suam futuram maternitatem difficultas quaedam adest quae non solum a sua voluntate sed etiam a voluntate Dei dependet; obstaculum igitur etiam a Deo est auferendum, et illud obstaculum est suum votum virginitatis (4). Quomodo illud votum conciliare cum conceptione quam ipsa carnalem cogitavit?

b. *Responsio angeli*, vv. 35-37.

Difficultati Mariae angelus statim respondet dicens: v. 35. *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur (ex te) sanctum vocabitur Filius Dei.* Propositum seu votum virginitatis difficultatem contra suam maternitatem non facit, et ratio est quia « *Spiritus Sanctus superveniet in te*, ἐπὶ σέ, i. e. *super te* ». Iam in *Gen.* 1, 2 Spiritus Jahweh ferebatur super aquas, super massam chaoticam, cum intentione ordinem ac vitam in ipsa massa producendi. Modo generali actio spiritus Dei in A. T. magnis Dei operibus associatur: *Iud.* 3, 10; 11, 29; 14, 6; *II Paral.* 20, 14; *Ps.* 104, v. 30, etc. Angelus addit « *et virtus Altissimi obumbrabit tibi* », haec propositio praecedentem determinat; metaphora e theophaniis A. T.

(1) A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, 1, 1907, 290: « L'assertion de Marie est tellement absolue que le sentiment commun des exégètes, qui y voient l'intention de garder perpétuellement la virginité, ne peut être qualifié d'arbitraire ».

(2) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. XXVIII, a. 4, o.

(3) U. HOLZMEISTER, *Quomodo fiet istud*, etc. *Lc.* 1, 34. *VD.* 19, 1939, 74.

(4) F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 50.

desumpta est, in quibus Jahweh sub forma nubis arcam foederis obumbravit, *Exod.* 40, 35; *Num.* 9, 22. *Virtus Altissimi* ergo implicite nubi comparatur quae super Mariam descendit, illamque cooperit, ac conceptionem divinitus, supernaturaliter in utero Virginis perficit; Maria ad concipiendum viro non indigebit, et sic statim difficultas solvitur; supernaturaliter, virginaliter concipiet, in conceptione virginitas sua nullum detrimentum patietur.

Expressiones « *Spiritus Sanctus* » et « *Virtus Altissimi* » ratione parallelismi, uti expressiones synonymicae sunt considerandae. *Spiritus Sanctus* graece πνεῦμα ἅγιον, absque articulo legitur, sicut in *Act.* c. 10, 38, quo non persona Spiritus Sancti, sed virtus divina, omnipotentia divina, virtus Jahweh designatur, cfr. *Gen.* 1, 2 (1). S. ATHANASIUS iam in saeculo quarto animadvertit omissionem articuli in expressionibus huiusmodi non esse absque momento (2). *Virtus Altissimi* nunquam in S. Scriptura, uti nomen personale Spiritus Sancti adhibetur, sed de virtute divina praedicatur. Sensus igitur est quod conceptio virtute divina et non virtute personae Spiritus Sancti fiet (3).

Maria ergo virginaliter ac supernaturaliter filium suum concipiet: « *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoque et quod nascetur sanctum vocabitur Filius Dei* ».

Diversae constructiones quoad huius textus lectionem propositae sunt, quarum tres principiores sunt sequentes:

a) *Sanctum quod nascetur (ex te) vocabitur Filius Dei*. « Sanctum » uti subiectum consideratur, et sensus propositionis est: Divino interventu, vi conceptionis, conferetur filio Mariae natura humana, non vero divina; agnosceretur tamen uti Filius Dei quia divinitus est conceptus. Ita J. KNABENBAUER, O. BARDENHEWER, A. DURAND, H. LÉ-SÊTRE, J. WEISS, A. LOISY (4).

b) « *Quod nascetur (ex te) Sanctum vocabitur, Filius Dei* ». Heic « Sanctum » est attributum, praedicatum. Filius Mariae qui divinitus ex illa nascetur, erit « Sanctus », erit ipsa sanctitas, immo erit verus Filius Dei. « Filius Dei » hac in constructione est appositio quo « Sanctum » amplius determinatur et explicatur. Ita A. PLUMMER, J. M.

(1) J. LEBRETON, *Histoire du dogme de la Trinité*, 1, 1927, 335, 378. — P. VAN IMSCHOOT, *L'action de l'Esprit de Jahvé dans l'Ancien Testament*, *RSPT*, 23, 1934, 553-586. — *L'Esprit de Jahvé, source de vie dans l'Ancien Testament*, *RB*, 44, 1935, 481-501. — *L'Esprit de Jahvé et l'alliance nouvelle dans l'Ancien Testament*, *ETL*, 13, 1936, 201-220.

(2) S. ATHANASIUS, *Ad Serapionem*, 1, 4. P. G. t. 26, c. 536-537.

(3) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. XXXII, A. 1, o. « Conceptionem corporis Christi tota Trinitas est operata. Attribuitur tamen hoc Spiritui Sancto, quia incarnatio est opus gratiae et sanctificationis ».

(4) J. KNABENBAUER, *Comm. in Lucam*, 1896, p. 71, 72.

BOVER, E. POWER, A. MÉDEBIELLE (1). Haec vero interpretatio probabilis non est, quia iuxtapositio absque copula occurrere non videtur, nisi quando secundum nomen « filius Dei » non est nisi explicatio primi « sanctum », quod in textu nostro non habetur (2).

c) « *Quod nascetur (ex te) Sanctum (erit), vocabitur Filius Dei* ». Iterum « Sanctum » uti attributum, praedicatum consideratur; haec est lectio antiquarum versionum et praesertim ratione harum versionum auctoritatis, plerique recentiores hanc lectionem sequuntur et nobis etiam probabilior videtur: E. KLOSTERMANN, M. J. LAGRANGE, A. VALENSIN - J. HUBY, P. JOÜON, J. VOSTÉ, F. PRAT, R. L. JANSEN, L. MARCHAL, etc. Ratione operationis *Spiritus Sancti*, inquit P. JOÜON, id quod nascetur *sanctum* erit, et ratione obumbrationis virtutis *Dei* Altissimi, omnem sanctitatem acquisitam superans, et vocabitur *Filius Dei* (3).

Quid expressione « *Filius Dei* » sit intellegendum? a. v. agiturne de vera divina filiatione filii Mariae? 1) Graece expressio υἱὸς Θεοῦ absque articulo legitur, et sic absque articulo expressio illa in N. T. etiam de iustis praedicatur, ratione intimae illorum unionis cum Deo vel ratione specialis protectionis divinae qua gaudent, *Rom.* 8, 14. 17; *Gal.* 4, 7; *Ioan.* 1, 12; *I Ioan.* 3, 1; *Apoc.* 21, 7. Quando vero de vera divina filiatione, de filio Dei naturali in N. T. agitur, tunc communiter articulus adiungitur et ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ dicitur. Unde credimus quod heic sola expressione υἱὸς Θεοῦ filiatio divina naturalis filii Mariae probari nequit. 2) Neque contextu filiatio naturalis probatur; ad hoc enim monstrari oporteret quod in conceptione Christi foetui humano natura divina coniuncta fuit, nam filius Mariae est filius Dei naturalis ratione unionis utriusque naturae. Porro conceptio virginalis secundum se considerata hanc unionem non implicat; filius Mariae naturam divinam habet « ratione generationis aeternae, secundum quam est Filius Patris solius » (4). Conceptio vero supernaturalis est conditio necessaria ut filius Mariae sit filius Dei, et sanctitas eius unum ex signis erit quod ut filius Dei manifestabitur.

Salvo igitur meliori iudicio, opinamur quod neque e textu, neque e contextu, filiatio naturalis divina Christi, seu divinitas Christi, demonstrari potest. Quod verba angeli apertam affirmationem naturae

(1) J. M. BOVER, *Quod nascetur (ex te) sanctum vocabitur Filius Dei*, *Lc.* 1, 26-28, « *Bibl.* » 1, 1920, 92-94. — E. POWER, *In festo Annuntiationis*, *Lc.* 1, 26-38, *VD.* 5, 1925, 73, 74. — A. MÉDEBIELLE, *Annunciation*, *DBS.* 1, 1928, 292-294. — M. J. LAGRANGE, qui in « *La Conception surnaturelle du Christ d'après S. Luc* », *RB.* 23, 1914, 192, admisit hanc lectionem (b), declarat in « *Évangile selon S. Luc* », 1921, p. 35, et in « *Évangile de Jésus Christ* » 1929, p. 19 tertiam lectionem (c) probabiliorē.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. selon S. Luc*, 1921, p. 36.

(3) P. JOÜON, *L'Évangile de Jésus Christ*, 1930, p. 285.

(4) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. xxxii, A. 3, o.

divinae seu divinitatis pueri nascituri constituunt, aegre admittere possumus; talis enim non fuit scopus missionis angeli, qui Mariae annuntiare debuit quod filius eius non ex viro, sed ex Deo, supernaturaliter, virginaliter nasceretur (1). Sane admittimus quod angelus addendo «*vocabitur Filius Dei*» suggerere videtur quod, quia puer patrem terrestrem non habebit, vera eius natura aliquando facilius agnosceretur; uno verbo, divinitas insinuat, explicite vero non traditur.

v. 36. *Et ecce Elisabeth...* Conceptio virginalis erit opus divinae omnipotentiae: sicut praegnatio Elisabeth in senectute sua fuit opus miraculosum a divina omnipotentia peractum, ita erit conceptio Mariae virginalis, *non erit impossibile apud Deum quodcumque negotium*; «*omne verbum*» est hebraismus *kōl dābār* quod significat «*quodcumque negotium*». Praegnatio Elisabeth est tamen miraculum inferius conceptione virginali, ista enim fit absque ullo viri interventu. Elisabeth erat cognata Mariae; gradus huius cognationis ignoratur. Elisabeth certo erat de domo Levi, *Lc.* 1, 5; Maria vi matrimonii cum Ioseph de tribu Iuda, de domo David; traditio antiquissima, iam a S. Iustino, tenet etiam Mariam de domo David originem ducere.

c. *Assensus Mariae*, v. 38.

Maria, explicatione de conceptione virginali audita, intellexit quod ratione specialis dispositionis divinae, ipsa erit mater, signaculum vero suae virginitatis retinebit, unde obstaculum supra aliatum nunc ablatum est; nulla amplius difficultas remanet, unde Maria suum «*fiat*» pronuntiat: «*Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*», v. 38. Theologi communiter opinantur eodem momento conceptionem, incarnationem Verbi factam esse. Missionem peracta, *discessit angelus a Maria*.

B. *Versiculorum 34 et 35 authenticia.*

Adversarii doctrinae christianae argumentis variis monstrare conantur Lucam hos versiculos 34, 35, qui conceptionem virginalem Mariae annuntiant, Evangelio suo non intexuisse, sed illos postea adiunctos vel interpolatos fuisse, ita ut ad opus genuinum S. Lucae non pertinuisent, sed e contra fidei christianae figmentum posterius constituissent.

Argumenta horum auctorum ad duo genera reduci possunt: a. Argumenta e silentio, nempe e silentio Iesu, Pauli, Marci et Ioannis. b. Argumenta e critica interna, nempe e stylo, terminologia ac contexta oratione exhausta.

(1) M. J. LAGRANGE, *La conception surnaturelle du Christ*, RB. 23, 1914, 198. — P. JOÜON, *L'Annonciation*, NRT. 66, 1939, 795.

a. *Argumenta e silentio.*

Iesus ipse, Paulus, Marcus et Ioannes de conceptione virginali plane tacent; quid significat illud silentium, nisi quod haec doctrina, tempore Christi et Apostolorum, toto primo saeculo, Ecclesiae primitivae fuit ignota? Si vero tempore Christi et Apostolorum ignota fuerit illa doctrina, tunc postea inventa fuit sive sub influxu ascetismi Essenorum, sive sub influxu mythologiae paganae inter ethnico-christianos olim acceptae, sive sub influxu elucubrationum talmudicarum; et semel inventa Evangelio Lucae adiuncta fuit (1).

Hanc doctrinam non soli Lucae esse propriam animadvertendum est, nam etiam apud *Matthaeum* 1, 20-23 iam exposita fuit; Matthaeus enim in conceptione et partu virginali matris Christi celeberrimam *Isaiae* 7, 14 prophetiam adimpletam fuisse docet.

1. *Silentium Iesu.* — Etiamsi doctrina de conceptione virginali fuerit a primo exordio Ecclesiae nota et admissa, silentium Iesu optime explicari potest, cuius duplex ratio a M. J. LAGRANGE proponitur: a) Considerandae sunt circumstantiae in quibus Iesus ministerium suum incepit. Ratione dispositionis turbarum, ratione earum incredulitatis, Iesus paedagogice procedere debuit et primo signis externis egregiis, miraculis scilicet, characterem divinum suae missionis palam exhibere debuit; his signis tantum coetaneos incredulos ad fidem in ipsum et ad characterem divinum suae doctrinae conducere potuit. Conceptio vero virginalis sane miraculum fuit, at non signum externum, fuit miraculum quod simpliciter credendum erat, et haec fuit ratio quare Iesus de illa non est locutus. b) Huic primae rationi alia addi potest, scilicet ratio prudentiae, ratio opportunitatis. Quando Iesus, non obstantibus omnibus miraculis peractis, suae missionis divinitatem proclamavit, Iudaei illum occidere statuerunt, *Lc.* 4, 16-30. Si igitur Iesus, ab initio suae praedicationis, suam originem divinam, suam conceptionem supernaturalem, coram turba sic disposita detexisset, quid de ipso et de sua matre advenisset (2)? Opportunum igitur fuit, durante ministerio Christi publico, et quidem durante vita B. Mariae Virginis, hanc doctrinam occultam tenere.

2. *Silentium S. Pauli.* — Ratio silentii S. Pauli quaerenda est in scopo theologico quem ipse persecutus est: a) Sententia communis

(1) A. HARNACK, *Zu Lc.* 1, 34. 35, *ZNW.* 2, 1901, 53-57. — *Neue Untersuchungen zur Apostelgeschichte*, 1911, p. 109. — P. SCHMEDEL, *Mary*, *Cheyne's Encycl. Bibl.* 3, 1902, 2956. — H. UERNER, *Nativity*, *Cheyne's Encycl. Bibl.* 3, 1902, 3349. — *Geburt und Kindheit Christi* *ZNW.* 4, 1903, 1-21. — A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, 1, 1907, 292, n. 5.

Argumenta horum auctorum fusius exponuntur et reiciuntur apud A. MÉDEBIELE, *Annunciation*, *DBS.* 1, 1928, 271-273. — J. VOSTÉ, *De conceptione virginali Iesu Christi*, 1933, p. 30-51.

(2) M. J. LAGRANGE, *La conception surnaturelle du Christ d'après S. Luc*, *RB.* 23, 1914, 206.

tam Catholicorum quam non Catholicorum asserit epistulas S. Pauli esse scripta occasionalia; Apostolus variis Ecclesiis illam doctrinam exposuit qua hie et nunc indiguerunt vel circa quam explicationem petierunt, *I Cor.* 7, 1 etc. Paulus igitur non universam doctrinam christianam in suis epistulis proposuit. b) Tota theologia S. Pauli peculiariter circa Redemptionis mysterium versatur, quapropter Apostolus illa capita doctrinae tradidit quae relationem quamdam cum Redemptione nostra habuerunt, v. g. Eucharistiae institutio, *I Cor.* 11, 23-25; passio, resurrectio et ascensio Christi, *Eph.* 4, 7-9. S. Lucas e contra, partes biographi agit; cum origine humana Christi incipit et cum ascensione in caelum claudit suum Evangelium. c) S. Paulus in ep. ad *Gal.* c. 4, 4 dicit Christum esse « *factum ex muliere* » et non ex virgine; unde conceptionem virginalem denegare videtur. Quae conclusio non sequitur et quidem propter duo: 1) Graece $\gammaυνή$ = mulier non statum sed sexum implicat; indifferenter igitur de quacumque muliere praedicatur, sive ista sit virgo, sive non. 2) Expressione « *factum ex muliere* », sicut etiam aliis expressionibus quae contra conceptionem virginalem afferuntur, sicut « *ex patribus est Christus secundum carnem* » *Rom.* 9, 5 vel « *ex semine David secundum carnem* », *Rom.* 1, 3, sola origo humana alicuius personae, in casu nostro Christi, designatur, cfr. *Iob.* 14, 11; *Mt.* 11, 11; quoad conceptionem vel modum conceptionis expressiones illae nihil determinant. Unde dicendum etiam non est S. Paulum expressione « *factum ex muliere* » conceptionem virginalem insinuasse eo quod de sola matre, patre humano excluso, loquitur, nam hac expressione origo Christi humana et nihil aliud intenditur. S. Paulus nihil pro, sed etiam nihil contra conceptionem supernaturalem habet (1).

3. *Silentium Marci.* — Auctores non Catholici contendunt Marcum non solum de conceptione virginali siluisse, sed et illam reiecis-
 Etenim 1) occasione baptismi *Marcus* 1, 11 asserit Iesum ut hominem in aquas descendisse et ut Messiam ac Filium Dei ex illis ascendisse, quod significat Iesum fuisse purum hominem sicut omnes alios, qui simul cum suis coaevis ad baptismum Ioannis venit et in suo baptismo conscientiam de sua missione divina acquisivit (2). 2) Non solum Marcus, verum etiam mater et fratres Iesu conceptionem eius virginalem ac supernaturalem denegant, nam occasione alicuius scaenae familiaris apud *Marcum* 3, 20. 21 narratae familiares Iesu cum quibus fuit Maria, *Mc.* 3, 21, dixerunt quod « *in furorem versus est, ὅτι ἐξέστη* »; haec vero animadversio haud facile cum fide in originem virginalem ac supernaturalem Iesu conciliari potest.

(1) A. STEINMANN, *Die Jungfräuliche Geburt des Herrn*, BZ. 8, 1916, 7-8. — M. J. LAGRANGE, *Ep. aux Galates*, 1918, p. 102.

(2) A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, 1, 1907, 407-408,

a) Silentium Marci oritur ex scopo quem Evangelista persequitur. Marcus « evangelium Iesu Christi » scripsit, *Mc.* 1, 1; evangelium vero Iesu Christi non idem sonat ac « vita Iesu Christi »; evangelium Iesu Christi est praedicatio regni Dei a Iesu Christo facta; evangelium scribere est ergo hanc praedicationem Iesu, hanc primam catechesim oralem scripto consignare; et hoc quidem fecit Marcus. Secundum PAPIAM, Marcus, fidelibus Ecclesiae Romae rogantibus, hanc primam catechesim secundum praedicationem Petri retulit; ista vero praedicatio, teste ipso Petro in *Act.* 1, 22, cum baptismo Iesu incipit et cum ascensione eius perficitur. Praedicatio ista ergo sermones Domini et principaliora facta vitae publicae Iesu exposnit, nempe miracula, passionem, resurrectionem, ascensionem Domini. Mirum igitur non est quod Marcus de conceptione virginali tacuit eo quod haec doctrina ad scopum intentum non pertinuit (1). b) Allusiones vel insinuationes in quibusdam locis evangelii Marci forsan inveniri possunt; sic v. g. Marcus nunquam dicit Iesum esse « *filium Ioseph* »; Iesus septies « *filius Dei* », quaterdecies « *filius hominis* », quater « *filius David* » a Marco nuncupatur, at nunquam « *filius Ioseph* ». Ubi *Lucas* 4, 22 et *Ioannes* 6, 42 « *filium Ioseph* » habent, ibi *Marcus* 6, 3 « *filium Mariae*, ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας (cum articulo) scribit. Marcus expressionem ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας cum articulo immediate ante « *frater Iacobi et Ioseph, et Iudae et Simonis* » absque articulo posuit, quo significare voluit primo Iesum specialem relationem cum Maria habere, relationem filii unici Mariae (ὁ υἱός), et deinde illum distinguere ab his quattuor fratribus qui non erant nisi consobrini Iesu (cfr. infra), et quorum mater a Marco 15, 40 nominatur (2). *Matthaeus* « *filius fabri* » 13, 55, et *Lucas* « *filius Ioseph* » 4, 22 scribere potuerunt quia conceptionem virginalem iam docuerant et consequenter nullum erroris periculum amplius adfuit. Marcus vero qui de conceptione virginali nihil explicitè dixerat, ne dubium aut error circa hanc doctrinam inter lectores oriatur, expressionem « *filius Ioseph* » prudenter vitavit et ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας scripsit. Credimus ergo quod saltem allusio ad conceptionem virginalem Iesu apud *Marcum* 6, 3 admitti potest (3). c) Quoad duplicem

(1) V. ROSE, *Etudes sur les Evangiles*, 1904, p. 53-54.

(2) J. LUBY, *Evangile de S. Marc*, 1924, p. 128. — L. PIROT, *Ev. de S. Marc*, (éd. L. Pirot), 9, 1935, 462. — E. RENAN, *Les Evangiles*, 1877, p. 542 de fratribus et sororibus Iesu scribit: « Ces frères et ces sœurs étaient-ils aussi fils ou filles de Marie? cela n'est pas probable. L'appellation « le fils de Marie » suppose qu'il fut longtemps connu comme fils unique de veuve. De pareilles appellations, en effet, ne s'établissent que quand le père est mort et que la veuve n'a pas d'autres fils », cfr. etiam « *La Vie de Jésus* », 1863, p. 74 et A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, 1, 1907, 290, 291.

(3) V. ROSE, *Etudes sur les Evangiles*, 1904, p. 55. — V. MC. NABB, *The New Testament witness to our Blessed Lady*, 1930, p. 24-30: « Ratio quare Marcus omittit expressionem « *filius Ioseph* » fuit, quia non credit Iesum esse « *filium Ioseph* ». — J. VOSTÉ, *De conceptione virginali Iesu Christi*, 1933, p. 36-39.

difficultatem ab Auctoribus non Catholicis propositam dicendum est 1) Marcum non docere Iesum solummodo in suo baptismo conscientiam suae missionis messianicae et suae electionis in filium Dei habuisse. Quando Iesus baptizatus fuit et ex aquis ascendit, vox de caelo, vox Patris audita est dicens: « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui », *Mt.* 3, 17; vel « Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui », *Mc.* 1, 11; *Lc.* 3, 22. Quenam ex his formulis sit praeferenda? Quando consideramus *Ioannem* 1, 32. 33, constat manifestationem caelestem in favorem Baptistae esse factam; unde haec verba ad Baptistam et non ad Iesum directa fuerunt, et consequenter formulam *Matthaei* « Hic est Filius meus dilectus » praeponendam esse iudicamus. Gratia Dei illuminatus, Baptista a momento baptismi Iesu intellexit Iesum esse verum Messiam, a Deo missum ad populum suum redimendum; intellexit quod tempus advenerat quo Iesus oportuit crescere, ipsum vero minui, *Ioan.* 3, 30. Utrum praeter Ioannem alii adhuc hanc caelestem manifestationem viderint ac vocem Patris audierint, exegetae non consentiunt. Matthaeus et Marcus de adstantibus non agunt, et Lucas illos tantum introduxit ad dicendum baptismum Iesu cum catechumenorum baptismo coincidere. Quidquid sit de hac re, credimus quod declaratio Patris non ad intentionem Iesu, sed Baptistae est facta, et declaratio ista manifestat Baptistae non quod Iesus eo in momento creatus aut *factus est* « Filius Dei dilectus », sed quod « *est* » Filius Dei dilectus (1). Demum admitti nequit quod Marcus, discipulus Petri ac Pauli, qui pluries in scriptis suis divinitatem Iesu propugnaverunt, ignoraverit Iesum esse Messiam ac verum filium Dei naturalem. 2) Quoad scaenam familiae apud *Marcum* 3, 21 narratam, diversa sunt animadvertenda: a) nihil probat Mariam opinionem circa Iesum emissam secutam esse; b) communiter dicitur quod expressione « *in furorem versus est* » familiares Iesu solummodo declarare intenderint Iesum, ratione sui fervoris aut entusiasmi religiosi, regulas vitae communes neglexisse; quae declaratio nullam relationem cum ortu Iesu supernaturali habet; c) hodierni quidam exegetae verbum ἔλεγον in sensu impersonali interpretantur et vertunt « dicebatur » (on disait), malevoli nempe de Iesu dicebant quod « in furorem versus est » (2).

4. *Silentium Ioannis.* — Solum silentium Ioannis inimicis religionis Christi sufficeret ad concludendum Ioannem conceptionem

(1) D. BUZY, *Evang. de S. Matthieu*, (éd. L. Pirot) 9, 1935, 35. — F. CEUPPENS, *Theologia Biblica, De Incarnatione*, 3, 1939, 142-143.

(2) V. ROSE, *Evang. de S. Marc*, 1909, p. 28. — M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Marc*, éd. IV, 1929, p. 69-70. — RB. 41, 1932, 536. — L. PIROT, *Ev. de S. Marc*, (éd. L. Pirot), 9, 1935, 439.

supernaturalem Iesu non admisisse. Argumentum autem istud ex silentio non solum valde infirmum, sed etiam nullius esse valoris videtur. Scopus principalis Ioannis fuit credentes in fide accepta confirmare et contra nascentes haereses corroborare, unde doctrinam de dignitate messianica et divina Iesu proposuit illamque ex miraculis et sermonibus Iesu ipsius probavit; motivum ergo sufficiens de historia infantiae tacendi. Deinde Ioannes, etiam testibus J. WEISS et A. JÜLICHER, certo evangelia Matthaei et Lucae cognovit, unde etiam historiam infantiae cum conceptione virginali Iesu ibi narratam. Si haec doctrina ad fidem antiquam non pertinuisset, Ioannes certo silentium fregisset ac illam novam doctrinam, quae in Ecclesias ubique penetrare incepit, acriter et firmiter impugnasset, illique doctrinae antiquam suam fidem opposuisset; silentio suo orthodoxiam huius novae doctrinae vindicare certo noluisset. Silentium Ioannis nobis potius apparet uti indicium sufficiens ad asserendum Ioannem factum conceptionis supernaturalis simul cum tota Ecclesia primitiva admisisse. Demum auctores, uti A. RESCH, A. LOISY, TH. ZAHN, qui sequuntur codicis Veronensis (b) lectionem, quae habet: « qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo *natus est* », *Ioan.* 1, 13, dicere coguntur Ioannem disertis verbis nativitatem supernaturalem Iesu docuisse. Quae lectio tamen communiter minus probabilis iudicatur.

Praeter Lucam ergo etiam Matthaeus conceptionem virginalem docet; Iesus ipse de hac re tacet, ratione prudentiae; Paulus et Marcus de conceptione Iesu non loquuntur, neque loqui debent ratione scopi quem persequuntur; demum silentium Ioannis potius hanc doctrinam approbare et confirmare videtur. Unde credimus quod ex silentio Iesu et horum auctorum sacrorum deduci nequit pericopam *Lucae* 1, 31. 35 non esse authenticam.

b. *Argumenta e critica interna.*

Argumenta critica, uti supra adnotavimus, e stylo, terminologia, ac contexta oratione sunt hausta; multa adsunt, principaliora considerabimus (1).

1. *Argumentum e terminologia.* Particulae ἐπεὶ et διό, *Lc.* 1, 34. 35 valde singulares apparent, nam ἐπεὶ tum in Evangelio, tum in Actis deest; διό frequenter in Actis, nunquam in Evangelio — nisi in textu dubio 7, 7 — occurrit. Haec singularitas dubium serium contra authenticam vv. 34. 35 constituit.

Praenotandum est quod genuinitas vv. 34. 35 unanimi prorsus textuum testimonio constat; neque in ullo codice graeco, neque in

(1) A. HARNACK, *Zu Lc.* 1, 34. 35, *ZNW.* 2, 1901, 53.

ulla versione deest (1). Quoad difficultatem propositam adnotat O. BARDENHEWER: a) Adhuc aliae particulae apud Lucam inveniuntur quae nonnisi semel ab Evangelista adhibentur, et tamen nullus de horum locorum authenticia dubitat, v. g. ἐπειδήπερ, 1, 1; ἔπειτα, 16, 7; μενοῦν, 11, 28; ὁπότε, 6, 3; τοίνυν, 20, 25. Quare authenticiam *Lucae* c. 1, 34. 35 denegare et aliorum locorum authenticiam admittere? Non particularum ἐπεὶ et διό singularitas, sed doctrinae sublimitas offendit illos auctores. b) Eadem singularitas apud alios Evangelistas observatur, quin ulla difficultas contra horum locorum authenticiam ab adversariis suscitetur; v. g. apud *Matthaeum*: δὴ, 13, 23; διό, 27, 8; καθὰ, 27, 10; apud *Marcum*, ἐπεὶ, 15, 42; καί, 7, 28; ὅπως, 3, 6; apud *Ioannem*, ἔπειτα, 11, 7; καίτοιγε, 4, 2; ὅμως, 12, 42; ὅπως, 11, 57; οὐκοῦν, 18, 37 (2).

Constat igitur quod ex singularitatibus huius generis argumentum validum contra alicuius loci authenticiam deduci nequit, alioquin multorum locorum genuinitas esset reiicienda.

2. *Argumenta e contexta oratione.* a. Parallelismus inter v. 31 et v. 35 adest; unde duo isti versiculi intime connectuntur; si interrogationis Mariae authenticia admittatur, versiculi isti separantur et parallelismus rumpitur. Ergo ut parallelismus retineatur, interrogatio Mariae est tollenda.

Parallelismus quidam habetur inter v. 31 et v. 36, nempe in utroque textu de re eiusdem generis, de conceptione pueri agitur; at si abstrahatur a vv. 34 et 35 parallelismus perfectus non habetur, in v. 31 enim ageretur de conceptione ordinaria, in v. 36 vero de conceptione miraculosa; unde ut parallelismus perfectus habeatur, utraque conceptio, tum Mariae, tum Elisabeth, miraculosa esse debet. Porro character miraculosus conceptionis Mariae in vv. 34 et 35 tantum exponitur. Unde ad parallelismum perfectum habendum duo isti versiculi prorsus necessarii sunt: Sicut Elisabeth miraculose concepit, ita et Maria miraculose concipiet.

b. Magna divergentia inter v. 32 et v. 35 occurrit: Secundum v. 32 filius concipiendus erit filius David, et *filius Altissimi* vocabitur; secundum v. 35 idem filius, quia ex Spiritu Sancto nascetur, *filius Dei* vocabitur. Ergo ex una parte, pater huius filii est David; ex alia parte David excluditur, et paternitas Deo adscribitur. Idem auctor certo haec in eodem contextu scribere non potuit. Concludendum igitur est v. 32 esse genuinum, v. 35 autem spurium (3).

(1) U. HOLZMEISTER, *Quomodo flet istud*, etc. Lc. 1, 34. VD. 19, 1939, 70.

(2) O. BARDENHEWER, *Mariä Verkündigung*, «Bibl. Stud.», X, 5, 1905, 8-13. — J. VOSTRÉ, *De Conceptione virginali Iesu Christi*, 1933, p. 42-17.

(3) J. HILLMANN, *Die Kindheitsgeschichte Jesu nach Lukas kritisch untersucht*: «Jahrbücher für protest. Theologie», 17, 1891, 224.

Nulla oppositio, sed explicatio his in versiculis habetur: etenim angelus Mariae annuntiat quod concipiet filium qui erit filius David et qui, ratione muneris messianici ei impositi, « filius Altissimi » vocabitur. Maria ratione voti sui explicationem quandam quoad huius filii conceptionis modum desiderat, et angelus ei respondet quod operatione Spiritus Sancti, virginaliter concipiet et quod ratione huius operationis Spiritus Sancti filius nasciturus vocabitur « filius Dei ». Versiculus 35 ergo est amplior explicatio primi nuntii v. 32; paternitas davidica nullatenus excluditur: a) ratione muneris messianici erit filius Altissimi; b) ratione operationis Spiritus Sancti vocabitur « filius Dei »; c) ratione nativitatis ex Maria, uxore Ioseph, ad posteritatem David pertinebit et David ut patrem habebit (1).

c. Si abstrahamus a vv. 34 et 35 in quibus de conceptione supernaturali Mariae quaestio habetur, tunc revera conceptio Elisabeth erit pignus pro Maria, nam si omnipotentia divina vetula sterilis concipere potest, a fortiori Maria iuvenis omnipotentia divina filium concipere poterit; minus miraculum maiori tunc probatur. Si vero vv. 34 et 35 retineamus, maius miraculum minori comprobaretur.

Si a vv. 34 et 35 abstrahamus, tunc Maria Messiam modo naturali concipiet, nam in vv. 31-33 ne verbum quidem de conceptione miraculosa occurrit; at tunc Maria nullo pignore indiget, nam optime scit quod ratione suae inventutis capax est concipiendi ac parturiendi absque miraculo, absque ullo extraordinario interventu Dei. Sed contra suam conceptionem grave obstaculum adest, votum nempe virginitatis habet; unde quaerit ab angelo, quomodo votum cum conceptione conciliare. Angelus respondet: omnipotentia divina obstaculum illud auferetur: sicut vetula sterilis omnipotentia divina concipere potuit, ita eadem omnipotentia divina Maria absque virginitatis suae perditione concipiet; sunt ergo duo exempla analogia, non probatio unius per alterum.

d. Quaestio a Maria posita inverisimilis videtur in ore alicuius puellae desponsatae; ista enim non miratur de nuntio quod mox concipiet ac pariet.

Sane quaestio huius generis inverisimilis esset in ore cuiuscumque puellae desponsatae, sed in casu praesenti agitur de puella quae virginitatem suam Deo vovit, et quae libere usui matrimonii renuntiavit, ideoque quaestio ab ipsa posita omnino verisimilis videtur: quomodo votum meum cum conceptione ac maternitate futura conciliare?

e. Quaestio a Maria posita incredulitatem denotat; eadem in-

(1) M. J. LAGRANGE, *Evangelie de S. Luc.* 1921, p. 33, 34.

credulitas apud Zachariam animadvertitur; quare Zacharias punitur? Quare Maria laudatur?

Zacharias incredulitate peccavit, nam nuntium angeli reiicere voluit, uxoris sterilitatem et amborum aetatem senilem invocans. Maria autem nullum dubium exprimit, scit quod concipiendi ac parturiendi capax est, sed difficultatem ordinis moralis posuit: «virum non cognosco», neque cognoscam. Maria «modum quaesivit, inquit S. AUGUSTINUS, non de Dei omnipotentia dubitavit» (1).

Quibus positis, A. HARNACK concludit quod argumenta sua probant Lucam conceptionem virginalem ignorasse, unde praeter vv. 34 et 35 etiam auferendae sunt: a) voces *παρθένον* et *παρθένου* apud *Lc.* 1, 27, et b) expressio *ὥς ἐνομιζέτο* = ut putabatur apud *Lc.* 3, 23 quae conceptionem virginalem supponunt.

Sufficenter vero contra A. HARNACK monstravimus quod argumenta sua contra authenticam vv. 34 et 35 allata valore scientifico carent; genuinitas horum versiculorum firmiter est tenenda, et tunc ipso facto sequitur: a) quod Lucas conceptionem virginalem non ignoravit sed illam asseruit, et b) quod expressiones *παρθένον*, *παρθένου* et *ὥς ἐνομιζέτο*, quae in omnibus manuscriptis, in omnibus versionibus, in editionibus criticis leguntur, uti authenticae sunt retinendae, nulla enim ratio scientifica adest illas eliminandi.

Omnia ista argumenta A. HARNACK valde subiectiva sunt et ex eodem principio a priori oriuntur, nempe quod interventus supernaturalis in rebus terrestribus non datur. Conclusio vero nostra firmiter stat: Versiculi 34-35 evangelii Lucae sunt authentici (2): Angelus annuntiat Mariae quod conceptio filii sui erit virginalis.

Omnia ista argumenta quae contra difficultates A. HARNACK attulimus in favorem authenticae *Lucae* 1, 34. 35, sunt argumenta negativa quae certo magni sunt momenti, praeter illa vero, plerique auctores Catholici argumentum positivum invenire credunt in iuxtapositione narrationis de annuntiatione ad Zachariam facta, et narrationis de annuntiatione Mariae communicata, cfr. *Lc.* 1, 11-20 et *Lc.* 1, 26-38. In utraque narratione facta sequentia habentur:

1. Angelus apparet Zachariae, Angelus apparet Mariae, v. 28.
v. 11.
2. Zacharias turbatur, v. 12. Maria turbatur, v. 29.

(1) S. AUGUSTINUS, *Sermo* 291, n. 5. *P. L.* t. 38, c. 1318. — A. MÉDEBIELLE, *Annonciation*, *IBS.* 1, 1928, 271. — U. HOLZMEISTER, *Quomodo fiet istud*, etc. *VD.* 19, 1939, 70.

(2) P. FEINE, *Theologie des Neuen Testaments*, 1922, p. 420. «34, 35 sind im Zusammenhang unentbehrlich».

- | | |
|--|--|
| 3. Annuntiatio fit Zachariae, | Annuntiatio fit Mariae, vv. 30-32. |
| vv. 13-16. | |
| 4. Quaestio a Zacharia posita, | Quaestio a Maria posita, v. 34. |
| v. 18. | |
| 5. Responsio angeli huic quaestioni, v. 19 | Responsio angeli quaestioni Mariae, v. 35. |
| 6. Signum pro Zacharia, v. 20. | Signum pro Maria, vv. 36, 37. |
| 7. | Assensus Mariae, v. 38. |

Quando hanc iuxtapositionem consideramus, statim animadvertimus:

a) *Parallelismum perfectum*; si textus *Lucae* 1, 34. 35 auferatur, parallelismus qui in caeteris harum narrationum locis perspicitur, hec deesset; e contra si textus *Lucae* retineatur, parallelismus ubique perfectus apparet.

b) *Climax realis* in parallelismo apparet: maior dignitas Iesu et Mariae elucet: 1) *maior dignitas Iesu*, etenim Ioannes Baptista viam ad Iesum praeparare debet, praedicatione sua corda hominum ad adventum Iesu disponere, *Lc.* 1, 15-17; 2) *maior dignitas Mariae*, sola inter mortales titulo « gratia plena » salutatur; est nomen proprium Mariae, *Lc.* 1, 28; dignitas eius adhuc augetur facto quod non solum miraculose concipiet, sed etiam virginaliter, absque copula carnali, *Lc.* 1, 35.

c) *Climax realis deesset* si *Lucas* 1, 34. 35 esset glossa, nam ex una parte, Maria excellentior Elisabeth reputatur, dum nomine « gratia plena » salutatur, *Lc.* 1, 28, et Iesus excellentior Baptista declaratur quia Baptista propter Iesum nascetur, *Lc.* 1, 17; ex alia parte, Elisabeth excellentior esset Maria quia miraculose concepit, *Lc.* 1, 36 et Baptista maior Iesu quia miraculose conceptus fuit (1).

Credimus ergo quod sicut climax ita et authenticitas *Lc.* 1, 34. 35 est retinenda; Maria virginaliter, supernaturaliter concipiet, illudque miraculum superat miraculum conceptionis Elisabeth (2).

Semper notetur oportet quod praeter illud argumentum positivum e contextu, habentur etiam argumenta positiva ex auctoritate, ad quae supra iam allusionem fecimus: textus *Lucae* 1, 34. 35 enim in omnibus manuscriptis, in versionibus antiquis, in editionibus criticis, sicut etiam apud auctores antiquos occurrit. Argumenta ista summi sunt momenti, eorumque valorem A. HARNACK denegare sane nequit.

(1) M. J. LAGRANGE, *La conception surnaturelle du Christ d'après S. Luc*, RB. 23, 1914, 200.

(2) J. VOSTÉ, *De conceptione virginali Iesu Christi*, 1933, p. 50-51.

C. De pericopae Lucae 1, 26-38, historicitate.

Quaestio ista inter auctores Catholicos non ponitur, nam omnes huius loci historicitatem propugnant. Independentes vero omnes, etiam illi qui authenticam admittunt, pericopae historicitatem denegant, et hanc supernaturalem Iesu conceptionem legendariam esse praedicant; de origine autem huius legendae discrepant.

Prima Explicatio. Saeculo praeterito plerique non Catholici asseruerunt quod iam a saeculo secundo, quidam inter Iudaeos adfuerunt qui ortum Iesu illegitimum admiserunt. Maria, desponsata Ioseph, cum quodam milite romano, cuius nomen fuit Pantherus, relationes carnales habuisset e quibus Iesus natus esset. Circa finem saeculi praeteriti, E. HAECKEL hanc interpretationem renovavit (1). Alii vero contenderunt Iesum natum esse e coitu illegitimo Mariae cum quodam iuvene pulcherrimo, qui se angelum esse dicebat. Primi christiani ad abscondendum tum Mariae adulterium, tum scandalosam originem fundatoris religionis christianae, legendam de conceptione Iesu supernaturali excogitaverunt.

Plura contra hanc explicationem dicenda sunt: a. Certum est quod legenda huius generis non unico ictu variis in coetibus christianis exstare potuit, eo vel magis quod saeculo secundo Christianismus erat iam plus minusve dispersus; unde prima quaestio auctoribus istis ponenda est: quandonam et ubinam legenda ista orta est, in quibusnam documentis historiae Ecclesiae primitivae prima vestigia huius legendae adsunt? — b. Mirum est etiam quod Pharisei et Sadducei, inimici Iesu capitales, in disputationibus cum Iesu, ne allusionem quidem ad hanc originem illegitimam fecerunt, ne quidem quando Iesus originem suam caelestem ac divinam palam coram illis affirmavit; solummodo enim responderunt: «Nonne hic est Iesus, filius Ioseph et Mariae, cuius nos novimus patrem et matrem?» *Ioan.* 6, 42. — c. Narratio de conceptione virginali non est legenda a Christianis saeculo secundo inventa, nam Angelus Gabriel ad conceptionem supernaturalem alludit quando dicit Ioseph: «Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est», *Mt.* 1, 20; immo *Matthaeus* 1, 22. 23, in conceptione et nativitate Iesu ex Virgine adimplerionem prophetiae *Isaiae* 7, 14 agnoscit, qui conceptionem ac nativitatem Iesu virginalem praedixerat. — d. Auctor Iudaeus, J. KLAUSNER, recenter exposuit quomodo legenda ista de origine illegitima Iesu, inter Iudaeos orta sit: Iudaei continuo audierunt Christianos - qui a primis temporibus Christianismi linguam graecam callebant -

(1) ORIGENES, *Contra Celsum*, 1, 32, P. G. t. 11, c. 722. — E. HAECKEL, *Die Welträthsel*, 1899, p. 377-380.

vocare ὁ υἱὸς τῆς παρθένος, illumque irrisorie «*filium Pantheri*» seu Leopardi vocaverunt. Pedetentim oblitī sunt Iesum vocari ὁ υἱὸς τῆς παρθένος ratione nominis matris suae, et cogitaverunt Pantherum fuisse nomen patris Iesu; et cum Pantherus non sit nomen iudaicum, surgit saeculo secundo legenda secundum quam pater Iesu naturalis fuit extraneus quidam, et quod mater Iesu, desponsata Ioseph, relationes carnales illegitimas cum quodam milite romano habuerat ex quibus Iesus natus esset (1).

Quidquid sit de ista interpretatione J. KLAUSNER, dicendum est legendam de origine illegitima Iesu omni fundamento historico carere; ne suspicio quidem contra castitatem aut dignitatem Mariae in historia evangelica, ex parte inimicorum Iesu, invenitur; e contra, a primis Ecclesiae exordiis, Evangelistae conceptionem virginalem Iesu, apud Isaiam iam praedictam, uti doctrinam firmam Ecclesiae palam docuerunt.

Secunda Explicatio. Interpretatio de origine illegitima Iesu, cum esset manca, magis magisque ab Independentibus derelicta fuit, et iam in fine saeculi praeteriti et initio saeculi praesentis, contenderunt quidam Independentes Iesum esse natum sicut omnes homines, e coitu legitimo suorum parentum, Mariae et Ioseph. Iudaeo-Christiani vero qui semper sanctitatem Iesu, fundatoris novae religionis, magis magisque extulerunt, illam usque in conceptionem transtulerunt, dicentes conceptionem a Deo ipso esse peractam. S. Lucas hanc legendam cognovit, illamque in suo Evangelio scripto consignavit et ad nos transmisit (2).

Interpretatio ista duobus conceptibus principalioribus Iudaeo-Christianorum plane adversatur: a) *Conceptui divinae transcendentiae.* Iudaeo-Christiani fuerunt in Iudaismo et permanserunt semper in Christianismo monotheistae convicti, semper divinam transcendentiam professi sunt. Unde ex parte horum fidelium vix exspectari potest creatio alicuius legendae dicentis hunc Deum transcendentalem, proprie et directe, absque ullo humano interventu, uterum maternum alicuius creaturae foecundasse; hoc est adulterare notionem quam semper de Deo habuerunt. Si ergo Iudaeo-Christiani conceptionem virginalem Iesu admittant, ratio aliunde est quaerenda, nempe in facto quod doctrina illa, disertis verbis, ab Apostolis eorumque discipulis inter fidei dogmata Ecclesiae Christi exposita fuit. b) *Conceptui etiam adversatur quod Iesus Messias ad posteritatem David pertinere debuit.* Iudaeo-Christiani prophetias messianicas cognoverunt quae Messiam futurum e stirpe David nasciturum passim docuerunt; S. Paulus hanc doctrinam et

(1) J. KLAUSNER, *Jesus of Nazareth*, 1925, p. 23, 24.

(2) A. RÉVILLE, *Jésus de Nazareth*, 1906, p. 357.

quidem uti doctrinam Patrum populi iudaici pluries quoque exposuit, *Rom.* 1, 2. 3; 9, 1-5. Quomodo ergo Iudaeo-Christiani hanc legendam excogitassent, quae saltem primo aspectu doctrinae eorum traditionall contraria esse videbatur? Certo non ad virginitatem glorificandam, nam Iudaeo-Christiani numerosam prolem uti divinam benedictionem agnoverunt ac de virginitate non cogitaverunt. Dicendum etiam non est hanc legendam ortam esse sub influxu doctrinae Essenorum, quia illa secta Essenorum fuit secta clausa ac solitaria, et in libris Novi Testamenti nullus influxus Essenorum perspicitur.

Iterum ab his auctoribus peti posset: in quam communitate legenda ista orta est? quonam tempore, quibusnam circumstantiis? Utrum adsint documenta profana aut sacra in quibus huic legendae alluditur? Omnes istae quaestiones absque solutione manent, quo huius interpretationis infirmitas demonstratur. Character legendarius nostrae narrationis est pura inventio horum auctorum.

Tertia Explicatio. Ultimis his triginta annis praesertim, plerique Independentes per fas et nefas probare conantur dogma conceptionis supernaturalis Iesu ad doctrinam primitivam Ecclesiae non pertinuisse, sed a Christianis e paganismo conversis in Ecclesiam introductum fuisse sub influxu legendarum mythologiae paganae, et secundum maiorem partem horum auctorum, sub influxu legendarum mythologiae graecae (1). In mythologia graeca enim pluries quaestio habetur de conceptione misteriosa, facta sive per ventum aut flores, sive per pluviam auream, etc. etiam de conceptione quasi miraculosa, sicut Platonis et Alexandri Magni, Scipionis et Augusti (2). Ethnico-Christiani quando audierunt Iesum esse Filium Dei, statim de suis legendis antiquis cogitaverunt et crediderunt Iesum esse conceptum sicut heroës antiquos, modo misterioso, interventu peculiari divinitatis, quapropter Iesus dicere potuit se habere Deum ut Patrem; sic orta esset doctrina christiana de conceptione virginali.

Legenda ergo illa ab Ethnico-Christianis in Christianismum introducta fuisset; certo non subito in Ecclesia universali exstitit, sed legenda illa primam suam originem in quadam ecclesia particulari habere debuit; in quam? Quomodo ad conceptionis « virginalis » conceptum pervenerunt illi Ethnico-Christiani, qui prius ne verbum quidem de conceptione « virginali » audierant? Legenda illa quae praedicationi Apostolorum prorsus contraria erat, fuitne absque ulla difficultate in

(1) G. HERZOG-TURMEL, *La conception virginale du Christ*, *RHLR.* 12, 1907, 118-133. — A. LOISY, *Ev. Synoptiques*, 1, 1907, 339. — *Ev. de S. Luc.* 1924, p. 90. — H. LEISEGANG, *Pneuma Hagion*, 1922, p. 22. — C. CLEMEN, *Religionsgeschichtliche Erklärung des N. T. Die Abhängigkeit des ältesten Christentums von nichtjüdischen und philosophischen Systemen*, 1924, p. 120-121. — E. MEYER, *Ursprung und Anfänge des Christentums*, 1, 1924, 54.

(2) M. J. LAGRANGE, *La conception surnaturelle*, etc. *RB.* 23, 1914, 63-64.

Ecclesia universa admissa? Si circa annum 80 post Christum, uti G. TURMEL asserit, in Ecclesiam introducta fuisset, quomodo silentium S. Ioannis esset explicandum? Ubinam in Ecclesia huius legendae vestigia occurrunt?

Doctrina christiana de conceptione virginali Iesu originem e mythologia graeca duceret! Etiam ista assertio aequae sustineri nequit, nam compositio et stylus duorum priorum capitum evangelii S. Lucae originem manifeste semiticam denotant. E. NORDEN, auctor in philologia graeca valde peritus, hanc quaestionem modo peculiari investigans, conclusit quod neque in hoc capite evangelii S. Lucae, neque in toto evangelio, influxus quidam graecus perspicitur (1). Conceptus conceptionis virginalis insuper est conceptus mythologiae graecae plane extraneus, ab illa ignotus; aliud enim est dicere conceptionem virginalem, aliud originem mysteriosam in sensu Graecorum. Conceptus conceptionis virginalis originem ex Antiquo Testamento ducit, e prophetia messianica *Isaiae* 7, 14, nam apud *Matthaeum* 1, 22. 23 uti spei messianicae adimpletio exhibetur.

Non solum dependentiam a mythologia graeca negamus, sed etiam dependentiam a quacunque alia mythologia profana impugnamus. a) Polytheismus sane facillime novas divinitates creare potuit, quia de numero divinitatum curam non habuit; sed ethnicus ad monotheismum strictum noviter conversus, qui praecise ratione fastidii mythologiae paganae monotheismo adhaeserat, quomodo ille excogitare potuisset Deum suum unicum, e coitu carnali cum muliere, novam divinitatem genuisse, uti istae mythologiae paganae asseruerunt? Ipso facto unicitatem, aeternitatem, transcendentiam Dei penitus dene-gasset simul cum fide noviter admissa (2), quod rationabiliter admitti nequit, eo vel magis quod, ut ex Actis Apostolorum et ex epistulis S. Pauli constat, Apostoli iterum atque iterum in ecclesiis ethno-christianis has doctrinas de Deo docuerunt, eo in fine ut neo-conversi falsas divinitates olim adoratas derelinquant, ac verum, unicum Deum fideliter colant, *Act.* 14, 8-17; 17, 22-34, ut sese a paganis et ab eorum simulacris avertant, *II Cor.* 6, 14-17. Caeterum, plures auctores Independentes libenter nobiscum agnoscunt quod, tempore quo Christianismus natus est, conceptus absurdi circa commixtiones inter divinitates ac mulieres carnales perierant, et commixtiones illae daemonibus adscriptae fuerant. b) Considerandum etiam est quod ethnicorum conversiones tam in Asia Minori quam in Graecia non sola immersione

(1) E. NORDEN, *Die Geburt des Kindes*, 1924, p. 82. "Hellenisches sei dem Evangelium wesensfremd. Aus rellhellenischer Literatur ist die Vorstellung, dass ein Gott durch sein *πνεῦμα* die Empfängnis eines Weltes bewirke, nicht belegbar".

(2) M. J. LAURANOR, *La conception surnaturelle*, etc. *Riv.* 23, 1914, 66.

in aquam baptismalem, sed insuper praevia ac solida instructione fiebant; fides pedetentim tantum progrediebatur, prudentiae causa. Ex itineribus apostolicis S. Pauli caeterum constat quod Doctor Gentium in ecclesiis ethnico-christianis modo peculiari in praeeexistentia Christi immoratus est, *Col.* 1, 15; *Phil.* 2, 6. 7; quo statuto, quomodo auctor serius contendere potest quod neo-conversi, qui fide huic praeeexistentiae adhaeserunt, excogitaverint *Iesum filium Dei noviter esse factum* vi commixtionis divinitatis cum muliere carnali, vel etiam vi divinae conceptionis in utero alicuius creaturae mortalis?

Doctrina ergo de conceptione virginali Iesu, in Antiquo Testamento iam praenuntiata, a primis Ecclesiae exordiis absque intermissione praedicata et postea ab Evangelistis scripto consignata, ad doctrinam stabilem Ecclesiae pertinuisse videtur. Nullum indicium dependentiae a mythologiis paganis assignari potest; argumenta contra narrationis evangelicae historicitatem absque fundamento scientifico iudicantur. Iesus supernaturaliter, divinitus conceptus, non factus est Deus, sed ab aeterno fuit verus filius Dei: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... Et Verbum caro factum est », *Ioan.* 1, 14, in utero virginali Mariae, *Lc.* 1, 34. 35.

II. DE VISITATIONE B. MARIAE AD ELISABETH (*Lc.* 1, 39-56).

Quia praesertim difficultates contra auctorem cantici « *Magnificat* » allatae fuerunt, nempe utrum B. Maria an Elisabeth hoc canticum protulerit, duae partes circa hanc pericopam considerandae sunt:

A. Interpretatio ipsius textus.

B. De origine cantici « *Magnificat* ».

A. *Interpretatio textus.*

Tres partes hoc in loco distingui possunt: 1. Adventus et salutatio B. Mariae, vv. 39. 40. 2. Responsio Elisabeth, vv. 41-45. 3. Canticum « *Magnificat* », vv. 46-56.

1. *Adventus et salutatio B. Mariae*, vv. 39. 40.

v. 39. *Exsurgens autem Maria in diebus illis...* Post angeli discessum, audita praegnatione mirabili Elisabeth, Maria in diebus illis abiit cum festinatione, μετὰ σπουδῆς, ad Elisabeth; quibus verbis intelligendum non est Mariam statim abiisse, nam expressiones μετὰ σπουδῆς et ἐν ταῖς ἡμέραις spatium quoddam temporis permittunt ac significare videntur Mariam, ut primum occasio data est, abiisse, se enim praeparare debuit et forsitan etiam comitatum quemdam expectare, in consuetudinibus enim Orientis non fuit ut puella iter huiusmodi sola faceret. Maria certo Ioseph comitem non habuit, alioquin Ioseph statim, audito responso Elisabeth v. 42, praegnationem cognovisset, quam nonnisi post reditum Mariae oculis animadvertit, *Mt.* 1, 18. Motivum itineris disertis verbis non indicatur; cogitandum vero non est de motivo curiositatis aut desiderio veracitatem nuntii angelici explorandi, de qua Maria nullum dubium nutrit, sed opus charitatis prope cognatam suam peragere voluit ac simul cum ipsa gratias Deo agere propter beneficia quibus utraque a Deo dotata fuit. « Non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit », inquit S. AMBROSIIUS. — Quisnam fuerit parenteiae gradus inter Mariam et Elisabeth, nullibi in S. Scriptura indicatur, et, uti supra diximus, cum certitudine determinari nequit; Elisabeth fuit de tribu Levi, Maria de tribu Iuda, de domo David.

Abiit in montana, in civitatem Iuda. Expressione εἰς τὴν ὄρεινὴν

(χώραν) non mons determinatus designatur; Lucas tunc τὸ ὄρος scripsisset (6, 12; 8, 32; 9, 28. 37, etc.), sed regio montana in quantum planitiei opponitur; Lucas probabiliter regionem montanam Iudaeae intendit quae a Bethel ad Hebron se extendit. Abiit *in civitatem Iuda*, εἰς πόλιν Ἰούδα, agitur ergo de civitate quadam in regione montana Iudaeae sita. Quenam sit illa civitas? Quidam opinati sunt Ἰούδα esse transcriptionem nominis hebraici civitatis יוֹטָא, Iuttāh, duabus horis ad meridiem Hebron, quod vix admitti potest, nam Lucas tunc dixisset « in civitatem quae vocatur Iuda », vel « cui nomen Iuda » 1, 26; 2, 4, etc. D. BUZY decem assignat civitates quae propugnatores habuerunt (1). Communiter AIN-KARIM, ex *Iosue* 15, 59, uti locus commorationis Elisabeth consideratur, quae septem Km. circiter ad Occidentem Ierusalem habetur. Argumentum praecipuum huius assertionis est argumentum traditionis. Traditio in favorem Aïn-Karim a saeculo XII est stabilis, vestigia vero huius traditionis certo usque ad saeculum VI, secundum quosdam, usque ad saeculum V ascendunt (2). Quare S. Lucas ampliolem huius loci determinationem non dederit? Hypotheses diversae propositae fuerunt; vel quia erat locus nullius momenti, vel quia ipse nomen proprium loci ignoravit, vel ratione prudentiae, apocryphi enim asserere videntur familiam Zachariae valde odiosam Iudaeis factam fuisse (3). Iter a Nazareth ad Aïn-Karim erat quattuor vel quinque dierum.

v. 40. *Et intravit in domum Zachariae et salutavit Elisabeth.* Lucas de duabus personis principalibus tantum loquitur; fueruntne adhuc alii adstantes? Probabile omnino est, uti diximus, Mariam solam iter non fecisse; deinde quando personae extraneae in pagum quemdam adveniebant, statim, curiositatis causa, plures huius loci incolae se visitoribus adiungebant; suntne personae illae ingressae in domum Zachariae? audieruntne salutationem Mariae, responsum Elisabeth et canticum « *Magnificat* »? Haec omnia ignoramus.

Maria ingressa in domum Zachariae salutavit Elisabeth probabiliter modo iudaico, pacem optans.

2. Responsio Elisabeth, vv. 41-45.

v. 41. *Et factum est, ut audivit...* Quando Elisabeth salutationem Mariae audivit, duplex effectus producit: a) exsultavit infans in utero suo; b) Elisabeth impleta est Spiritu Sancto.

a) *Exsultavit infans in utero*; communiter admittitur heic nuntii

(1) D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 54, enumerat: Machéronte, Sébaste, Bethlehem Ierusalem, Hebron, Juttah, Iuda de Nephtali, Beith-Skaria, Beit-Cha'ar, Aïn-Karim.

(2) D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 58-59.

(3) C. LAVERGNE, *Ev. selon S. Luc*, 1932, p. 21. — Cfr. *RB.* 33, 1924, 619.

angelici e *Lc. 1, 15*: « *Spiritu Sancto replebitur* (filius ex Elisabeth nasciturus) *adhuc ex utero matris suae* » adimpletionem haberi. Expressio « *Spiritu Sancto replebitur*, πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται », quia πνεύματος ἁγίου absque articulo adhibetur, communiter non designat ipsam personam Spiritus Sancti, sed de beneficiis divinis specialibus praedicatur; heic certe non agitur de charismate in ordine ad ministerium praedicationis exercendum, nam in utero materno Ioannes B. illud ministerium exercere nequit; neque de charismate in ordine ad futurum suum ministerium, ad quid enim illud donum iam ab utero materno? Exegetae consentiunt textus *Lucae 1, 15* et *41* de purificatione a peccato originali iam ab utero materno esse intellegendos (1). Haec doctrina, quamvis non sit de fide definita, communiter tamen in Ecclesia admittitur, illamque absque temeritate denegari nequit.

Ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exsultavit infans in utero suo. Relatio ergo adesse videtur inter salutationem Mariae et exsultationem infantis. Motus infantis in utero materno secundum se consideratus non est nisi factum naturale quod omnes matres experiuntur; exsultatio vero Ioannis salutationi ac praesentiae Mariae adscribitur, unde salutatio ac praesentia Mariae aliquo modo cooperata est ad exsultationem ac purificationem infantis in utero materno. Purificatio primum per Deum peracta est ratione praesentiae Christi in utero Mariae. « Haec Beatissimae Virginis cum Filio in conferenda gratia consociatio, inquit F. OGARA, ut hoc loco vox Matris vox ipsa Filii censenda sit, quasi primus anulus est aureae catenae quae per totum Evangelium porrecta, et ad initium Actuum, i. e. ad Ecclesiae nascentis exordia pertingens, omnes et singulas extraordinarias gratiae manifestationes cum eiusdem Christi Matris cooperatione coniungit » (2).

b) *Elisabeth impleta est Spiritu Sancto.* Iterum notandum est πνεύματος ἁγίου absque articulo legi, quo insigne beneficium, gratia specialis ei a Deo collata designatur, nempe ei magna dignitas Mariae, cognatae suae, a Deo revelatur, et sub influxu huius divinae revelationis *exclamavit Elisabeth voce magna: Benedicta tu...* A. PLUMMER heic verum canticum Elisabeth e duabus strophis, 1) vv. 42. 43, et 2) vv. 44. 45, compositum haberi opinatur. Probabile vero est, inquit M. J. LAGRANGE, originale aramaicum non formam poeticam sed prosaicam habuisse. *Exclamavit voce magna*, graece communiter μέγα φωνεῖν = *vocem elerare* dicitur; expressio ἀναφωνεῖν κραυγῇ μεγάλῃ semitismus videtur significans « *voce magna clamare* ». Elisabeth sub influxu di-

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc.*, 1921, p. 17. — D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 64-83. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc.* (éd. L. Pirol) 10, 1935, 24. — F. OGARA, *De doctrina mariana in Visitationis mysterio contenta*, VD. 17, 1937, 200.

(2) F. OGARA, *De doctrina mariana etc.* VD. 17, 1937, 201.

vinæ revelationis, cum esset in conspectu Mariae, commotionem suam non amplius retinere potuit, et voce magna ac commota excellentiam Mariae ac fructus ventris sui proclamavit. *Benedicta tu inter mulieres*, «Benedicta inter» est semitismus quo superlativum significatur. Bis graece εὐλογημένος legitur, quod in S. Scriptura de hominibus praedicatur; de Deo vero εὐλογητός dicitur. Maria deinceps locum specialissimum inter mulieres tenebit; benedicta, εὐλογημένη, est a Deo et *benedictus*, εὐλογημένος, *fructus ventris sui*, quibus verbis insinuat 1) excellentiam Mariae ex parte fructus ventris sui provenire; et manifestatur 2) Elisabeth revera divinam revelationem accepisse, alioquin enim quomodo sola vocis Mariae auditione praegnationem Mariae atque excellentiam fructus ventris sui cognoscere potuisset? — Haec verba Elisabeth secundam partem salutationis angelicae «Ave Maria» constituunt, cum additione nominis «*Iesus*»: Benedictus fructus ventris tui Iesus.

v. 43. *Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* Semper divina revelatione, Elisabeth agnoscit Mariam esse matrem Messiae quem Iudaei avidissime exspectabant, et quem vocat «*Dominum suum*» ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου, sicut David in *Psalmo* 110, 1, Messiam Dominum suum appellat. En vera ratio excellentiae et dignitatis Mariae: est Mater Messiae, mater magni regis, filii David; Elisabeth sane visitatione Mariae valde honoratur, sed praesertim multo magis adhuc miratur quod mater Messiae ad illam venire dignata est. Ecclesia primitiva Mariam uti reginam regni messianici salutavit, et heic forsan fundamentum huius doctrinae adest (1). D. BUZY opinatur Elisabeth non solum messianitatis, verum etiam divinitatis Christi revelationem accepisse, unde Mariam uti matrem Dei iam salutasset (2), quod haud facile probari potest, eo vel magis quod Elisabeth salutat fructum ventris Mariae eadem expressione ac Mariam, εὐλογημένος et non εὐλογητός. Quidquid sit, Elisabeth, aetate iam provecta, coram Maria valde iuvene se humiliat ratione dignitatis supernaturalis qua Filius eius indutus est.

v. 44. *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo.* Maria tempus non habuit rationem suae visitationis reddendi; vix salutationis verba ad aures Elisabeth pervenerant, et infans in utero suo exsultavit; Elisabeth hanc exsultationem gaudio infantis adscribit, et eo in momento, revelatione divina cognovit Mariam esse matrem Messiae.

(1) L. CERFAUX, *Mémoires et Rapports du Congrès Marial*, Bruxelles, 1921, p. 39.

(2) D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 39. «Puisque le Saint-Esprit dévoile en ce moment à Elisabeth le mystère de Nazareth, il semble qu'il ne le lui dévoile pas à demi, mais qu'il l'instruit, en premier lieu, des prérogatives messianique et divin du Fils de Marie».

Infans exsultavit *in gaudio*. Gaudium vero implicat conscientiam, unde plures SS. PATRES, inter quos Irenaeus, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Leo M., Gregorius M. sicut etiam THEOLOGI, uti Caietanus, Suarez, Billuart, Hugon, et EXEGETAE Knabenbauer, Fillion, Buzy, asserunt Ioannem Baptistam eo in momento usum rationis habuisse; immo quidam contendunt Baptistam ab hoc momento usum rationis habuisse, illumque permanenter retinuisse: Origenes, S. Ambrosius, S. Beda, Theophylactus; Suarez, Billuart, Hugon; Buzy (1).

S. *Augustinus* vero asserit « puer moveri potuit etiam instinctu Spiritus Sancti, quin habeat quamdam rationis perceptionem ». S. THOMAS eodem in sensu scribit: « asserendum videtur eos (Ieremiam et Baptistam) sanctificatos fuisse in utero; quamvis in utero usum liberi arbitrii non habuerint, de quo Augustinus in loco citato (epist. ad Dardanum 287) quaestionem movet » (2). CAIETANUS, R. BILLUART, E. HUGON respondent S. Thomam his verbis excludere voluisse usum habitualem et permanentem liberi arbitrii. Secundum Caietanum verba S. Lucae indicarent exultationem motivo supernaturali esse productam, esset ergo motus spiritualis, consequenter exercitium liberi arbitrii. Huic argumento responderi potest: 1) ex facto quod motus ille fuit divinitus productus, non sequitur quod fuit spiritualis; 2) fundamentum in narratione evangelica non habet, nam Lucas asserit solummodo a) quod ratione salutationis Mariae infans in utero materno exsultavit et quod Elisabeth Spiritu Sancto fuit repleta, et b) quod Elisabeth hanc exultationem consideravit uti manifestationem gaudii quod puer coram Messia expertus est. Melius igitur nobis videtur asserere quod ex solo textu Evangelii probari nequit Baptistam usum liberi arbitrii iam ab utero materno habuisse (3).

v. 45. *Et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino*. Graece non « credidisti » sed « credidit, ἡ πιστεύσασα », neque « tibi » sed « ei = αὐτῇ » legitur; proclamatio igitur beatitudinis est valde generalis et affirmari potest de omnibus his qui fidem in promissionibus divinis habent; heic certissime haec verba de fide sunt intellegenda, uti Vulgata habet, quapropter textum a caractere generali in particularem mutavit, et Mariae directe applicavit. Maria beata dicitur non ratione adimpletionis illius quod ei ab Angelo nuntiatum fuit, nempe ratione conceptionis virginalis, sed ratione fidei suae, quam in divinis promissionibus habuit; Maria fir-

(1) CAIETANUS, *Summa Theol.* P. III, q. XXVII, a. 3 et 6. — SUAREZ, *In III, q. XXVII, D. 4, sect. 7, n. 7*. — R. BILLUART, *De Mysteriorum Christi*, D. 2, a. 4. — E. HUGON, *La Mère de Grâce*, 1904, pp. 41, 42. — D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 84-96.

(2) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. XXVII, a. 6, o.

(3) P. SYNAVE, *S. Thomas, Somme Theol. Vie de Jésus*, 1927, pp. 250, 251.

miter credidit ea quae ab angelo ei annuntiata fuerunt, non obstante eorum charactere extraordinario et plane supernaturali. Hanc fidem Mariae cognovit Elisabeth illuminatione Spiritus Sancti.

3. Canticum « *Magnificat* », v. 46-55.

Canticum Mariae considerandum non est ut responsum Elisabeth datum, neque ut oratio proprie dicta, sed potius canticum esse videtur, hymnus gratiarum actionis erga Deum, in quo Deus laudatur propter opus in ipsa peractum omnipotentia ac misericordia divina; conceptio enim virginalis est opus omnipotentiae divinae, est etiam opus misericordiae eo quod Deus puellam conditione humillima elegit in matrem Filii sui. Maxima pars conceptuum e Psalmis ac Prophetis desumpta est. Quoad cantici divisionem, auctores non conveniunt; illud considerando conceptus secundum tres partes dividere possumus:

- a. Maria gratias Deo agit propter opus salutis peractum, vv. 46-48.
- b. Opus illud est opus divinae omnipotentiae ac misericordiae, vv. 49-53.
- c. Opere illo novum regimen, regnum messianicum incipit, vv. 54-55.

a. *Maria gratias Deo agit propter opus salutis peractum*, vv. 46-48.

v. 46. *Magnificat anima mea Dominum.*

v. 47. *Et exsultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

a) Quidam auctores explicant aoristum ἡγαλλίασεν = *exsultavit*, de exultatione Mariae occasione annuntiationis. P. Joŭon rite animadvertit quod aoristum ἡγαλλίασεν post praesens μεγαλύνει = *magnificat*, esset versio servilis alicuius wayyiqṭōl (futuri conversivi) hebraici, quod communiter sensum praeteriti habet, sed quod post formam verbalem cum sensu praesentis, etiam sensum praesentis assumit; unde « exsultat » vertendum esset (1).

b) Substantiva ψυχή = *anima*, et πνεῦμα = *spiritus*, ratione parallelismi, uti verba idem significantia sunt considerata, est anima in quantum corpori opponitur. Divergentia ergo quaedam animadvertitur cum terminologia S. Pauli, apud quem ψυχή est principium vitae naturalis, dum πνεῦμα est elementum proprie spirituale, spiritus hominis qui sub influxu Spiritus Sancti agit (2).

c) Particula ἐπὶ cum ἀγαλλιάουμαι rationem huius exultationis reddit: « exsultat spiritus meus ob Deum, salvatorem meum ». Maria ergo Deum glorificat, laudes magnificas Deo reddit, Ps. 34, 4, et spiritus eius, inenarrabili gaudio perfusus, exsultat propter opus quod Deus in ipsa peregit; opus illud est opus salutis, salus messianica, avidiissime a Iudaeis expectata et quae mox Mariae interventu adveniet.

(1) P. Joŭon, *Evangile de Notre Seigneur Jésus Christ*, 1930, p. 289.

(2) E. B. ALLO, *Première Éptre aux Corinthiens*, 1934, p. 91-101.

v. 48. *Quia respexit humilitatem ancillae suae,
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Deus Mariam uti instrumentum assumpsit ad opus illud perficiendum; ipsa ergo rationes speciales, rationes personales exsultandi habet, quas nunc proponere intendit. *Prima ratio* est: «quia respexit humilitatem ancillae suae». Graece *ταπεινότης* non humilitatis virtutem designat, sed humilem naturae conditionem, abiectiōem; Maria ratione humilis suae conditionis inter mulieres quasi ignorata erat; nunc vero Deus ipse, benignis oculis, abiectiōem ancillae suae respexit, illam nempe inter tot alias in matrem Filii sui eligendo; haec commemoratio habetur responsi Mariae angelo: «ecce ancilla Domini», *Lc. 1, 38*. Maria de sua humilitate non loquitur, inquit MALDONATUS, virtutem tamen exercet. — Anna, mater Samuelis, fere eadem expressione utitur quando Deo dicit: «*Si respiciens videris afflictionem famulae tuae*», *I Sam. 1, 11*, sed in circumstantiis plane diversis: Anna suam sterilitatem considerat et obsecrat Deum ut hanc abiectiōem respiciat eique filium det. Maria e contra gratias Deo agit propter beneficium insigne acceptum, nam, non obstante sua humili conditione, Deus illam in matrem Filii sui elegit. Quamvis expressiones ergo sint similes, res vero de qua agitur est prorsus diversa, uti contexta oratione probatur (1).

Secunda ratio exsultationis Mariae in secundo membro indicatur: «*Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*». Duo quoad textum notanda sunt: 1) Expressio «*ἰδοὺ γάρ* = *ecce enim*» est formula saepe adhibita ad prophetiam introducendam. 2) Graece ἀπὸ τοῦ νῦν praesertim apud *Lucam* 5, 10; 12, 52; 22, 18. 69; *Act.* 18, 6; item apud *Ioannem* 8, 11; apud Paulum *II Cor.* 5, 16, legitur et significat non «ab hoc ipso momento», sed «in posterum», «temporibus posterioribus». Ratione operis Incarnationis, in posterum omnes generationes beatam proclamabunt hanc humilem puellam; Maria tamen omnem gloriam ad Deum refert, nam Omnipotens haec magna illi fecit, v. 49. Praesertim apud Orientales ubi numerosa proles uti specialis benedictio divina considerabatur, homines mulieribus de pueris suis gratulabantur, immo mulieres ipsae, occasione nativitatis pueri, seipsas beatas dicebant; sic Lia sterilis, quando filius ancillae suae natus est, exclamat: «Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres», *Gen. 30, 11*. Verba Mariae vero ampliorem habent extensionem, veram prophetiam nunc plene adimpletam continent; non enim solae mulieres vicinae, sed omnes generationes successive et simultanee, absque ulla intermissione, Mariam beatam proclamabunt; omnes

(1) M. J. LAGRANGE, *Évangile de S. Luc.*, 1921, p. 47.

filium Mariae uti verum Messiam Salvatorem, uti verum Filium Dei agnoscent, et honor huius Filii in matrem redundabit; et ita omnes nostrae orationes, omnia Ecclesiae cantica Mariae ratione Filii sui divini gratulantur.

b. *Opus a Deo peractum est opus omnipotentiae ac misericordiae divinae*, vv. 49-53.

Expositis rationibus suae exultationis, Maria proclamat primo opus a Deo in ipsa adimpletum esse opus divinae omnipotentiae.

v. 49. *Quia fecit mihi magna qui potens est*

Et sanctum nomen eius.

Illa *μεγάλα* = magna quae omnipotentia divina Mariae fecit est ipsa conceptio supernaturalis ac virginalis qua Maria mater Messiae et mater Filii Dei constituitur et ratione cuius omnes generationes illam beatam proclamabunt. Opus illud est opus potentiae Dei, nam ὁ δυνατός, Deus potens, hoc fecit. Etiam in *Ps.* 71, 19 divina omnipotentia verbis similibus exaltatur: «Deus usque in altissima, quae fecisti magnalia». — *Et sanctum nomen eius*, sicut in *Ps.* 111, 9: «Sanctum et terribile nomen eius». «*Nomen*» aramaice et hebraice saepissime ad ipsam personam designandam adhibetur; unde heic ille qui potens est, Deus, etiam sanctus est, ratione suae maiestatis supremæ, ratione suae transcendentiae. Duo illa attributa divina «*omnipotentia et sanctitas*» saepe in Antiquo Testamento coniunguntur.

Opus in Maria adimpletum est insuper opus divinae misericordiae:

v. 50. *Et misericordia eius a progenie in progenies*

Timentibus eum.

Infinitum finitum respexit; misericordia divina sequitur omnipotentiam divinam, nam infirmitatem, impotentiam hominis considerans, Deus erga ipsum misericordiam suam demonstrat; misericordia illa divina erga populum electum in A. T. pluries elucet, at praesertim erga Mariam, in mysterio Incarnationis, Deus hanc misericordiam manifestavit; immo Maria annuntiat quod etiam in posterum haec misericordia nunquam hominibus deerit, ad omnes gentes se extendet, nulla gens bonis messianicis privabitur, dummodo Deum timeant, Deum amoris ac sanctitatis agnoscant, illum cum timore vere filiali ament, illi semper et ubique fideliter serviant, uti creaturis competit: «Misericordia autem Domini ab aeterno, et usque in aeternum super timentes eum», *Ps.* 103, 13; item *Deut.* 7, 9. Maria ergo, Spiritu Sancto illuminata, clare videt consequentias quas opus Incarnationis deinceps in saeculis venturis et respectu omnium hominum habebit.

Ut misericordia Dei habeatur, timor Dei, timor filialis, requiritur; contra alios vero, contra superbos et potentes potenter aget.

v. 51. *Fecit potentiam in brachio suo,
Dispersit superbos mente cordis sui.*

Diversi aoristi, qui heic et in sequentibus occurrunt, modum communem agendi divinae Providentiae designant: Erga Mariam quae humilitate excelluit, Deus cum misericordia egit, est modus communis agendi Dei: suam misericordiam erga humiles exhibet. Contra superbos vero non misericordiam, sed *brachium suum* ostendit; brachium divinum est figura qua in litteratura biblica potentia divina significatur: Potentia divina illos dispersit et disperdet: «Deus in brachio virtutis suae dispersit inimicos suos», *Ps.* 89, 11. Superbi quos Maria heic intendit sunt *superbi mente cordis sui*. *Cor* apud Hebraeos est sedes desideriorum ac cogitationum, dispositionem ergo intellectus ac voluntatis designat. Superbi mente cordis sui non sunt igitur illi inimici superbi qui armis directe populum israheliticum impugnant et indirecte contra Deum, patrem et protectorem huius populi, insurgunt, sed sunt intellectuales, sapientes secundum sapientiam humanam, qui coniurationem quamdam contra Deum constituere videntur, *Ps.* 2, 1, qui amore inordinato sui ipsius se mente et intellectu supra omnia, supra Deum ipsum exaltare volunt, qui directe ergo contra supremam divinam maiestatem insurgunt et intellectum ac voluntatem suam coram Deo inclinare recusant. Deus superbos non amat, Deus odit superbos, *Iob* c. 38, 15; non misericordiam sed potentiam suam contra illos ostendit, immo unico gestu illos disperdit, illos fugat. Per Mariam, per opus in Maria adimpletum, Deus superbiam humanam, sapientiam hominum confundit; quis enim ex his sapientibus unquam cogitare potuisset quod Filius Dei Altissimi et unigenitus de caelo descendisset ad carnem humanam sumendam in utero puellae humilis ac ignotae conditionis et ad opus redemptionis generis humani peragendum? Opus illud omnem sapientiam humanam superat: «Stultam fecit Deus sapientiam huius mundi» *I Cor.* 1, 20; «perdam, inquit Deus, sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo», *Is.* 29, 14. Cfr. *Is.* 55, 8-9; *Sap.* 5, 7-12; *I Cor.* 3, 19.

v. 52. *Deposuit potentes de sede,
Et exaltavit humiles.*

Maria magis evolvit conceptus in vv. 50. 51 expressos. Parallelismus antitheticus est notandus: superbiorum humiliatio, humiliorum exaltatio. Duplex ille conceptus frequenter et communiter in sensu valde generali ab hagiographis A. T. affertur. Sub hac forma generali etiam in cantico Annae *I Sam.* 2, 7 asseritur. Declaratio Mariae vero in hoc sensu generali explicanda non est, sed in sensu magis concreto, Maria ad factum bene determinatum alludere videtur. Ex historia

Israëlis scimus quod quidam reges usurpatores δουδσται, nullum ius ad thronum abentes exstiterunt, vel reges qui ratione superbiae consilia ac decreta divina despexerunt ideoque thronum David contaminaverunt; hos Deus, vel de solio eorum deposuit, vel summas humiliactiones ac contumelias eis inflixit. Olim Deus Saulem a throno relegavit ac Davidem regem fecit; Achaz superbia sua valde punitur et usque ad finem vitae suae miseris modis victitavit. Tempore annuntiationis etiam rex usurpator, Herodes Idumaeus, super solium sedit, sed non stabit, nam miserrime morietur et superbi usurpatoris auctoritati Iesus propriam suam auctoritatem substituet, Iesus filius humilis ac absconditae virginis. Deus potentes deponit et humiles exaltat. Ad hoc factum Maria forsitan alludit et ad illud alludere potuit, nam angelus annuntiationis ei nuntiaverat quod filius ex ipsa nasciturus sedebit super sedem David patris eius et regnabit in domo Iacob in aeternum, *Lc. 1, 32.*

v. 53. *Esurientes implevit bonis,
Et divites dimisit inanes.*

Iterum parallelismus inter utrumque membrum, sed ordine diverso a v. 52 propositus; ibi primo potentes, deinde humiles, heic v. 53 primo humiles seu esurientes, deinde potentes seu divites. Imago de modo agendi apud curiam regalem orientalem desumitur: Divites ad regem orientalem accedentes, multa et pretiosa dona ei obtulerunt; reges vero, ne divitibus subditis inferiores iudicarentur, maiora adhuc dona divitibus dederunt, *I Reg. 10, 2. 13.* Pauperes, e contra, qui nihil habent, dona offerre nequeunt, unde etiam nihil accipiunt, accessum caeterum ad regem non habent. Deus modo plane contrario agere videtur: *esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Cogitandum non est de mutatione ordinis socialis quam Deus peragere intenderet, auctoritatem scilicet a divitibus auferendo, ac potestatem pauperibus conferendo. Sensus e contra est quod Deus humiles, pauperes, non despexit: qui divina beneficia humiliter petit, qui *esurit* seu dona divina avide appetit, sive sit conditione humili, sive nobili, ille abundanter dona illa accipiet; qui vero credit ius ad divina dona habere ratione donorum quae ipse Deo obtulit, ille a Deo dimittitur inanis. Iterum conceptus valde generales qui variis in locis S. Scripturae occurrunt: in cantico Annae, *I Sam. 2, 5*; in *Ps. 34, 11*; *107, 9*. Contextus vero qui immediate sequitur manifestat quod dona messianica intenduntur quae divites mundani, bonis materialibus gaudentes, neque ad suum valorem aestimant, neque desiderant; bona materialia eis sufficiunt, de spiritualibus curam non habent. Pauperes e contra, illi scilicet qui bona messianica appetunt, qui esuriunt, his bonis saturabuntur. Bona temporalia divitibus non auferuntur, at bona messianica, quae non ap-

petunt, frustrantur. Regnum messianicum est regnum esurientium, *Is.* 61, 1. 2.

c. *Conceptione virginali regnum messianicum incipit*, vv. 54, 55.

Consensu omnium, ea quae sequuntur messianica sunt: Canticum clara et aperta assertione messianica terminatur. Quod Deus Patriarchis promisit quoad salutem messianicam, nunc conceptione virginali adimpletur. Regnum messianicum pauperibus promissum nunc incipit.

v. 54. *Suscepit Israël puerum suum,
Recordatus misericordiae suae.*

v. 55. *Sicut locutus est ad patres nostros,
Abraham et semini eius in saecula.*

Quoad textum notanda sunt: 1. Versiculus 54 commemorat *Ps.* 98, 3 et *Is.* 41, 6 sq. $\pi\alpha\tau\acute{\iota}\varsigma$ = puer, aequivalet hebraeo 'ebed = *servus*, *Is.* 41, 8. 2. *Abraham et semini eius*, graeco $\tau\omega$ 'Αβραάμ, ratione diversitatis casus α $\pi\rho\varsigma$ τοὺς πατέρας ἡμῶν dependere non potest, sed a $\mu\eta\tau\sigma\theta\eta\upsilon\alpha\iota$ = *recordatus* dependet: «Deus recordatus est misericordiae suae erga Abraham et semen eius». Unde v. 54^a ut parenthesis est considerandus.

Maria hoc loco totum prophetismum A. T. evocat. Deus olim pluries benedictiones messianicas Abrahae promisit, benedictiones quae universas cognationes terrae attingere debuerunt, *Gen.* 12, 3. Nunc vero non amplius tempus promissionum habetur, sed tempus adimplentionis promissionum advenit. Deus recordatus est promissionum quas olim Abrahae fecit et quae fuerunt promissiones messianicae, illasque nunc adimplevit, nam Messias a saeculis promissus super terram apparuit, virginaliter in utero Mariae conceptus est. Novum igitur regimen incepit, regimen messianicum et hoc erit *in saecula*, in aeternum. Bonum messianicum in his versiculis 53-54 ad solam posteritatem Abrahae se extendere videtur, dum secundum promissiones Abrahae factas, omnes nationes huius terrae attingere debuissent, *Gen.* 12, 3; *Lc.* 1, 48. 50. Maria certo has promissiones cognovit, sicut quicumque pius iudaeus; canticum vero ad initium Incarnationis prolatum se refert ad prophetiam quae dicit Israël futurum esse instrumentum divinum per quod salus messianica, regnum Dei, ad alias nationes perveniet, *Gen.* 18, 18; *Is.* 42, 6. 7, ad posteritatem spiritualem Abrahae.

Cantico prolato, S. Lucas adnotat v. 56 quod *Maria mansit cum Elisabeth quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam*. Utrum Maria usque post nativitatem Ioannis Baptistae apud Elisabeth permanserit, inter auctores disputatur. Si narratio Lucae ad litteram sumatur, dicendum est Mariam ante nativitatem Baptistae abiisse, nam solummodo in v. 57 nativitas Baptistae narratur.

PLERIQUE AUCTORES opinantur Mariam usque post nativitatem

Baptistae apud Elisabeth mansisse, et adnotant quod secundum suum processum litterarium, S. Lucas intendit primo finire ea quae se ad Mariam referunt, antequam novam narrationem incipiat; sic enim narrat primo incarcerationem Baptistae, *Lc. 3, 19. 20* et postea baptismum Iesu cui Ioannes tamen adstitit, *Lc. 3, 21. 22* (1).

M. J. LAGRANGE respondit quod textus Lucae non est nisi parenthesis, *Lc. 3, 19. 20*, e qua aperte constat Lucam factum incarcerationis Baptistae anticipasse. Quoad nostrum textum vero, maxima pars Patrum Graecorum, contra Latinos, asserit Mariam ante nativitatem Baptistae abiisse, et ratio eorum, quam M. J. LAGRANGE peremptoriam iudicat, est: quia secundum consuetudines orientales, quas Graeci certo cognoverunt, momento partus, domus Zachariae non amplius « virgini » conveniebat. Maria mansit quamdiu opus charitatis apud cognatam suam adimplere potuit; abiit vero quando aliae mulieres, obstetrices, servitium suum incipere debuerunt (2).

B. De origine cantici « Magnificat ».

Anno 1893, A. LOISY iam insinuavit hypothesim secundum quam Lucas canticum « *Magnificat* » non in ore Mariae sed in ore Elisabeth posuisset (3). D. VÖLTER anno 1896 magis hanc hypothesim determinavit dicens Lucam ipsum canticum « *Magnificat* » desumpsisse ex apocrypho, cuius titulus « *Apocalypsis Zachariae* », in quo Elisabeth canticum protulit; posteriori vero tempore christianus quidam ignotus attribuit Mariae canticum quod Elisabeth occasione nativitatis filii sui cecinit (4). Quando anno 1897 DOM GERMANUS MORIN textum completum tractatus « *De psalmodiae bono* » a S. Niceta episcopo Remesianae in Dacia (c. 400) compositi edidit, ibique « *Magnificat* » matri praecursoris fuisse adscriptum adnotavit, A. LOISY sub pseudonymo « FRANÇOIS JACOBÉ » argumenta externa et interna antea ab ipso iam proposita, iterum assumpsit et evolvit, et concludit quod saltem probabilitas externa adest in favorem opinionis dicentis canticum ab Elisabeth fuisse prolatum (5). Lucas in evangelio suo canticum simpliciori forma « *et ait* » introduxerat; in quibusdam manuscriptis tamquam sub-

(1) F. PRAT, *Jésus-Christ*, 1, 1933, 67. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 35.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 51. — J. LEBRETON, *La vie et l'enseignement de Jésus Christ Notre Seigneur*, 1, 1931, 43. — A. VALENSIN et J. HUBY, *Evang. selon S. Luc*, 1930, p. 25.

(3) A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, dans *Revue « L'enseignement biblique »*, 1893, p. 35-36.

(4) D. VÖLTER, *Die Apokalypse des Zacharias im Evangelium des Lukas*, « *Theologisch Tijdschrift* », 30, 1896, 224-269. — G. USENER, *Geburt und Kindheit Christi*, ZNIV. 4, 1903, 1-21.

(5) F. JACOBÉ (A. LOISY), *L'Origine du Magnificat*, RHLR. 2, 1897, 424-432.

iectum *Elisabeth* adiuncta fuit, in aliis vero *Maria*. Hanc sententiam ut fere certam proposuit A. LOISY in ulterioribus suis publicationibus (1).

Apud omnes illos auctores quaestio versabatur circa personam quae canticum cecinerat, utrum fuerit *Maria* an *Elisabeth*. A. HARNACK, anno 1900, sub alio aspectu quaestionem consideravit: Duo priora capita terti Evangelii a Luca sunt composita; ipse etiam «Magnificat» composuit, illudque in ore Elisabeth posuit ac solis verbis καὶ ἔπεν illud in Evangelium introduxit (2). A. HILGENFELD et F. SPITTA thesim A. HARNACK impugnaverunt contendentes «Magnificat» in evangelio tertio Mariae esse adscribendum; *Maria* tamen illud non composuit, nam «Magnificat» fuit hymnus iudaicus iam existens quem auctor Evangelii in historia infantiae inseruit et in ore Mariae posuit; et A. HILGENFELD addit «Magnificat» originaliter fuisse canticum triumphi Iudith post mortem Holopherni et fugam inimicorum (3).

Duplex igitur quaestio ponitur: 1. Utrum *Maria* an *Elisabeth* «Magnificat» protulerit? 2. Quisnam sit auctor qui «Magnificat» composuit?

1. *Utrum Maria an Elisabeth «Magnificat» protulerit?*

Argumenta, quae communiter in favorem Elisabeth et contra Mariam afferuntur, sunt externa et interna, et secundum A. LOISY veram probabilitatem concedere videntur sententiae quae propugnat Elisabeth «Magnificat» in sua exultatione cecinisse.

a. *Argumenta externa.*

Argumenta ista sunt triplicis generis: 1) Testimonia manuscriptorum. 2) Testimonia scriptorum ecclesiasticorum. 3) Testimonium liturgiae graecae.

1) *Testimonia manuscriptorum.* Tria manuscripta habentur, non manuscripta textus originalis graeci, sed veteris versionis latinae, nempe codex *Vercellensis* (a) circa finem saeculi IV in Italia Septentrionali probabiliter conscriptus; codex *Veronensis* (b) circa saeculum V originem etiam ex Italia Septentrionali ducens; demum codex *Rhedigerianus* (l) e saeculo VII; tres illi codices legunt: «et ait Elisabeth».

2) *Testimonia scriptorum ecclesiasticorum.* a) S. NICETA in «De

(1) A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, 1, 1907, 302-305.

(2) A. HARNACK, *Das Magnificat der Elisabeth* (Lc. 1, 46-55) *nebst einigen Bemerkungen zu Luc 1 und 2*, in *Sitzungsberichte der königlich-preussischen Akademie der Wissenschaften zu Berlin*, 1900, p. 538-550.

(3) A. HILGENFELD, *Die Geburts- und Kindheitsgeschichte Jesu*, Lc. 1, 5-2, 52. *Zeitschr. für wissenschaftliche Theologie*, 9, 1901, 177-235. — F. SPITTA, *Das Magnificat, ein Psalm der Maria und nicht der Elisabeth*, «*Theologische Abhandlungen*», *Festg. zum 17. mai 1902 für H. J. Holtzmann*, p. 63-64.

Psalmodiae bono » asserit quod secundum liturgiam suae Ecclesiae Daciae « Magnificat » non a Maria sed ab Elisabeth fuit cantatum, nam legit « et ait Elisabeth ». — b) S. IRENAEUS: inter manuscripta versionis latinae libri S. Irenaei « *Adversus Haereses* », l. IV, c. 7, n. 1 duo codices: *Claromontanus* e saeculo IX et *Vossianus* e saeculo XIV legunt: « sed et Elisabeth ait: Magnificat anima mea ». — c) ORIGENES: in homilia VII super *Lucam* 1, 41 legitur: « Invenitur beata Maria, sicut in aliquantis exemplaribus reperimus, prophetare. Non enim ignoramus quod secundum alios codices et haec verba Elisabeth vaticinetur ».

Haec sunt argumenta ab A. LOISY et A. HARNACK locis supra citatis exposita, quibus positis, concludit FRANÇOIS IACOBÉ quod antiquissima documenta tam orientalia quam occidentalia ita dividuntur ut utrique lectioni aequalis probabilitas externa sit concedenda (1). His testimoniis tertium adiungit H. A. KÖSTLIN e liturgia graeca haustum.

3) *Testimonium liturgiae graecae*. H. A. KÖSTLIN contendit quod etiam in Ecclesia graeca canticum « Magnificat » considerabatur non ut canticum Mariae sed Elisabeth. Etenim in liturgia graeca Matutinum, invocationibus ac laudibus in honorem SS. Trinitatis peractis, diaconus fideles invitat ut orationes suas ad Matrem Christi dirigant; unus chorus tunc cantat successive versiculos « Magnificat », alter vero repetit antiphonam in honorem B. Mariae Virginis. Porro ex facto quod « Magnificat » sic ad Mariam ipsam dirigitur, concludit H. A. Köstlin, quod ad mentem traditionis primitivae Ecclesiae non fuit prolatum neque compositum a Maria (2).

En igitur argumenta externa quorum valor nunc examinetur oportet.

1) *Testimonia manuscriptorum*. Manuscripta allata, a, b, l, demonstrant quod in quibusdam ecclesiis particularibus Occidentis lectio « et ait Elisabeth » admissa fuit. Sed omnia manuscripta graeca quae summi sunt momenti legunt καὶ εἶπεν Μαριάμ; similiter omnes codices Vulgatae, omnes versiones syriacae et copticae.

2) *Testimonia scriptorum ecclesiasticorum*. a) Testimonium S. NICETAE probat tantum quod circa finem s. IV vixit in quibusdam ecclesiis Daciae lectio « et ait Elisabeth ». A. DURAND vero de huius lectionis authenticia in opere NICETAE dubitat, nam in « *De Psalmodiae bono* » de canticis A. T. tantum agere videtur, quapropter cantica « *Benedictus* » et « *Nunc dimittis* » omissa sunt, unde omnino probabile

(1) F. JACOBÉ, *L'origine du Magnificat*, RHLR. 2, 1897, 432.

(2) H. A. KÖSTLIN, *Das Magnificat*, Lc. 1, 46-55. *Lobgesang der Maria oder der Elisabeth*, ZNW. 3, 1902, 142-145.

credit A. DURAND quod etiam « *Magnificat* » in opere S. NICETAE originali fuit omissum (1).

b) Argumentum ex operibus S. IRENAEI haustum omni valore deesse videtur. Notetur enim oportet quod in eadem versione latina operis S. Irenaei « *Adversus Haereses* » l. III, c. X, n. 2, omnia manuscripta legunt: « propter quod exsultans Maria clamabat pro ecclesia prophetans: Magnificat anima mea » (2). Insuper etiam in « *Adversus Haereses* » l. IV, c. VII, n. 1, in loco ab adversariis allato, omnes codices, duobus tantum exceptis, *Claromontano* (s. IX) et *Vossiano* (s. XIV), habent « et ait Maria ». Unde asserere possumus quod S. Irenaeus « *Magnificat* » Mariae matri Salvatoris et non Elisabeth matri praecursoris adscripsit. Lectio « et ait Elisabeth » in *Claromontano* et *Vossiano* non est Irenaei sed alicuius copistae qui sub influxu codicum a, b, l probabiliter stetit.

c) Argumentum ex operibus ORIGENIS allatum maioris valoris non est. 1) Praenotandum est textum graecum homiliae VII super *Lucam* 1, 41 non amplius existere. 2) In homilia VIII quae ex professo de « *Magnificat* » agit, et cuius textus graecus et latinus conservantur, ORIGENES absque ulla restrictione « *Magnificat* » Mariae attribuit. 3) In homilia VII ORIGENES parallelum inter Elisabeth et Mariam instituit: Elisabeth, post exultationem filii sui in utero suo impleta est Spiritu Sancto et prophetavit dicens: « Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? » Sic etiam Maria post conceptionem filii sui impleta est Spiritu Sancto et prophetavit dicens: « Magnificat anima mea Dominum et exultavit Spiritus meus in Deo » etc. Si immediate postea ORIGENES adiunxisset « non enim ignoramus quod secundum alios codices et haec verba Elisabeth vaticinetur », totum suum argumentum destruxisset. Unde opinamur hanc animadversionem non esse ORIGENIS sed probabiliter illius qui textum a graeco in latinum vertit.

De testimoniis scriptorum ecclesiasticorum ergo pauca manent. Adiungendum insuper est quod omnes scriptores ecclesiastici *graeci* et *syriaci* lectionem « et ait Maria » supponunt; illa et illa sola in omnibus scriptis saeculo III anterioribus occurrit. TERTULLIANUS circa initium saeculi III illam in tractatu « *De Anima* » XXVI sequitur. TATIANUS circa 180 in « *Diatessaron* » illam admittit, et circa idem tempus *Protoevangelium Iacobi* 12, 1 « *Magnificat* » Mariae adscripsit (3). Inter auctores ecclesiasticos latinos, principales S. AMBROSIIUS, S. AUGUSTINUS,

(1) A. DURAND, *L'Origine du Magnificat*, RB. 7, 1898, 75.

(2) S. IRENAEUS, *Adv. Haereses*, III, x, 2. P. G. t. 7, c. 873. — *Adv. Haereses*, IV, vii, 1. P. G. t. 7, c. 991.

(3) F. SPITTA, *Das Magnifikat, ein Psalm der Maria und nicht der Elisabeth*. « *Theolog. Abhandlungen* », Festg. zum 17 mai 1902 für H. J. Holtzmann, p. 63-64.

S. HIERONYMUS legerunt «et ait Maria». Dicere ergo possumus quod, quibusdam ecclesiis occidentalibus particularibus exceptis, ubique in Ecclesia, in Oriente, in Africa Septentrionali, in Occidente, lectio «et ait Maria» praevalet.

3) *Testimonium liturgiae graecae*. P. NILLES ostendit quod textus liturgici ab H. A. KÖSTLIN citati non ad liturgiam graecam sed ad liturgiam slavicam posteriorem pertinent. At supponamus Ecclesiam graecam «Magnificat» uti ab Elisabeth prolatum considerasse, tunc quaeritur quomodo eadem Ecclesia illo uti potuisset ad Mariam venerandam ac celebrandam, nam neque de Maria tunc loquebatur, neque ad illam dirigebatur. Demum non bene vim huius argumenti vidimus; quare enim Ecclesia hoc canticum non adhibuisset ad Mariam venerandam quia a Maria prolatum fuerat? Maria enim propriam suam gloriam ibi exaltabat ad gratias Deo agendas pro opere in ipsa adimpleto (1).

Concludere igitur possumus, quoad argumenta externa, quod traditio ecclesiastica orientalis, africana, occidentalis Mariae et non Elisabeth favet. Quae conclusio cum determinatione *Commissionis Biblicae* diei 26 Iunii 1912 consentit, quae dicit quod «rarissima illa et prorsus singularia documenta, in quibus canticum *Magnificat* non beatæ virginis Mariae, sed Elisabeth tribuitur, nullo modo praevalere possunt neque debent contra testimonium concors omnium fere codicum tum graeci textus originalis, tum versionum» (2).

Quomodo nunc nomen Elisabeth in quaedam documenta penetravit? Plerique auctores, inter quos A. LOISY, A. HARNACK, A. DURAND, F. C. BURKITT, W. A. WORDSWORTH, supponunt Lucam in Evangelio καὶ εἶπεν scripsisse, et copistas, desiderio magis determinandi, sive «Maria», sive «Elisabeth» adiunxisse. At lectio καὶ εἶπεν absque subiecto in nullo documento conservatur, unde hypothesis haec absque fundamento videtur. Ex alia parte, omnia manuscripta graeca, syriaca, coptica, latina Vulgatae habent «et ait Maria»; Lucas igitur «et ait Maria» in suo Evangelio scripsit. Quomodo ergo nomen Elisabeth introductum fuit? Forsan a quodam copista qui, cum intentione clarius dicendi Mariam Elisabeth allocutam esse, illud nomen adiunxit et scripsit: «Et ait Maria Elisabeth», ita etiam in Peshitta adiunctum fuit nomen «Mariae» apud *Lc.* 1, 42: «et dixit *Mariae*», et apud *Lc.* c. 1, 56 nomen «Elisabeth»: «et mansit Maria cum *Elisabeth*». Postea vero in quadam ecclesia particulari occidentis copista quidam iudicans

(1) P. NILLES, *Ueber die Sängerin des Magnificat*, ZKT., 27, 1903, 375. — P. LADEUZE, *De l'origine du Magnificat et de son attribution dans le troisième Evangile à Marie ou à Elisabeth*, RHE. 4, 1903, 628.

(2) *Commissio Biblica, Enchiridion*, n. 411.

unum ex duobus nominibus superfluum, abstulit « Maria » et reliquit « Elisabeth » (1).

b. *Argumenta interna.*

1. Argumentum principale quo A. HARNACK probare conatur « Magnificat » non fuisse a Maria sed ab Elisabeth prolatum, desumitur ex comparatione inter *Lc.* 1, 46-55 et *I Sam.* 2, 1-10.

Persona quae « Magnificat » protulit suam inspirationem in cantico Annae *I Sam.* 2, 1-10 quaesivit. Porro canticum Annae est canticum mulieris a qua Deus miraculose opprobrium sterilitatis abstulit. Ergo « Magnificat » est etiam mulieris quae in eadem fuit conditione, scil. Elisabeth et non Mariae.

Probatur maior: a. Initium cantici Annae *I Sam.* 2, 1, substantia-liter in *Lc.* 1, 46-47 reproducitur. — b. *Lc.* 1, 48 *ὅτι ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπεινώσιν τῆς δούλης αὐτοῦ* commemorat orationem Annae *I Sam.* 1, 11 *ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπεινώσιν τῆς δούλης σου*, votum fecit Anna et petit ut Deus respiciat suam humiliationem a sua sterilitate proveniente et ut opprobrium huius sterilitatis ab ipsa auferat. — c. *Lc.* 1, 52-53 certo dependet a *I Sam.* 2, 7 ubi etiam de pauperum exultatione agitur. Ex quibus concludit A. HARNACK quod persona quae « Magnificat » cecinit suam inspirationem in *I Sam.* 2, 1-10 quaesivit.

Respondetur. Supponamus quod persona quae in « Magnificat » loquitur de facto suam inspirationem in cantico Annae quaesierit, ex hoc non sequitur quod ipsa in eadem conditione versabatur. Expressiones enim quae e cantico Annae desumptae dicuntur, nullam allusionem ad « sterilitatem » Annae habent, sunt expressiones actionis gratiarum ac laudum in honorem divinae Providentiae, et quibus uti potest quaecumque persona quae Deum laudare aut ei gratias agere intendit. Unde ut aliquis has expressiones assumere possit, non in conditione Annae versari oportet, sed sufficiens esset ut motivum gratias agendi haberet.

Ad probationem ab A. HARNACK allatam dicendum est: a. Conceptus expressus in *Lc.* 1, 46. 47 et in *I Sam.* 2, 1, valde diversus esse videtur: in Cantico Annae, gratiae Deo aguntur propter « auxilium » a Jahweh acceptum contra inimicos; quapropter plerique auctores opinantur Canticum *I Sam.* 2, 1-10 fuisse originaliter hymnum triumphalem alicuius militis qui post bellum victoriosum ad suos reversus est (2); dum e contra in « Magnificat » directe laudes in honorem Dei exprimuntur non propter auxilium contra inimicos obtentum, sed

(1) L. PIROT, *Commission Biblique et Magnificat*, DBS. 2, 1934, 1270, 1272.

(2) P. LADOUZIE, *De l'Origine du Magnificat*, RHE. 4, 1903, 632.

propter opus salutis, salutis messianicae, in ipsa persona quae cantat, peractum. Huius generis laudes praesertim in *Ps.* 34, 4 et 35, 9 habentur. — b. Humilitas *ταπεινότης* apud *Lc.* 1, 48 non est sicut in *I Sam.* 1, 11 humiliatio quae ex sterilitate provenit, sed conditio humilis quam Deus respexit; persona, quae « Magnificat » cantat, laudat Deum quia magna et mirabilia in femina humillimae conditionis peregit; conceptus huiusmodi in Cantico Annae deest. — c. Conceptus qui apud *Lc.* 1, 52. 53 referuntur sunt conceptus characteris valde generalis, qui totum A. T. percurrunt, et qui inveniuntur in *Psalms* 34, 11; 107, 9; apud Prophetas, *Ez.* 21, 26; in Sapientialibus, *Eccli.* 10, 17; variis in circumstantiis adhibentur ac variis situationibus applicantur. *Lc.* 1, 53 « Esurientes implevit bonis et divites dimisit inanes » fere verbotenus in *Ps.* 34, 11 et 107, 9 inveniuntur, non vero in Cantico Annae *I Sam.* 2, 7.

Dependentia ergo *Lc.* 1, 52. 53 a *I Sam.* 2, 7, nullatenus constat, et inspiciendo A. T., opinamur fontem « Magnificat » non in Cantico Annae sed potius in variis *Psalms* esse inquirendum.

Huic responsioni quaedam notatu digna addenda esse iudicamus. — 1. Ultimae explicationi angeli Annuntiationis circa conceptionem virginalem respondit Maria: « Ecce ancilla Domini », *Lc.* 1, 38. Quando vero nunc in eodem capite *Lucae* 1, 48 cantare audimus: « quia respexit humilitatem ancillae suae », statim mens nostra ad illam vertitur quae supra angelo respondit: « Ecce ancilla Domini ». — 2. Elisabeth coram Maria se humiliavit ac Mariam benedictam inter mulieres declaravit, *Luc.* 1, 45; possumusne admittere quod statim postea Elisabeth ex sua humilitate egressa sit et quod se super omnes mulieres exaltaverit dicens: « ex hoc beatam me dicent omnes generationes »? *Lc.* 1, 48. Haec verba in ore illius potius conveniunt, quae beata inter mulieres fuit proclamata, scil. Mariae et non Elisabeth. — 3. Notandum demum est quod in « Magnificat » ne verbum quidem habetur quod se referat ad sterilitatem, multo minus ad longam ac contumeliosam sterilitatem. Caeterum, si Elisabeth gratias Deo agere voluisset propter opprobrium ablatum, hoc primo instante suae praegnationis vel in die natiuitatis Baptistae fecisset.

Huic primo argumento quaedam ex ipsa critica interna Cantici « Magnificat » ab A. HARNACK adiunguntur: 1. Ad introducendum responsum Mariae, novae ergo personae, *Lc.* 1, 46 non καὶ εἶπεν, sed εἶπεν δέ, sicut in vv. 34 et 38 scribere debuisset, eo enim modo oppositio denotatur inter personam quae sermonem suum terminat et personam quae novum sermonem incipit. — 2. Lucas in historia infantiae, quando sermonem novae personae introducit, semper adnotat quod « impleta Spiritu Sancto » dixit; ita v. g. Elisabeth, *Lc.* 1, 41; Zacharias, *Lc.* 1, 67; Simeon, *Lc.* 2, 26. 27. Occasione vero « Magnificat »

scribit tantum « et ait ». Textus ergo *Lucae* 1, 46 indicare videtur quod eadem persona, scil. Elisabeth, sermonem suum persequitur (1). — 3. Conclusio *Lucae* 1, 56 « mansit autem Maria cum illa, σὺν αὐτῇ » confirmare videtur Elisabeth usque nunc locutam esse; si enim Maria locuta esset, Lucas dixisset: « Mansit autem Maria cum Elisabeth », vel melius adhuc: « Mansit autem cum Elisabethi »; nunc vero Maria de novo introducit, quo significatur verba praecedentia ab illa non fuisse prolata. — 4. Percurrendo historiam infantiae, animadvertimus quod Lucas Mariae, hoc in loco, mentem plane diversam attribuit ab illa quam in caeteris factis huius historiae Maria manifestat. In narratione annuntiationis pauca dicit; occasione Nativitatis, Adorationis pastorum, Purificationis, Maria et Ioseph semper tacent, omnes eventus in silentio ac summa cum simplicitate sequuntur, vix verbum quoddam proferunt. Nunc vero, occasione Visitationis, canticum valde extensum cecinit quod modo agendi consueto Mariae non convenit; e contra Elisabeth momento quo Maria ingressa est statim divinam misericordiam laudavit ac gratias Deo egit propter mirabilia a Deo peracta. Secundum contextum ergo, « Magnificat » melius in ore Elisabeth quam in ore Mariae conveniret; animadvertimus caeterum in tota *Lucae* narratione quod personae secundariae facillime loquuntur, Maria autem communiter tacet.

Respondetur: Ad primum: Revera in vv. 34 et 38 Lucas εἶπεν δέ habet, at apud Lucam sexies sermo novae personae expressione καὶ εἶπεν introducit: *Lc.* 1, 18. 19. 30. 35; 2, 10. 49. Unde vix intellegere possumus quomodo A. HARNACK scribere ausus est quod *Lucas* 1, 46 oppositionem expressione εἶπεν δέ indicare debuisset.

Ad secundum: Notandum est quod secundum documenta, uti probavimus, Lucas non scripsit « et ait », sed « et ait Maria ». Deinde in duobus prioribus capitibus S. *Lucae*, inspiratio Spiritus Sancti indicatur quando persona quae loquitur novam cognitionem supernaturaliter accepit. Sic Elisabeth, quando Maria in domum Zachariae ingressa est accepit revelationem divinam qua cognovit Mariam esse matrem Messiae, *Lc.* 1, 41. Zacharias non solum nativitatem praecursoris sibi ab angelo nuntiata celebrat, sed etiam adventum ipsius Messiae quem supernaturaliter cognovit, *Luc.* 1, 67. Demum Simeon, momento quo parentes Iesu cum puero in templum ingressi sunt, supernaturaliter cognovit quod Messias eo in die in templum venire debebat, *Lc.* 2, 26. 27. Maria vero nullam novam cognitionem accepit, neque exprimit; unde « Magnificat » non est, ad mentem S. *Lucae*, canticum quod ad modum « Benedictus » aut « Nunc dimittis », vel ad modum exclamationis Eli-

(1) A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, 1, 1907, 303.

sabeth, fuit inspiratum, et propter hanc rationem S. Lucas omisit: « impleta Spiritu Sancto » in 1, 46.

Ad tertium: a. S. Lucas in 1, 56, non dicit Μαριάμ δέ, sed ἔμεινεν δὲ Μαριάμ σὺν αὐτῇ, quod non oppositionem sed transitum denotat; si Lucas 1, 56 dixisset Μαριάμ δέ, tunc manifesta cum praecedentibus oppositio adfuisset et canticum Elisabeth esset adscribendum; nunc vero S. Lucas transitum tantum indicat. — b. S. Lucae intentio in hac pericopa fuit manifeste ingressum et egressum personae principalioris huius narrationis monstrandi, unde cantico peracto et duratione temporis Visitationis adnotata, S. Lucas narrationem Visitationis absolvit dicendo quod « quasi tribus mensibus elapsis » Maria in domum suam reversa est. — c. S. Lucas certo dicere potuisset σὺν Ἑλισάβετ, sicut in Peshitta, hoc tamen necessarium non fuit, quia in textu nulla aequivo- catio habetur, et melius erat nomen Elisabeth heic non repetere, quia in *Lc.* 1, 57 occasione nativitatis Ioannis Baptistae iterum introducitur (1).

Ad quartum: Revera Maria silentium tenuit occasione *Annuntiationis*, quia de facto tempus nondum habuit dicta sublimia angeli secum revolvendi; nuntio facto et consensu Mariae obtento, angelus ad caelum reversus est et Maria tunc, in silentio domus suae, probabiliter multum de his rebus secum cogitavit; nulla adfuit ratio has cogitationes externe manifestandi. — *Adorationem Pastorum* S. Lucas breviter refert. Quando, secundum indicationes sibi ab angelis datas, puerum in praesepio positum invenerunt, dixerunt pastores Mariae et Ioseph et adstantibus ea quae de puero audierant. Adstantes mirati sunt, Maria observavit (aram. nāṭar) omnia quae facta sunt (τὰ ῥήματα) illaque in corde suo conservavit. Pastores reversi sunt glorificantes ac laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant. Nihil ergo prohibet quin pastores colloquium cum Maria et Ioseph habuerint et quod ea in occasione Maria et Ioseph quaedam pastoribus revelaverint quae confirmationem constituerunt eorum quae viderant (2). Unde non constat quod Maria et Ioseph, occasione adorationis Pastorum, silentium retinuerint. — Maria in *Purificatione* etiam nullum verbum protulit; ratio huius silentii haud difficile explicari potest. Maria cum gaudio puerum suum ad Templum attulit ut illum Domino offerret; vix in Templum ingressa, ecce Simeon, Spiritu Sancto impletus, illam verbis multo dolorosis allocutus est quae animam suam maternam valde affligere debuerunt. Ratione huius occursus Maria revera prostrata fuit, ita ut ne verbum quidem proferre potuerit; silentium igitur Mariae, ea in occasione, nemini mirum videtur. — *Quoad Visitationem*,

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 52.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 80.

Maria certo suum secretum diligenter servavit, etiam S. Ioseph nihil revelavit; absque ulla temeritate tamen supponi potest Mariam saepe saepius de eximio Dei beneficio in corde suo cogitasse ac Deo gratias egisse. Quando nunc apud Elisabeth adveniens audivit mysterium a cognata sua esse notum, tunc laetitia ac gratitudine exsultans, ea quae usque nunc in corde suo abscondita retinuit, coram Elisabeth aperte manifestavit ac canticum gratiarum actionis Salvatori suo cecinit. Consideratis igitur circumstantiis, opinamur rationem idoneam inveniri posse quare Maria silentium suum consuetum interrupit.

Concludimus ergo quod neque argumenta externa, neque argumenta interna probant Elisabeth et non Mariam « Magnificat » protulisse. Omnia argumenta contra Mariam allata praevalere nequeunt contra testimonium concors fere omnium codicum tum textus graeci originalis, tum versionum, necnon contra interpretationem quam plane exigunt non minus contextus quam ipsius Virginis animus et constans Ecclesiae traditio (1).

P. LADEUZE agnoscit argumenta supra allata, quibus probatur Mariam « Magnificat » non protulisse, esse absque ullo valore; Maria revera « Magnificat » cantavit; ipse vero credit difficultatem provenire ex facto quod Maria canticum protulit non occasione Visitationis, sed alia in occasione, Lucas autem illud invenit in fonte distincto a fonte in quo caetera facta historiae infantiae habebantur, illudque inventum, in historiam infantiae inseruit (2).

Prima ratio est ratio critica: In textu nostro legitur quod Elisabeth exclamationibus gaudii salutavit Mariam, quibus Maria cantico decem versiculorum respondit. Cantico prolato, narratio his verbis concluditur: "Εμεινεν δὲ Μαριάμ σὺν αὐτῇ, *Lc. 1, 56*. Verba σὺν αὐτῇ grammatice referenda sunt ad personam quae ultima locuta est. Si ergo auctor historiae infantiae canticum heic posuisset, scripsisset: "Εμεινεν δὲ Μαριάμ σὺν Ἐλισάβετ; nunc autem scripsit σὺν αὐτῇ et solum nomen Mariae commemorat, quod indicare videtur Elisabeth ultimam locutam fuisse. Porro Elisabeth ultima locuta est apud *Lc. 1, 45*. Unde grammatice *Lc. 1, 56* ad *Lc. 1, 45* est referendus, et concludendum esset « Magnificat » a Luca historiae infantiae adiunctum fuisse inter *Lc. 1, 45* et *56*, illudque canticum ad fontem pertinuisse qui a fonte historiae infantiae est distinguendus.

Secunda ratio e contextu sumitur: Maria in domum Zachariae adveniens, praegnationem Elisabeth perspexit quae, secundum angelum

(1) COMMISSIO BIBLICA, *Enchiridion*, n. 411.

(2) P. LADEUZE, *De l'Origine du Magnificat*, *RHE.* 4, 1903, 634-637.

Annuntiationis, erat pignus praegnationis Mariae, *Lc.* 1, 36. 37. Elisabeth exaltat Mariam ratione suae praegnationis, *Lc.* 1, 42. Exspectamus ergo ex parte Mariae responsum quoddam huic gratulationi. In « Magnificat » vero ne verbum quidem pro Elisabeth habetur; Maria de seipsa tantum et de Messia loquitur, et quidem terminis valde generalibus; solam suam humilem conditionem in lucem profert, et de conceptione supernaturali quae fuit ratio principalis gratulationis Elisabeth nihil habetur; quando insuper consideramus quod in tota historia infantiae apud Lucam exposita ne allusio quidem ad humilem Mariae conditionem perspicitur, concludere possumus hoc canticum ad contextum de Visitatione non pertinere et Lucam illud alio in documento invenisse et historiae infantiae adiunxisse.

Rationes a P. LADEUZE propositae nobis cogentes non videntur: etenim *ad primam* dicendum est quod, uti supra iam adnotavimus, *Lucas* 1, 56 non opponitur *Lucae* 1, 55; oppositio haberetur si legeretur *ἔμεινεν Μαριάμ* δὲ σὺν αὐτῇ, nunc vero legitur *ἔμεινεν δὲ Μαριάμ σὺν αὐτῇ* quo nexus cum praecedentibus exprimitur. Deinde expressio *σὺν αὐτῇ* nullam aequivocationem importat, textus et contextus enim directe indicant *σὺν αὐτῇ* esse « cum Elisabeth ». Postea ratio quare Lucas non scripsit *σὺν Ἑλισάβετ* est, quia in narratione quae sequitur, *Lc.* 1, 57, evangelista intendit Elisabeth introducere. Demum valde mirum fuisset quod Maria cognatae suae nihil respondisset; nunc vero simul cum Elisabeth laudat Altissimum ratione adventus Messiae tamdiu expectati, et hoc est factum principale totius narrationis de Visitatione.

Ad secundam rationem dicendum est quod Maria revera responsum directum non dedit cognatae suae, sed simul cum ipsa Altissimum laudavit. Modus ille agendi circumstantiis peculiaribus est adscribendus: Elisabeth salutans Mariam illam beatam inter mulieres proclamat ratione conceptionis Messiae. Maria audiens quod cognata sua supernaturaliter mysterium Nazareth cognoverat, suam commotionem non amplius retinere potuit et hymnum gratiarum actionis protulit. Salutatione ergo Elisabeth commota et exultatione evecta, Maria de beneficio insigni a Deo accepto tantum cogitat ac statim, vix salutatione Elisabeth peraeta, in gratiarum actionem prorumpit. Canticum « Magnificat » salutationem Elisabeth certo commemorat, nam Elisabeth Mariam « *benedictam inter mulieres* » proclamavit, et Maria in « Magnificat » declarat: « *beatam me dicent omnes generationes* », *Lc.* 1, 42. 48. Canticum sane de humili Mariae conditione loquitur, sed dici potest « per transennam » tantum; obiectum cantici de facto est conceptio Messiae: « fecit mihi magna qui potens est », illudque opus est divinae omnipotentiae, divinae misericordiae; opere illo, conceptione Messiae, tempus

novum, regimen novum aperitur, regimen messianicum quod in aeternum perdurabit.

Concludimus igitur argumenta a P. LADEUZE congesta non sufficere ad probandum « Magnificat » ad fontem distinctum a fonte historiae infantiae pertinere.

2. De Auctore « Magnificat ».

Maria igitur « Magnificat » cantavit; utrum Maria « Magnificat » composuerit? Quaestio iterum inter auctores disputata.

a. A. HARNACK contendit Lucam ipsum esse auctorem « Magnificat », sicut est auctor totius historiae infantiae. Lingua enim cantici est lingua Lucae, lingua quam in aliis Evangelii locis invenimus: expressiones nempe ἀγαλλῖν, σωτήρ, unio verborum θεός et σωτήρ; κράτος etc. sunt expressiones lucanae.

Lucas est ethnico-christianus; unde factum quod canticum magna ex parte constituitur ex recordationibus aut citationibus Antiqui Testamenti, iam manifestat Lucam non fuisse primum auctorem Cantici. Similiter quoad duo priora capita evangelii S. Lucae, forma semitica harum narrationum ita diversa est a prologo et stylo communi S. Lucae, ut compositio horum capitum ei attribui nequeat; narrationes illae cognitionem perfectam dispositionis templi ac consuetudinum Iudaeorum denotant et clare demonstrant Lucam ethnico-christianum fontem iudaeo-christianum adhibuisse. Quapropter credimus Lucam canticum e fonte huiusmodi desumpsisse et evangelio inseruisse. Expressiones quae uti lucanae ab A. HARNACK considerantur, non sunt expressiones Lucae propriae, v. g. ἀγαλλῖν, σωτήρ, κράτος praesertim θεός simul cum σωτήρ tam in caeteris libris Novi Testamenti quam in evangelio Lucae leguntur; expressio δυνάτης substantive pro Deo adhibita et expressio μεγαλεῖα rarissime apud Lucam habentur, ita ut omnes illae expressiones Lucae propriae dici nequeant; si autem quaedam expressiones lucanae inveniri possent, istae demonstrarent tantum Lucam stylum fontis sui quodammodo emendasse, sicut fecit pro stylo totius historiae infantiae.

b. Lucas igitur canticum non composuit; quisnam igitur fuerit eius auctor? J. HILLMANN, A. HILGENFELD, F. SPITTA opinantur canticum nostrum fuisse canticum praechristianum originis iudaicae, in quo auctor gratias Deo egisset de misericordia divina in circumstantia quadam peculiari ei collata.

Canticum vero nostrum adventum Messiae ut iam adimpletum celebrat, unde hypothesis ista reiici debet. Character messianicus enim ex ipso contextu Cantici elucet. Mulier quae canticum profert

laudat Deum quia respexit humilem conditionem ancillae suae et quia magna in illa perfecit, vv. 46. 47. A principio Cantici illa magna explicite non determinantur; sed opus peractum dicitur opus omnipotentiae ac misericordiae erga mulierem humilis conditionis; divina Providentia communiter sic agit, scilicet cum misericordia erga humiles et pauperes, cum potentia contra superbos, vv. 48-53. Demum concrete indicatur quodnam sit opus a Deo peractum: adimpletio nempe promissionum quas Deus Abrahae et semini eius fecit, adventus scilicet Messiae. Propter opus illud exultat ista mulier, vv. 54-55.

Infirmiorem vero suae assertionis animadvertens, A. HILGENFELD finem huius cantici impugnare conatur dicens propositionem « Abrahae et semini eius in saecula » v. 55^b interpolationem christianam constituere, quod triplici consideratione constat: 1) Expressio « Abrahae et semini eius » v. 55^b etiam apud Paulum ad *Gal.* 3, 16 legitur et sub Pauli influxu haec adiuncta fuit. 2) Constructio vv. 54 et 55 manca videtur, etenim τῷ Ἀβραάμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ εἰς τὸν αἰῶνα ab ἐλάλησεν dependere non potest quia tunc accusativus τὸν Ἀβραάμ legendus esset; unde τῷ Ἀβραάμ etc. a μνηστῆραι ἐλέους dependet, prout constat e *Ps.* 97, 3 ubi eadem constructio habetur; at in hoc casu propositio « sicut locutus est ad patres nostros » post « Abraham et semini eius in saecula » ponenda esset. Caeterum « Abraham et semini eius in saecula » inutilem adiunctionem constituit nam in « patres nostros » iam includitur. 3) Propositio « Abrahae et semini eius in saecula » structuram generalem cantici destruit. Canticum enim septem strophis constituitur; porro hac in divisione propositio « Abraham et semini eius in saecula » est propositio superflua quae septimae strophae non convenit et quae sola octavam stropham componere nequit.

Etiam istae animadversiones non sunt insolubiles; etenim 1) conceptus de semine Abrahae pluries in A. T. occurrit, *Gen.* 18, 18; 22, 18; 26, 4; *Ecclesi.* 44, 25; *Is.* 41, 8. 9, et quia in Cantico continuo recordationes ex A. T. habentur, prorsus probabile est hunc conceptum ex A. T. esse desumptum. 2) Auctor interiectione « sicut locutus est ad patres nostros » intendit asserere se afferre citationem saepe in A. T. adhibitam. Sane constructio perfectior fuisset si propositio « sicut locutus est ad patres nostros » posita fuisset post « Abraham et semini eius in saecula »; haec tamen ratio sufficiens non videtur ad considerandum « Abraham et semini eius in saecula » uti interpolationem et ad propositionem illam auferendam. Insuper supposita ablatione huius propositionis, constructio ab A. HILGENFELD proposita, scilicet: μνηστῆραι ἐλέους καθὼς ἐλάλησεν πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν etiam est manca, nam ἐλέους absque articulo demonstrativo et absque complemento petit determinationem. Unde propositio « Abraham et semini

eius in saecula » quae in omnibus codicibus legitur, est retinenda (1). 3) De Cantici structura valde disputatur: alii quattuor strophas trium versiculorum; alii tres strophas tantum admittunt. B. WEISS recte animadvertit prudentius esse nullam theoriam quoad stropharum Cantici structuram propugnare (2).

c. Canticum « Magnificat » ergo Messiae adventum celebrat; unde non est canticum praechristianum originis iudaicae, sed canticum originis christianae. Maria illud cantavit, Lucas illud refert at non composuit; quisnam ergo sit auctor? P. LADEUZE animadvertit quod Iudaei consuetudinem habuerunt psalmos in synagogis cantandi, et primi christiani ex Iudaismo conversi hanc consuetudinem in suis coetibus servaverunt; at psalmis antiquis cantica nova adiunxerunt in quibus non amplius de « Messiae expectatione » loquebantur, sed in quibus gratias Deo egerunt propter promissionum adimpletionem, propter « adventum filii David, filii Abrahae ». S. Paulus in ep. ad *Col.* 3, 16 et ad *Eph.* 5, 19 de his psalmis christianis loquitur; quidam ex his fidelibus qui charismata habebant hos psalmos cantabant in coetibus christianis, psalmos spiritu christiano inspiratos, cfr. *I Cor.* 14, 26. Canticum « Magnificat » fuit unus ex his psalmis, inquit P. LADEUZE. Iudaeo-christianus quidam potuisset illud secundum stylum psal-morum A. T. componere ad promissionum adimpletionem celebrandam, illudque deinde in ore Mariae ponere. Quae suppositio tamen non placet P. LADEUZE, qui opinatur Mariam ipsam canticum composuisse, illudque non occasione Visitationis, sed in coetu christianorum protulisse ad Deum laudandum pro magnis a Deo in ipsa peractis. Ecclesia cum vera pietate hoc canticum matris Filii Dei conservavit, sicut conservavit psalmos quorum fragmenta in Apocalypsi leguntur. Lucas illud canticum in thesauro Ecclesiae primitivae invenit sicut etiam documentum in quo servabantur variae narrationes respicientes conceptionem, nativitatem et caetera quae ad historiam infantiae pertinent et quae a Maria Ecclesiae primitivae communicata fuerunt; Lucas canticum in historiam infantiae inseruit et quidem uti responsum salutationi Elisabeth (3).

d. M. J. LAGRANGE etiam opinatur Iudaeo-christianum canticum non composuisse: a) quia magis in persona Messiae institisset, de qua nunc praeter mirabilem eius adventum nihil habetur; b) quia in ore matris Messiae certo quasdam prophetias quoad munus filii sui posuisset, hoc enim in variis Apocalypsibus animadvertitur; porro in « Magni-

(1) P. LADEUZE, *De l'Origine du Magnificat*, *RHE.* 4, 1903, 639-640.

(2) B. WEISS, *Die Evangelien des Markus und Lukas*, 1901, p. 214. — P. LADEUZE, O. C., *RHE.* 1, 1903, 639-640.

(3) P. LADEUZE, *De l'Origine du Magnificat*, *FHE.* 4, 1903, 644.

ficat » non habetur nisi unica prophetia, *Lc.* 1, 48, quae non Messiam sed matrem eius respicit. Insuper M. J. LAGRANGE libenter admittere potest canticum non fuisse Mariae inspiratum momento Visitationis. Conceptus gratiarum actionis qui in Cantico occurrunt sunt conceptus qui in mente et corde Mariae antea iam germinaverunt, a momento scilicet Annuntiationis et Conceptionis, quos Maria, durante itinere a Nazareth . d Ain-Karim in animo volvit ac revolvit et qui paulatim formam quasi definitivam assumpserunt, et quando occasione Visitationis audivit secretum suum esse notum, tunc gaudio exsultans, externe manifestavit coram cognata sua ea quorum cor suum plenum erat (1).

Opinamur ergo « Magnificat » a Maria compositum fuisse et occasione Visitationis ad Elisabeth a Maria prolatum fuisse.

(1) S. PERRET, *Le Magnificat*, *RTH.* 19, 1911, 565-590. — M. J. LAGRANGE, *S. Luc*, 1921, p. 54.

III. NUNTIUM ANGELI IOSEPH FACTUM (Mt. 1, 18-25).

Pericopa ista evangelii Matthaei logice sequitur ad genealogiam Christi apud *Matthaeum* 1, 1-17 narratam. Matthaeus enim in v. 16 dixerat quod «Iacob genuit Ioseph, virum Mariae, *de qua* natus est Iesus, qui vocatur Christus». Quid mysteriosum his in verbis sane iacet, nam ex una parte «Ioseph, vir Mariae» dicitur, et ex alia parte «Iesus» non ex Ioseph, sed «ex Maria» nascitur; quare «*de qua*» et non «*de quo*» natus est Iesus? Pro lectoribus christianis evangelii Matthaei qui mysterium conceptionis virginalis cognoverunt, haec pericopa non erat nisi huius mysterii memoriae renovatio; Matthaeus vero duplicem scopum hic persecutum esse videtur, nempe *a*) in Christianorum memoriam revocare celeberrimam Isaiae prophetiam 7, 14, secundum quam Messias futurus virginaliter concipi et e virgine nasci debebat, v. 23, et *b*) monstrare quod Ioseph ipse, momento quo palam coram oculis populi munus officiale paternitatis Iesu accepit, hanc virginalem conceptionem agnovit, vv. 24, 25 (1).

Tria hac in pericopa occurrunt: 1. *Anxietas Ioseph* vv. 18-19. 2. *Explicatio mysterii ab angelo facta*, vv. 20-23. 3. *Pacificatio Ioseph*, vv. 24-25.

1. *Anxietas Ioseph*, vv. 18-19.

Visitatione ad Elisabeth peracta, Maria reversa est in domum suam, εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, *Lc.* 1, 56. Secundum plerosque exegetas recentiores Maria reversa est apud parentes suos et non apud Ioseph, alioquin enim Evangelista dixisset «ad domum Ioseph» sicut dixit «ad domum Zachariae» *Lc.* 1, 40, unde supponunt Mariam nondum fuisse coniugatam sed desponsatam tantum. Alii vero contendunt expressionem «in domum suam» duplici in sensu intellegi posse: *a*) si fuisset tantum desponsata Maria, expressio significaret «in domum parentum»; *b*) si e contra fuisset coniugata «in domum suam» significaret «apud suum virum» (2). Unde ex illa expressione deduci nequit quod fuit Maria solummodo desponsata, neque quod fuit iam coniugata.

Ioseph graviditatem Mariae perspiciebat, et mysterium quod in ea

(1) M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Matthieu*, 1923, p. 8.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 52, explicat: «Marie retourne après trois mois auprès de son mari».

factum est ignorans, valde commotus fuit et voluit Mariam occulte dimittere.

v. 18. *Christi autem generatio haec fuit.* Graece γένεσις = generatio communiter legitur; quaedam tamen manuscripta habent γέννησις = nativitas. Vox certo conceptionem virginalem respicit de qua in tota pericopa vv. 18-25 agitur, de modo ergo generationis, unde vox γένεσις est praeferenda (1).

Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph. Maria erat desponsata (μνηστευθεῖσης) Ioseph; uti supra iam adnotavimus, μνηστεύω ter tantum in S. Scriptura occurrit, et apud *Lucam* 2, 5 certo de coniugata praedicatur; insuper diximus quod etiam in hoc sensu apud *Matthaeum* 1, 18 intellegi potest. Expressio quae immediate sequitur « *antequam convenirent*, πρὶν ἢ συνελθεῖν » difficultatem non facit, quia συνελθεῖν in textu sexuali in *I Cor.* 7, 5 de relationibus carnalibus et non de cohabitatione coniugum dicitur, ita S. HIERONYMUS (2), S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, MALDONATUS, etc. Expressio « *antequam convenirent* » designaret ergo quod Maria non ex Ioseph, sed virginaliter conceperat, et modus quo facta est conceptio statim apertius determinatur: Maria « inventa est in utero habens de *Spiritu Sancto* ». Non dicitur a quonam exploratio ista facta sit; facta est quando Maria Nazareth reversa est, fere quattuor mensibus post annuntiationem; unde omnes qui Mariam videbant, et praesertim mulieres quae in hac materia valde expertae sunt, praegnationis signa animadvertere potuerunt, sicut etiam Ioseph qui cum Maria vixit; pauci ergo auctores opinioni S. Hieronymi subscribent qui dixit quod « non ab alio inventa est nisi a Ioseph » (3). Maria vero tacuit, etiam mysterium ipsi Ioseph non revelavit; quare? sive ratione pudoris virginalis, sive quia Deo ipsi relinquere voluit revelationem operis divinitus in ipsa peracti; Deus ipse incepit, Deus etiam omnia prospere peraget. In utero habens de *Spiritu Sancto*, ἐκ πνεύματος ἁγίου, absque articulo, quo non ipsa persona Spiritus Sancti designatur, uti iam diximus, sed ipsa divinitas. Opus illud, conceptio supernaturalis, omnipotentia divina facta est. Sensus vero non est quod Ioseph et aliae personae perspexerunt quod Maria de Spiritu Sancto in utero habuit, tunc revelatio Ioseph facta (v. 20) inutilis fuisset, sed perspexerunt quod Maria gravida erat, et illa graviditas de facto fuit de Spiritu Sancto. Haec fuit fides coaevalorum Evangelistae, qui characterem supernaturalem conceptionis admiserunt.

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1927, p. 535. — P. JOÜON, *L'Evangile de Notre Seigneur Jésus-Christ*, 1930, p. 3.

(2) S. HIERONYMUS, *In Matth. l. 1, c. 2. P. L.* t. 26, c. 25 animadvertit: « quod autem dicitur « *antequam convenirent* » non sequitur ut postea convenerint, sed scriptura quod factum sit, ostendit.

(3) F. PRAT, *Jésus-Christ*, 1, 1933, 71.

v. 19. *Ioseph autem vir eius cum esset iustus et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere illam.* Ioseph erat vir Mariae, et quia conceptio non erat de Ioseph, conceptio Mariae uti adulterina esset consideranda, et consequenter secundum Legis praescriptionem morte digna iudicanda, *Deut.* 22, 23; vir illam palam accusare ac iudicium capitale contra illam petere poterat (1), ad hoc tamen non tenebatur. Ioseph ergo plenam libertatem habuit et eligere potuit *a)* sive Mariam publice denuntiare (δειγματίσαι); *b)* sive illam ut uxorem conservare, vel, si tantum desponsata erat, illam in domum introducere et matrimonium simpliciter celebrare; *c)* sive illam dimittere.

Quid faciet Ioseph? Ioseph erat iustus, δίκαιος, homo rectus qui secundum Legis praecepta vixit et officia sua erga Deum et homines fideliter reddidit (2), unde Mariam traducere noluit (μὴ θέλων), nullam enim validam rationem contra innocentiam Mariae adducere poterat. Verbum θέλω de firma voluntate dicitur et fortius est quam βούλομαι, quod intensionem denotat et iudicium practicum tantum designat, propositum quin iudicium irrevocabile importet; nullatenus ergo Mariam publice denuntiare voluit (μὴ θέλων). Illam ut uxorem conservare, aut matrimonium solemniter cum illa celebrare esset paternitatem accipere alienius pueri origine ignoti et hoc certo esset contra suam dignitatem ac honestatem. Illam dimittere demum? at quomodo? publice? hoc esset infamiam in Mariam prolicere, scandalum publicum provocare et forsitan propter rationem non existentem. Practice igitur statuit Mariae occulte libertatem suam reddere, illam occulte dimittere, ei libellum repudii dare, quin repudii motivum indicetur, diceret v. g. quod illa mulier ei non amplius placet, *Deut.* 24, 1-3, vel forsitan intensionem nutrit clam a domo recedere, Nazareth derelinquere quin aliquem admoneat; uxor tunc ut vidua consideraretur et puer nascenturus ut suus agnosceretur. Ioseph ergo valde perplexus fuit, ex una parte de pietate ac fidelitate Mariae dubitandi nullam rationem habuit; ex alia parte factum conceptionis semper prae oculis habuit. Quid faciendum? negotium in manus Dei remittet.

2. *Explicatio mysterii ab angelo facta, vv. 20-23.*

v. 20. *Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est, v. 21 pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Ioseph ergo intensionem habuit occulte dimittendi Mariam; haesitatio tamen semper adfuit, intentio vero ad executionem

(1) FLAV. JOSEPHUS, *Ant. Iud.* IV, VIII, 23.

(2) P. JOÜON, *Evangile de Notre Seigneur Jésus-Christ*, 1930, p. 4.

nondum pervenit: «*haec eo cogitante*», hanc intentionem volvit ac revolvit in animo suo, ratio haesitationis non datur, at facile conici potest: culpam in Maria supponere non audet. Dum Ioseph haec cogitaret, *angelus Domini*, forsan Gabriel, angelus annuntiationis, *ei apparuit* ad mysterium detegendum; divinitus ergo admonitus fuit Ioseph et quidem «*in somnis*» sicut infra 2, 13. 19. 22; haec est ratio quare nulla responsio huic nuntio ex parte Ioseph est exspectanda. Apud Matthiaeum nuntia divina fiunt in somnis, apud Lucam vero 1, 11. 26; 2, 13 in statu vigiliae; ratio huius est quia res, de quibus apud Lucam agitur, petunt plenam conscientiam ex parte illorum quibus fit apparitio; dum apud Matthaëum agitur tantum de monitis quae in somnis transmitti possunt et nullum responsum nullamque animadversionem requirunt. Lucas caeteroquin etiam in *Actis*, 16, 9; 18, 9 quasdam apparitiones in somnis factas narrat. Angelus dixit: «*Ioseph, fili David*», expressio «*fili David*» suum momentum heic habet, quia Ioseph conservando Mariam, vel illam in domum suam introducendo, ipso facto fiet pater officialis, legitimus pueri nascituri qui, ratione originis paternae, ad eandem stirpem David pertinebit. *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam* (παράλαβεῖν Μαρίαν τὴν γυναῖκά σου). Omnis haesitatio deponenda est; supra ostendimus quod παράλαβεῖν in S. Scriptura «*de sumptione in domum*» non accipitur, sed pluries de alicuius situationis agnitione praedicatur, *Ioan.* 1, 11; *I Cor.* 15, 1. 3; *Phil.* 4, 9. Unde sensus heic esset: *Noli timere Mariam coniugem tuam apud te retinere*» (1). *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est*, ratio quare Maria dimittenda non est heic adiungitur, et simul mysterium Ioseph revelatur: conceptio est supernaturalis, divina, de Spiritu Sancto, ἐκ πνεύματος ἁγίου, absque articulo.

v. 21. *Pariet autem filium...* formula ista commemorat *Gen.* 17, 19 et *Gen.* 16, 11, ubi de nativitate Isaac et Ismaël quaestio habetur. *Et vocabis (καλέσεις) nomen eius Iesum*. Apud *Lucam* 1, 34 Maria nomen puero dare debet, heic vero Ioseph, quia simul cum filiatione davidica iura messianica ad puerum transmittuntur. Verisimile est quod his in circumstantiis impositio nominis communi parentum consensu fit. Impositio nominis, divinitus ante nativitatem facta, est signum quod persona ad munus speciale a Deo eligitur (2). PIRKE R. ELIEZER 32 sex personas enumerat quae nomen ante nativitatem acceperunt: Isaac, Ismaël, Moyses doctor noster, Salomon, Iosias et nomen Messiae, *Ps.* 72, 17 (3). Nomen pueri erit *Iesus Iēśūa'*, et nominis significatio

(1) S. IOANNES CHRYS. *In Matth. hom.* 4, n. 6. *P. G.* t. 57, c. 46.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 14.

(3) H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T. aus Talmud und Midrash*, 1. 1922, 63.

additur: *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, cum emphasi ista propositio introducitur: αὐτὸς γάρ, *ipse enim* erit populi sui salvator. Populus ille non est mundus universus, tota humanitas, neque fideles in Ecclesia, sed populus israeliticus, nam Deus voluit puerum patri suo nutricio monstrare uti Messiam a David praedictum, et qui ad salutem populi sui israelitici venire debuit. Salus illa vero non erit salus politica quae in victoria super inimicos politicos aut super populos extraneos consisteret, neque quaerenda est in novi regni politici constitutione, neque in regni davidici restauratione, sed missio eius erit spiritualis, salus ordinis spiritualis, liberatio nempe populi a potestate diabolica, liberatio a peccatis. Quomodo puer nasciturus liberabit populum suum, non indicatur (1).

v. 22. *Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: v. 23. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium: et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus.* — *Hoc totum factum est* nempe conceptio virginalis cum nominis impositione. Haec verba non amplius sunt angeli sed Evangelistae; in hoc facto videt Evangelista adimplentionem prophetiae A. T. Conceptio virginalis est factum supernaturale, et sicut omne factum supernaturale causam suam in decretis divinis habet. Deus decreta sua praesertim quoad Messiam in prophetiis messianicis iam aliquo modo manifestavit, illaque in N. T. exsequitur. Matthaeus hunc nexum inter utrumque Testamentum illustrare voluit monstrando quod facta N. T. erant quasi terminus et plenitudo A. T., adhibita formula ἡ ἀ πληρωθῆ, 1, 22; 2, 15; 4, 14; 12, 17; 21, 4; 26, 56; vel ὅπως πληρωθῆ, 2, 23; 8, 17; 13, 35, vel τότε ἐπληρώθη, 2, 17; 27, 9; haec formula non necessario sensum finalem exprimit, sed potest etiam sensum consecutivum denotare.

ut adimpleretur quod dictum est... Matthaeus certo ad prophetiam *Isaiae* 7, 14 alludit, in qua non tantum conceptio virginalis sed etiam partus virginalis praenuntiatur. *Matthaeus* 1, 18 admisit conceptionem supernaturalem ut factum, et quidem independentem a prophetia *Isaiae*, sed vidit illud factum iam praenuntiatum ab *Isaia* qui loquitur de puella nubili, de virgine quae ut virgo (ἡ παρθένος apud LXX) concipiet et pariet. Auctores Catholici omnes sensum messianicum huius vaticinii propugnant. Interpretes versionis SEPTUAGINTA qui antiquam Iudaeorum traditionem nobis referunt, vaticinium *Isaiae* de conceptione virginali certo intellexerunt, quapropter verbum ἡ παρθένος adhibuerunt; temporibus vero posterioribus, uti constat e scriptis rabbinicis et operibus PHILONIS, Iudaei nativitatem Messiae mysteriosam

exspectaverunt, de parthenogenesi vero nullibi in scriptis iudaicis quaestio occurrit, et hoc forsitan quia Iudaei originem carnalem Messiae a David firmissime asseverare voluerunt (1). APOCALYPSES IUDAICAE de Messiae nativitate nihil tradunt, quia eius praexistentiam apud Jahweh admittentes, illum cum virtute et in gloria venturum esse docuerunt (2). Vestigium opinionis Iudaeorum e tempore Christi circa Messiam invenire forsitan possumus apud *Ioannem* 7, 27 ubi Christi adversarii asserunt Iesum non esse Messiam, quia omnes sciunt unde provenit; omnes enim agnoscunt illum tamquam filium Ioseph et Mariae; Messias e contra erit persona mysteriosa quae inopinate et mysteriose apparere debet: nemo scit unde sit (3).

Et vocabunt nomen eius Emmanuel, graece καλέσουσιν plurale verti potest «*vocabitur*» vel «*vocabunt*», deinceps puer Emmanuel, i. e. *Nobiscum-Deus* vocabitur; nomen istud ex natura sua non designat puerum nascendum esse Deum, sed esse pignus quod «*Deus nobiscum*» cum populo suo est et erit.

3. *Pacificatio Ioseph*, vv. 24-25.

v. 24. *Exsurgens autem Ioseph a somno...* Angelus ergo admonuit Ioseph in somno circa conceptionem virginalem ac supernaturalem Mariae; Ioseph igitur pacem habet et divinitus certior factus statim mandato divino oboedivit et Mariam uxorem suam apud se retinuit; mandatum istud plene respondet convictioni quam ipse semper de Mariae innocentia habuit et ratione huius convictionis semper haesitavit et non ausus fuit a proposito ad actum transire, dimittendo uxorem suam.

v. 25. *Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* «*Uxorem suam cognoscere*» de relationibus coniugalibus praedicatur, *Lc.* 1, 34; Ioseph Mariam non cognoscebat «*donec peperit filium suum primogenitum*». Ex hoc textu deducunt quidam auctores non Catholici, H. J. HOLTZMANN et W. C. ALLEN, quod Ioseph postea, post partum Iesu, Mariam cognovit, et plures filios ex ipsa habuit. Notandum est vero 1) quod *donec*, ἕως οὗ, est hebraismus stans pro *ad kî*, illaque expressio praeteritum et non futurum respicit, dicit id quod usque ad partum filii factum est: usque ad partum filii, Ioseph non cognovit Mariam et consequenter Maria suam virginitatem retinuit; de tempore vero futuro, post partum, illa expressio nihil affir-

(1) S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryphone*, 67. P. G. t. 6, c. 628 sq. — M. J. LAGRANGE, *Évangile selon S. Matthieu*, 1923, p. 17.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 17.

(3) M. J. LAGRANGE, *Le Messianisme chez les Juifs*, 1909, p. 222. — F. TILLMANN, *Das Johannesevangelium*, 1931, p. 164. — H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.* 2, 1924, 488. — F. CEUPPENS, *De Prophetiis Messianicis*, 1935, p. 215-216.

mat (1). In *Deut.* 34, 6, dicitur quod « non cognovit homo sepulchrum Moysis usque in praesentem diem », ex hoc non sequitur quod sepulchrum postea inventum fuit, cfr. *Gen.* 8, 7; *Num.* 20, 17; *II Sam.* 6, 23. *Ps.* 110, 1. Expressio ista secundum suum contextum est explicanda: porro scopus Evangelistae fuit miraculosam Salvatoris conceptionem testificari, unde matris virginitatem usque ad pueri nativitatem asserere satis fuit; virginitas post partum traditione christiana et doctrina Ecclesiae catholicae proponitur et verum fundamentum in ipsis Evangeliiis habet, *Mc.* 6, 3; *Lc.* 1, 34; 2, 42. — P. JOÛON quem sequitur D. BUZY opinatur heic constructionem essentialiter semiticam occurrere quae non materialiter, ad litteram, est vertenda, sed cuius sensus in litteratura semitica est quaerendus. Porro in linguis semiticis expressio illa non necessario sensum temporalem, sed saepe sensum exclusivum habet, et tunc significat quod « Maria peperit filium suum *quin* Ioseph illam cognoverit »; sensus ille quamvis formaliter sit idem, clarius tamen exponitur, et adversariis occasionem non praebet difficultatem suscitandi (2). 2) Quaedam manuscripta, C. D. E, legunt « τὸν πρωτότοκον = *primogenitum* » apud *Mt.* 1, 25; in aliis vero manuscriptis τὸν πρωτότοκον omittitur et a criticis uti vox interpolata sub influxu *S. Lucae* 2, 7 consideratur, ubi Iesus « *primogenitus Mariae* » nuncupatur. Etiam si τὸν πρωτότοκον apud *Mt.* 1, 25 legeretur, ex hoc tamen negatio formalis virginitatis Mariae subsequenter ac perpetuae deduci non posset, nam πρωτότοκος est terminus legalis quo ille designatur qui vulvam matris primus adaperit, ille semper primogenitus vocatur, sive postea adhuc pueri habeantur, sive non; primogenitus et ille solus secundum Legis praeceptum Deo erat consecrandus, et redimendus et quidem a nativitate, *Exod.* 13, 2-15; 34, 19; *Num.* 18, 15; *Lev.* 12, 2-8. Praesentia huius tituli πρωτότοκος ergo non probat Mariam post Iesum alios pueros adhuc habuisse (3).

Contra Mariae virginitatem adhuc obiicitur quod variis in locis Evangelia de fratribus et sororibus Iesu loquuntur; cum Iesus primogenitus fuerit, isti omnes post Iesum nati sunt, et consequenter Maria virgo non permansit. De his vero infra quando de Maria et fratribus Domini in vita publica Iesu quaestio habebitur (pag. 192 ss.).

(1) S. HIERONYMUS, *Adv. Helvidium*. 10. P. L. t. 26, c. 202.

(2) P. JOÛON, *L'Evangile de N. S. J. C.* 1930, p. 4, 5. — D. BUZY, *Evang. de S. Matth.* (éd. L. Pirot), 9, 1935, 10.

(3) J. B. FREY, *La signification du terme πρωτότοκος d'après une inscription juive*, in *Bibl.* 10, 1930, 373-390. — A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, 1. 1907, 341.

IV. DE CHRISTI NATIVITATE IN BETHLEHEM (*Lc.* 2, 1-7).

Isaias ortum futuri Messiae ex familia David pluries praenuntiaverat, 9, 6; 11, 1; mater eius filium suum virginaliter concipiet ac pariet, *Is.* 7, 14. Michaeas praefer originem e familia David locum nativitatis, Bethlehem determinat, 5, 1. Populus igitur Bethlehem uti locum originis futuri Messiae designavit, uti constat ex responso sacerdotum et scribae populi regi Herodi dato: «Christus nasceretur in Bethlehem Iudae», *Mt.* 2, 4. 5.

Matthaeus 1, 18-25 docet quod Iesus de facto e familia David est natus et quod Maria illum virginaliter concepit ac peperit; *Lucas* 1, 26-38 etiam conceptionem virginalem proponit et addit Mariam votum perpetuae virginitatis emisisse. In hac narratione Lucae tria sunt consideranda: A. Textus interpretatio. B. Census Quirinii et tempus nativitatis Christi. C. Narrationis historicitas.

A. *Textus interpretatio.*

Parentes Iesu Nazareth incolebant; cum Iesus Bethlehem natus sit, Lucas explicare debet qua ratione Ioseph et Maria Bethlehem venerunt. Ratio huius itineris fuit descriptio totius imperii romani a Caesare Augusto decreta, vv. 1-3. Ioseph et probabiliter etiam Maria de familia David fuerunt, unde in Bethlehem inscribendi erant, vv. 4-5. Quum Bethlehem morarentur, Iesus natus est, vv. 6. 7.

1. *Descriptionis Caesaris Augusti decretum*, vv. 1-3.

v. 1. *Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis.* Duo facta historica heic indicantur quae momentum suum habent ad nativitatis Domini tempus determinandum: a) in diebus illis, i. e. in diebus Herodis, *Mt.* 2, 1; *Lc.* 1, 5, et b) decretum Caesaris Augusti describendi universum orbem.

a. Facta quae in pericopa narrantur, nempe edictum Augusti et Christi nativitas Bethlehem, tempore Herodis advenerunt, *Mt.* 2, 1. Herodes ab anno 40 ad annum 4 a. Chr. regnavit, et, prout ex operibus FLAV. IOSEPHI deduci potest, mortuus est anno 750 ab U. C., i. e. anno 4 a. Chr. (1), et quidem in principio illius anni, forsan quibusdam diebus

(1) FLAV. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVIII, VIII, 1. — *De Bello Iudaico*, I, XXXIII, 7, 8.

ante festum Paschatis (1). Christus ergo certo ante annum 4 a. Chr. natus est (2).

b. Decretum descriptionis Caesaris Augusti. Augustus ab anno 31-30 a. Chr. ad 14 p. Chr. regnavit et universi orbis, i. e. romani imperii, descriptionem decrevit. Regnante Augusto, tres census facti sunt, uti imperator ipse in sua autobiographia (Res gestae Divi Augusti, col. 2, l. 2-12) testatur et quod SÜETONIUS confirmat (3), scilicet annis 28 et 8 a. Chr. et 14 p. Chr. Edictum totum imperium respexit, at quia Lucas rationem reddere intendit ac debet itineris Ioseph et Mariae, de edicti executione in Syria et Palaestina tantum loquitur.

v. 2. *Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino.* Tempus huius edicti magis determinatur. Descriptio ab Augusto, tempore Herodis, decreta, prima πρώτη dicitur in quantum secundae opponitur quae, secundum plerosque auctores, esset descriptio anni 6 post Christum, ad quam Lucas Act. 5, 37 alludit.

Gracce cum maxima manuscriptorum parte legitur: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου ita ut πρώτη sit praedicatum; haec propositio a Vulgata vertitur: «*haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino*», et quia facta est Herode regnante, hoc esset ante annum 4 a. Chr. At, uti infra dicemus, πρώτος-πρώτη potest, tum in litteratura classica, tunc in litteratura biblica, sensum comparativum πρότερος assumere et tunc sensus esset: «*haec descriptio anterior est illi quae facta est quando Quirinius Syriam gubernavit*». Verum sensum textus graeci infra determinabimus. Vox ἀπογραφὴ personarum censum ac status civilis determinationem importat; dum ἀποτίλησις denotat potius bonorum declarationem ac aestimationem in ordine ad tributum solvendum. Distinctio ista vero non est urgenda. In Aegypto census huiusmodi declarationem personarum, domicilii, familiae, servorum, proprietatum, gregum cum numero animalium, mobilium, haereditatum uniuscuiusque importabant. Archelao deposito, circa annum 6-7 p. Chr. Quirinius, quando Syriam gubernavit, Syriae et Iudaeae descriptionem perfecit, quae descriptio occasio fuit rebellionis Iudae Galilaei (4). Haec autem non fuit descriptio tempore nativitatis Christi peracta, de qua in narratione nostra.

v. 3. *Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem.*

(1) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVII, IX, 3. — *De bello Iudaico*, II, VI, 4. — E. SCHÜRER, *Geschichte des ind. Volkes* 1, 1901, 415-417.

(2) U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 3: DIONYSIUS EXIGUUS, circa 525, falso calculo supposito, consideravit annum 753 ab U. C. uti annum primum ante Christum natum; deinde - omisso in computo ipso anno nativitatis - sequentem annum 754 declaravit annum primum post Christum natum. *De Paschale*, 1, 15. P. L. t. 67, c. 497-499; 506b.

(3) SÜETONIUS, *Vita Divi Augusti*, 27, 5. — M. J. LAGRANGE, *Où en est le recensement de Quirinius*, *RB.* 20, 1911, 67, 68.

(4) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVII, XIII, 15; XVIII, I, 1.

Expressio « omnes = πάντες ad Augusti edictum se refert et omnes cives imperii romani respicit; Evangelista vero modo peculiari cives Palaestinae intendit, uti e contextu abunde constat. Secundum ius romanum census erat individualis, non secundum familias, et in loco domicilii vel in civitate principali regionis fiebat; at scimus etiam quod Romani communiter variarum regionum consuetudines servabant, et sic in Aegypto, GAIUS VIBIUS MAXIMUS, anno 103-104, imperavit ut omnes cives Aegypti ad locum suae originis (ἰδιὰ) redirent ut profiterentur (1); et id quod in Aegypto factum est etiam pro Palaestina et Iudaea admitti potest, eo vel magis quod Lucas 2, 3 addit quod omnes et singuli ad propriam suam civitatem εἰς τὴν ἑαυτοῦ πόλιν se contulerunt. M. R. JAMES opinatur hunc censum praesertim personam, familiam, domicilium ac bona respexisse (2).

2. Iter Ioseph et Mariae ad Bethlehem, vv. 4. 5.

v. 4. *Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo et familia David.* Occasio itineris fuit ergo edictum Augusti: Ioseph et Maria domicilium Nazareth habuerunt, et quia Ioseph erat ex domo et familia David, ἐξ οἴκου καὶ πατρὶος Δαβὶδ, cuius locus originis erat Bethlehem, Bethlehem, ad civitatem David ire debuit. Bethlehem civitas David dicitur ratione originis regis David, Ioan. 7, 42; in A. T. vero arx Ierusalem civitas David nuncupatur, quia a David capta fuit, et quia sepulchrum David ibi conservatum fuit, I Reg. 3, 1; 8, 1; 9, 24.

Ioseph ascendit ergo a Galilaea in Iudaeam, v. 5 *ut profiteretur cum Maria*; secundum syntaxim expressio τὸν Μαρίας ad ἀπογράφασθαι = *ut profiteretur* est coniungenda; unde Maria etiam ad descriptionem ascendere debuit, et quidem Bethlehem, primo quia ipsa etiam valde probabiliter erat de domo David, et deinde quia erat uxor legalis Ioseph. In Aegypto mulieres personaliter ad censum venire debuerunt (3), et supponi potest, uti supra diximus, eandem consuetudinem etiam in Iudaea exstitisse. Maria ἐμνηστεύμενη dicitur et hoc loco indubie uxorem, et non desponsatam tantum, designat; caeterum graece non legitur sicut in Vulgata « desponsata sibi uxore praegnanter » sed « uxore sua, quae erat gravida » (τῇ ἐμνηστευμένῃ αὐτῷ, οὕσῃ ἐγκύῳ). Lucas forsan ἐμνηστεύμενη loco γυνή ad virginitatem quam Maria perpetuo

(1) G. MILLIGAN, *Selections from the Greek Papyri*, 1910, p. 72-73. — L. MITTEIS et U. WILCKEN, *Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde*, 1, 1912, 193. — A. DEISSMANN, *Licht vom Osten*, 1923, p. 234.

(2) M. J. LAGRANGE, *Un nouvel Evangile de l'Enfance, édité par M. R. JAMES*, RB. 37, 1928, 547.

(3) L. MITTEIS et U. WILCKEN, *Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde*, 1, 1912, 194.

vovit 1, 34 commemorandam; matrimonium Mariae fuit virginale. Lucas addit circumstantiam « *quae gravida erat* » non ad insinuandum quod Maria ratione suae praegnationis sola Nazareth manere non voluit, sed ad v. 6, nempe nativitatem Iesu imminentem praeparandam. Distantia inter Nazareth et Bethlehem erat circiter 30 horarum et comitatus iter communiter quattuor in stationibus perfecerunt (Djenin, Naplouse, El-Bireh, Bethlehem); Maria vero ratione conditionis in qua versabatur, probabiliter curru vel lectica, sicut senes et infirmi, usa est. De hoc itinere narratio S. Lucae nihil tradit.

3. *Nativitas Christi in Bethlehem*, vv. 6. 7.

v. 6. *Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.* Haec verba S. Lucae commemorant verba S. Pauli: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere », *Gal.* 4, 4. Textus Lucae indicat 1) quod partus tempore normali advenit: « *impleti sunt dies* », et 2) quod partus locum habuit quando Ioseph et Maria iam Bethlehem fuerunt: « *cum essent ibi* », unde non ante adventum eorum Bethlehem, uti evangelium *ps. Matthaei* 13 et *Protoevangelium Iacobi* 17 contendunt, neque necessario « immediate » post eorum adventum.

v. 7. *Et peperit filium suum primogenitum.* Supra iam diximus expressionem τὸν πρωτότοκον non necessario alios filios post primum supponere; *et pannis eum involvit*, circumstantia illa additur ad v. 12 praeparandum, erit enim signum cui pastores Salvatorem agnoscere poterunt. S. HIERONYMUS et plerique recentiores communiter admittunt Lucam his verbis exprimere intendisse Mariam doloribus partus subiectam non fuisse: « ipsa et mater et obstetrix fuit » (1). Lucas scribendo « *et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio* » suggerere videtur partum saltem mirabilem, forsan miraculosum fuisse, et temerarium non videtur asserere partum virginalem in animo Evangelistae fuisse. PROTOEVANGELIUM IACOBI 19, seq. declarat quod obstetrix quaedam post partum perfectam Mariae integritatem consignavit (2), ex quo constat conceptum de partu virginali Mariae in Ecclesia primitiva certo exstitisse. *Et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio.* Ioseph erat ex familia David, unde parentes, familiares vel amicos ibi habere debuit; quare ergo apud illos hospitalitatem non quaesivit? eo vel magis quod hospitalitas orientalis est proverbialis, et nunquam, ne extraneis quidem, recusatur. At in viculis ac parvis civitatibus domus ita constructae erant ut unicus tantum

(1) S. HIERONYMUS, *Adv. Helvidium*, P. L. t. 23, c. 192.

(2) E. AMANN, *Le Protévangile de Jacques et ses remaniements latins*, 1910, p. 31. — M. J. LA GRANGE, *Un nouvel Evangile de l'enfance*, RB. 37, 1928, 551.

locus in eis adesset in quo omnes simul, etiam hospites, nocte dormire debebant (1). Maria et Ioseph certo hospitalitatem huiusmodi habere potuissent, at ratione status graviditatis Mariae ac partus imminientis, hanc hospitalitatem non desideraverunt, unde locum ubi Maria decenter parere poterat invenire voluerunt. Bethlehem erat locus transitus comitatum qui a regione Philisthaeorum ad regionem Transiordanicam vel vice-versa iter faciebant; ad partem orientalem civitatis, magnum diversorium (*khan*) habebatur, *Ier.* 41, 17, ubi hospites omnia ad pernoctandum necessaria invenire poterant: *a*) atrium interius apertum pro animalibus; *b*) aulam communem pro hominibus ac mulieribus; *c*) cellas quasdam particulares pro his qui placide dormire volebant; in hoc diversorio Ioseph et Maria cellam quamdam invenire sperabant. At in diversorio *locus eis non erat*, omnia iam erant occupata et in aula communi pernoctare nolebant. Quid ergo faciendum? Refugium quaerunt; Lucas non dicit ubinam; sed dicendo «reclinavit eum in praesepio» videtur locum designare quo animalia domestica cibum inveniunt. P. JOÛON animadvertit quod φάτνη potest significare «praesepio, alveum», sed potest etiam significare «stabulum», locum normalem ubi praesepio invenitur; unde ipse opinatur quod locus refugii Ioseph et Mariae, locus ergo quo Iesus natus est, fuit stabulum a diversorio dependens, et quidem propter duo: 1) Angelus in vv. 11-12 nullam indicationem pastoribus tradit, unde supponere videtur quod est locus qui facile inveniri potest, locus notus Bethlehem, φάτνη esset terminus quo stabulum diversorii Bethlehem designaretur; 2) quia S. FULGENTIUS dicit: «Archelaus natus est in palatio, Christus in diversorio; Archelaus natus, in lecto argenteo est positus, Christus autem natus, in praesepio est brevissimo collocatus» (2). P. JOÛON igitur de stabulo tantum, non vero de caverna loquitur, de stabulo quod probabiliter esset pars diversorii. Circa medietatem saeculi secundi autem, S. IUSTINUS qui in Palaestina vixit, testatur quod Iesus natus est Bethlehem, «in spelunca quadam quae haud procul abest a pago: ἐν σπηλαίῳ τινὶ σὺνεγγυς τῆς κώμης (3); ex quo deducimus: *a*) eo in tempore Bethlehem non erat nisi pagus (κώμη); *b*) quod nativitatis locus erat spelunca seu caverna (σπήλαιον); S. HIERONYMUS dicit «specus», spelunca; Origenes σπήλαιον; *c*) quod spelunca non erat in pago sed prope pagum, (σύνεγγυς). Iam a saeculo secundo traditio christiana admisit Iesum natum esse in caverna quadam, in una ex multis

(1) J. NEIL, *Everyday Life in the Holy Land*, 1913, p. 67-73. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1033, 83, 84.

(2) S. FULGENTIUS, *Sermo 4 de Epiphania*, P. L. t. 65, c. 734. — P. JOÛON, *L'Evangile de Notre Seigneur Jésus-Christ*, 1930, p. 297-298.

(3) S. IUSTINUS, *Dial. contra Tryphonem*, 78, P. G. t. 6, c. 658. — ORIGENES, *Adv. Celsum*, 1, 51. P. G. t. 11, c. 754, 755.

cavernis quae in hac regione habebantur in quibus animalia et quandoque etiam homines hospitabantur; in his cavernis praeseptum seu alveus fixus e lapide excisus inveniebatur ubi animalia cibum invenire poterant. H. VINCENT et F. M. ABEL etiam opinantur Iesum in spelunca natum esse, in spelunca quae e diversorio dependebat; caverna illa habebatur eo in loco quo nunc sanctuarium Nativitatis exsurgit, ad partem orientalem civitatis (1). EVANGELIUM PS. MATTHAEI 13-15 plura cognoscere videtur quae ab Evangelista ignorantur: « Die tertia post nativitatem Domini, Maria egressa est e spelunca et in stabulum intravit ubi filium suum in praeseptum reclinavit; ibi bos et asinus aderant qui illum adoraverunt; tunc impletum est vaticinium *Isaiae* 1, 3: « cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui ». Duo animalia in medio ipsorum puerum habuerunt, illumque continuo adoraverunt, et tunc adimpletur quod dictum est ab *Habacuc* 3, 2: « in medio duorum animalium notum facies ». Ioseph et Maria duabus diebus hoc in loco permanserunt et die sexta Hierosolymam reversi sunt » (2).

F. SPITTA textum S. Lucae in hoc sensu interpretatus est quod Iesus in cella quadam diversorii natus est, et quod parentes, incunabula non inventientes, puerum in praeseptum reclinaverunt; quae interpretatio textui S. Lucae plane opponitur, nam Lucas diserte dicit quod « non erat eis locus in diversorio »; de incunabulorum defectu igitur quaestio non habetur (3).

Peracta narratione de Christi nativitate, *S. Lucas* 2, 8-20 addit quod pastores erant in eadem regione vigilantes (ἀγρωλοῦντες) et custodientes vigilias noctis super gregem suum. Ab angelo repente admoniti de Salvatoris Messiae nativitate, venerunt festinantes Bethlehem et invenerunt Mariam et Ioseph et infantem positum in praeseptum. Quo viso, statim nuntii angelici veracitatem agnoverunt et ea omnia quae durante nocte eis advenerant narraverunt. Utrum puerum adoraverint, in textu S. Lucae explicite non dicitur, sed e contextu, praesertim e v. 20 supponi potest.

(1) H. VINCENT - F. M. ABEL, *Bethleem, Le Sanctuaire de la Nativité*, 1914, p. 6. — H. VINCENT, *L'Authenticité des Lieux-Saints*, 1932, p. 42.

(2) Sensus apud *Isaiam* 1, 3 est quod animalia quae ratione privantur, cognoscunt dominum suum; Israëlitas (populus) qui rationem habent, Dominum suum Jahweh ignorant, vel ignorare practice videntur. — E. POWER, *Bos et asinus ad Praesepe*, *VD.* 1, 1921, 369.

Apud *Habacuc* 3, 2 hebraice legitur: « Opus tuum (Domine), in medio annorum, manifesta illud » i. e. in factis quae sequuntur manifesta opus, decretum nempe misericordiae tuae erga populum. *Septuaginta* habent: ἐν μέσῳ δύο ζῴων γνωσθήσῃ, quod verti potest: « in medio duorum animalium » vel « in medio duarum vitarum cognoscetis ».

(3) F. SPITTA, *Die chronologischen Notizen und die Hymnen in Lc.* 1, n. 2, *ZNW.* 6, 1906, 281.

B. *Tempus nativitatis Christi et Census Quirinii.*

Tria documenta in S. Scriptura occurrunt quae relationem cum tempore nativitatis Christi habent:

1. Natus est Christus regnante Herode, *Lc.* 1, 5; 2, 1; *Mt.* 2, 1.

2. Natus est Iesus durante descriptione ab Augusto decreta, *Lc.* 2, 1-3.

3. Iesus ministerium publicum incepit quando « erat incipiens quasi annorum triginta, » *Lc.* 3, 23.

1. *Natus est Iesus regnante Herode, Lc.* 1, 5; 2, 1; *Mt.* 2, 1.

Herodes mortuus est initio anni 4 a. Chr. pauco tempore ante festum Paschatis. FLAVIUS IOSEPHUS testatur quod Herodes ante mortem suam pluribus mensibus in Callirhoë et deinde in Iericho infirmus remansit et quod ex hoc morbo non convaleuit, neque Hierosolymam reversus est, e contra Iericho mortuus est (1). Quando Magi Hierosolymam venerunt ad Iesum natum adorandum, Herodes Hierosolymae adfuit et adhuc validus videbatur, nam diligenter petiit a principibus sacerdotum et a Scribis populi de loco nativitatis et a Magis de tempore apparitionis stellae, « *ut et ego veniens adorem eum* », *Mt.* 2, 4-8. Magi ergo venerunt ante infirmitatem Herodis Hierosolymam, circa initium igitur anni 5 a. Chr. et non posterius, forsitan citius adhuc. Tempus adventus Magorum amplius determinari nequit. Iesus igitur eo in tempore, scilicet circa initium anni 5 a. Chr. certo iam natus erat. Quandonam stella Magis apparuit, nescimus quia Evangelista de hac re tacet. Attamen quando Herodes vidit quod illusus fuerat a Magis statuit occidere omnes pueros in Bethlehem a bimatu et infra, *Mt.* 2, 16, et hoc quidem « *secundum tempus quod exquisierat a Magis* », *Mt.* 2, 16 (2). Quapropter cum plerisque exegetis optimae notae legitime supponi potest Iesum eo in momento quo Magi Hierosolymam venerunt, saltem iam unum annum habuisse, immo forsitan annum iam superasse; unde nativitas Iesu circa initium anni 6 et probabilius anno 7 ante Christum poni potest. Exegetae quidam, A. C. HEADLAM et C. H. TURNER, textibus S. Scripturae perspectis, concludunt Iesum probabiliter anno 8 a. Chr. esse natum, vel anno 7 si descriptio non celeriter fuit facta (3).

2. *Natus est Iesus durante descriptione ab Augusto decreta, Lc.* 2, 1-3.

Iesus ergo natus est durante descriptione quadam ab Augusto

(1) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVII, VI, 5-8; IX, 3. — *De bello Iud.* I, XXIII, 5-8; II, I, 3.

(2) U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 28.

(3) A. C. HEADLAM, *The Life and Teaching of Jesus the Christ*, 1922, p. 318.

decreta, et VULGATA magis determinat dicendo quod descriptio illa est prima quae facta fuit a Quirinio quando Syriam gubernavit. Prima opponitur secundae et illa secunda est descriptio anni 6 p. Chr. *Act.* c. 5, 37, de qua heic certo non agitur; eo in sensu textus graecus etiam verti posset (cfr. supra). Unde quaeritur nunc utrum haec descriptio, quae prima dicitur, revera a Quirinio facta fuerit, et quandonam? TERTULLIANUS enim asserit quod descriptio, tempore nativitatis Christi, facta est a SENTIO SATURNINO, praeside Syriae, ab anno 8 ad annum 6 ante Christum (1).

Prima Interpretatio. Anno 1761 inscriptio quaedam fragmentaria in Tibur (Tivoli) inventa fuit quae in Museo Lateranensi adhuc conservatur (2). Inscriptio est sepulchralis et de individuo quodam loquitur qui bis legationem a divo Augusto obtinuit. TH. MOMMSEN, huius inscriptionis interpres, legit in hoc documento, quod individuus de quo agitur « (*i*)terum Syriam et Ph(oenicem optinuit) » a divo Augusto, et convictus quod Quirinius bis legatus Syriae fuit, coneludit quod haec in inscriptione certo de Quirinio agebatur et quod duplex eius legatio in Syria diserte affirmabatur, cuius prima circa annum 3 vel 2 a. Chr. fuisset, et secunda circa annum 6 p. Chr. Census de quo *Lucas* 2, 1-3 loquitur incepisset praeside Syriae Q. Varo, anno 6-4 a. Chr. et peractus fuisset praeside Syriae Quirinio, anno 3-2 a. Chr. (3).

De huius inscriptionis interpretatione vero valde dubitant viri periti, H. DESSAU, E. GROAG (4) illamque prorsus arbitrariam reputant, et quidem propter rationes diversas: a) Quirinii nomen in inscriptione non habetur; b) Quirinius origine erat e Lanuvio, mirum igitur est quod Tibur titulum sepulchralem acceperit; c) de duplici legatione in « eadem » regione non loquitur inscriptio, sed de duplici legatione cuius ultima fuit in Syria et Phoenicia; d) FL. IOSEPHUS legationem Quirinii anno 6 p. Chr. adnotat, de legatione anteriori nihil habet (5); e) si Quirinius bis gubernium in eadem provincia Syriae obtinuisset, hoc fuisset factum prorsus extraordinarium, immo unicum, et ratione characteris prorsus extraordinarii huius facti, TACITUS illud silentio non transiisset.

Auctores ergo illi opinantur quod inscriptio non intendit Quirinium, sed M. Plautium Silvanum (vel Silanum), qui originem e Tibur

(1) TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem*, IV, 19. P. L. t. 2, c. 434.

(2) H. MARUCCHI, *Cyrius*, DB. 2, 1899, 1187. — P. JALABERT, *Epigraphie DAFC.* 1, 1911, 1926.

(3) TH. MOMMSEN, *De inscriptione latina ad P. Sulpitium Quirinium referenda*, 1851. — *Res gestae Divi Augusti*, 1883, p. 161 seq.

(4) H. DESSAU, *Zu den neuen Inschriften des Sulpicius Quirinius*, *Klio*, 17, 1921, 252-258. E. GROAG, *Jahreshefte des österreichischen archäologischen Institutes in Wien*, 21-22, 1924, 446-478.

(5) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVIII, 1, 1.

duxit et qui circa 7-9 p. Chr. fuit legatus in Illyrico et circa 9-11 p. Chr. in Syria (1).

Secunda Interpretatio. W. RAMSAY in opusculo « Was Christ born at Bethlehem » (2) contendit duos legatos circa annum 7 a. Chr. in Syria fuisse, nempe Quirinium qui bellum contra Homonadenses in Pisidia gerere debuit, et Q. Varum cui administratio interna provinciae Syriae delegata fuit. Census a Q. Varo circa finem anni 6 a. Chr. esset factus, sed Lucas Quirinium nominat quia magis notus erat.

Haec interpretatio valde infirma apparet: a) quia regio Pisidiae iam ab anno 9 a. Chr. in tranquillum redacta fuit (3), et b) quia Lucas haud facile censum in Syria et Palaestina factum attribuere potuit legato qui bellum in Pisidia gessit, dum alius, administratione interna et consequenter censu oneratus, in Syria adfuit.

Anno vero 1912, W. RAMSAY Antiochiae Pisidiae inscriptionem quamdam invenit, ad pedem statuae alicuius C. Caristanii positam (4) et quam W. RAMSAY ad annos 10-7 a. Chr. pertinere cogitat. Caristanus praefectus fuisset simul a) SULPICII QUIRINII, quem W. RAMSAY supponit esse Quirinium *S. Lucae* 2, 3 et b) M. SERVILII, quem W. RAMSAY absque ullo fundamento contendit fuisse legatum Galatiae circa 8-6 a. Chr. Secundum inscriptionem uterque fuit duumvir Antiochiae Pisidiae; ratio quare duumviri creati fuerunt in inscriptione non adnotatur. W. RAMSAY tunc supponit quod uterque bellum contra Homonadenses gessit et quod ratione victoriae in illos relatae, uterque duumvir coloniae Antiochensis Pisidiae renuntiatus fuit. Quia vero Quirinius cum legionibus syris bellum istud perfecit, conclusit W. RAMSAY Quirinium legationem in Syria habuisse ab anno 11 ad 8 a. Chr. Legatio ista uno vel duobus annis cum legatione SENTII SATURNINI (8-6 a. Chr.) concurrisset. Census de quo *Lucas* 2, 1-3 durante hoc concursu peractus fuisset, ita ut LUCAS dicere potuerit « praeside Syriae Cyrino », et TERTULLIANUS: « Sentius Saturninus descriptionem fecit » (5).

Quia vero duorum gubernatorum concursus difficile admitti potest, propugnatores sententiae W. RAMSAY parvam correctionem proposuerunt dicentes Quirinium censum circa annum 8 a. Chr. incepisse, eius vero successorem S. Saturninum illum perfecisse (6),

(1) M. J. LAGRANGE, *Le Judaïsme avant Jésus Christ*, 1931, p. 228-232.

(2) W. RAMSAY, *Was Christ born at Bethlehem*, 1898, p. 242.

(3) M. J. LAGRANGE, *Bulletin*, RB. 22, 1913, 618.

(4) W. RAMSAY, *Luke's narrative of the Birth of Christ*, « *The Expositor* », 6, 1912, 405.

(5) W. RAMSAY, *The Bearing of recent Discovery on the Trustworthiness of the N. T.* 1920, p. 223-300. — TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem*, IV, 19, P. L. t. 2, c. 434.

(6) J. J. O' ROURKE, *Census Quirinii*, VD. 1, 1921, 206-211. — L. FONCK, *Quandonam Christus natus est?* VD. 7, 1927, 369. — A. VALENSIN - J. HUBY, *Ev. de S. Luc.* 1927, p. 32-33. E. POWER, *John*, 2, 20, and the date of the crucifixion, « *Bibl.* », 9, 1928, 282, 286. — U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 28. 29.

et Christus, occasione huius descriptionis circa annum 7 a. Chr., natus esset.

Valor huius documenti Antiochiae Pisidiae non est exaggerandus. Secundum hanc inscriptionem Quirinius duumvir Antiochiae est renuntiatus; neque tempus, neque ratio huius promotionis indicatur. Quirinius sane victor Homonadensium fuit, sed insuper fuit rector Gaii Caesaris, nepotis Augusti. Quaestio igitur ponitur quare duumvir nominatus fuerit? fuitne ratione muneris rectoris vel ratione victoriae in Homonadenses? Si sit ratione «muneris rectoris» nihil probat pro legatione Quirinii in Syria inter annos 11-8 a. Chr., nam solummodo anno 2 p. Chr. rector creatus fuit; si sit ratione victoriae in Homonadenses, tunc vel non fuisset nisi dux exercitus cui descriptionem facere non incumberebat; vel fuisset simul praeses Syriae et tunc duplicem legationem unius eiusdemque personae in eadem provincia haberemus, et hoc factum prorsus extraordinarium et quidem unicum quod nullo documento historico probatur (1).

Tertia Interpretatio. Quamvis interpretatio W. RAMSAY admitti possit, inquit F. PRAT, plenam tamen satisfactionem non dat; quapropter alia est inquirenda. Certum est, inquit F. PRAT, quod in provinciis romanis aliquando duo legati imperiales simul gubernaverunt, v. g. anno 75 p. Chr. fuit in Africa legatus pro descriptione et legatus pro exercitu, et uterque «legatus Augusti» vocabatur. Similiter, teste FL. IOSEPHO, Saturninus et Volumnius (8-6 a. Chr.) simul legati in Syria fuerunt et ἡγεμόνες = gubernatores a FL. IOSEPHO vocantur (2). Tempore Nativitatis Christi idem factum fieri potuit, nempe Quirinius legatus pro exercitu contra Homonadenses, et Saturninus legatus pro administratione interna provinciae Syriae. Si expeditio contra Homonadenses locum habuerit circa annum 7-5 a. Chr., quod probabile est, tunc diversa rite explicantur, nempe 1) praesentia in Syria duorum legatorum, Quirinii, legati pro exercitu et Saturnini pro administratione Syriae ac descriptione Palaestinae. 2) adnotatio TERTULLIANI quod descriptio facta est a Saturnino, secundo legato in Syria; 3) declaratio S. Lucae quod «praeside Syriae Cyrino» facta est descriptio, quia Quirinius erat persona principalior. Unde F. PRAT nativitatem Christi circa annum 6 a. Chr. ponit (3).

F. PRAT ergo admittit 1) duplicem Quirinii legationem in Syria, primam circa annum 7-5 a. Chr.; secundam anno 6 et sequentibus p. Chr.; 2) duplicem legatum simul in Syria circa annum 7-5 a. Chr.; 3) bel-

(1) M. J. LAGRANGE, *Le Judaïsme avant Jésus Christ*, 1931, p. 231. — BULLETIN, RB. 22, 1913, 617.

(2) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVI, IX, 1-2. — XVI, X, 8.

(3) F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 515. — H. MARUCCHI, *Cyrinus*, DB. 2, 1899, 1187.

lum contra Homonadenses circa annum 7-5 a. Chr. Plura vero heic sunt notanda: a) Duplex legatio Quirinii in Syria est factum extraordinarium (cfr. supra). Porro factum extraordinarium et unicum admitti nequit, nisi sit plane evidens; porro evidentia huius facti omnino abest. Ergo haec duplex Quirinii legatio in Syria admittenda non est (1). b) Testimonium FL. IOSEPHI non est magni valoris, nam FL. IOSEPHUS affirmat etiam quod Saturninus cum tribus filiis suis in Syriam venit illosque vocat omnes «*legatos*» dum de facto non erant nisi comites legati, vel consultores iuridici, vel tribuni militum. Insuper VOLUMNIUS erat procurator ἐπίτροπος, uti FL. IOSEPHUS rite asserit (2), et tamen idem FL. IOSEPHUS alio in loco dicit, sane false, quod Saturninus et Volumnius fuerunt ἡγεμόνες = gubernatores, ac si uterque legatus Syriae fuisset; de facto Saturninus solus erat legatus, et historice constat Volumnium non fuisse nisi procuratorem (3). c) Haud facile admitti potest quod Quirinius uti dux exercitus, simul cum Saturnino Syriam gubernasset et insuper descriptione oneratus fuisset, quia secundum consuetudines romanas varia illa munera in eadem provincia eidem personae non conferebantur. d) Demum M. J. LAGRANGE animadvertit quod lapis quidam milliarius (CIL, III, 6974) tempus circiter determinare licet quo via militaris Antiochiae Pisidiae constructa fuit, nempe circa annum 6 a. Chr., circa idem tempus, vel etiam iam antea, circa annum 9 a. Chr. erectae fuerunt quinque coloniae pisidianae; unde eo in tempore pax in ista regione iam regnabat, et bellum contra Homonadenses iam erat peractum. Ex quo sequitur 1) quod bellum istud non inter annos 7-5 a. Chr. sed iam ante annum 9 a. Chr. locum habuit; 2) quod Quirinius, ut dux exercitus, non simul cum Saturnino gubernavit, nam Saturninus fuit praeses Syriae ab anno 8 ad 6 a. Chr. (4).

Quarta Interpretatio. Ex his quae dicta sunt supra deduci potest: a) documentum Tibur inventum de Quirinio non loquitur; b) documenti Antiochiae Pisidiae valor non est exaggerandus; c) Quirinius anno 6 p. Chr. ut legatus Syriae descriptionem populi fecit, quae descriptio distinguenda est a descriptione heic *Lc.* 2, 1-3 narrata; d) argumenta allata ad primam legationem Quirinii in Syria circa annos 11-8, vel 7-5 a. Chr. stabiliendam, solido fundamento carent. Quapropter plerique exegetae opinantur ipsum textum graecum evangelii *S. Lucae* 2, 2 accurate considerandum esse.

Graece legitur *Lc.* 2, 2: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος

(1) H. J. LAGRANGE, *Le Judaïsme avant Jésus Christ*, 1931, p. 230.

(2) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVI, XI, C. — *De Bello Iud.* I, XXVII, 2.

(3) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVI, IX, 1. 2. - XVI, X, 8. — M. J. LAGRANGE, *Le Judaïsme avant J. C.* 1931, p. 226.

(4) M. J. LAGRANGE, *Bulletin, RB.* 22, 1913, 618.

τῆς Συρίας Κυρηνίου. a) Propositio ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου significat quod « descriptio facta est quando Quirinius Syriam gubernavit », qua adnotatione auctor tempus nativitatis Domini amplius determinare intendit. b) Manuscripta graeca, exceptis B. D. Θ, legunt ἀπογραφὴ cum ἡ articulo: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη; porro graece πρῶτος, uti iam diximus supra, quandoque sensum comparativum habet, tum in litteratura profana, *Thucydide*, IV, 92, 4; *Xenophon*, *Cyr.* IV, 3. 7, tum in litteratura sacra, *II Sam.* 19, 43 (44); *Ier.* 36, 2 (hebr. 29, 2); *S. Ioan.* 1, 15. 30; 15, 18, et tunc sensus propositionis est: « Descriptio ista anterior est illi quae facta est quando Quirinius Syriam gubernavit ». Lucas ergo duplicem descriptionem distinguit, descriptionem nempe factam ante Quirinium et aliam factam quando Quirinius Syriam gubernavit. Distinctione illa Evangelista omnem confusionem eludere voluit. De famosa descriptione anno 6 p. Chr. praeside Quirinio peracta, et quae in memoria omnium adhuc adest, non loquitur Lucas, sed descriptionem anteriorem respicit, descriptionem, regnante Herode, ab Augusto decretam et quae, secundum TERTULLIANUM, praeside Syriae Saturnino anno 8-6 a. Chr. est facta. Hanc interpretationem auctores quidam independentes H. OLSHAUSEN, H. EWALD, W. CASPARI, secuti sunt; inter Catholicos numerantur D. CALMET, M. J. LAGRANGE, T. VAN TICHELEN, J. VANDERVORST, J. SICKENBERGER, C. LAVERGNE, L. MARCHAL, R. L. JANSEN, illamque etiam nos probabiliorem iudicamus (1).

Iesus ergo natus est circa annum 7-6 a. Chr. quando Sentius Saturninus legatus Syriae (8-6 a. Chr.) fuit, illaque descriptio est quae famosae descriptioni anni 6 p. Chr. anterior fuit.

3. *Iesus ministerium publicum incepit quando « erat incipiens quasi annorum triginta »*, *Lc.* 3, 23.

Quaeritur nunc utrum ista aetatis Christi determinatio convenire possit cum conclusione nostra secundum quam Christus natus esset anno 7-6 a. Chr.?

S. Lucas ex una parte dicit quod Ioannes Baptista ministerium suum incepit anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris 3, 1, et ex alia parte quod Iesus quando ad baptismum venit « erat incipiens quasi annorum triginta » ὥσεί ἐτῶν τριάκοντα 3, 23. Expressio ista manifestare

(1) M. J. LAGRANGE, *Où en est la question du recensement de Quirinius?* *RB.* 20, 1911 66-68. — *Le Judaïsme avant Jésus Christ*, 1931, p. 223-231. — T. VAN TICHELEN, *De Volkstelling van Quirinius*, 1911, p. 23-25. — J. VANDERVORST, *Israël et l'Ancien Orient*, 1915, p. 295-296. — J. SICKENBERGER, *Zur Quiriniusfrage*, *BZ.* 16, 1924, 215. — C. LAVERGNE, *Ev. de S. Luc*, 1932, p. 30. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc* (éd. L. Pirot), 10, 1935, 42. — R. L. JANSEN, *Het Nieuwe Testament (Canisiusuitgave)* 5, 1938, 131. — G. RICCOTTI, *Storia d'Israele*, 2, 1935, 435, 1, quæstionem non solvit.

videtur Lucam intentionem non habuisse aetatem Christi accurate indicandi, sed solummodo nobis communicandi id quod ex traditione sciebat. Particula ὥστε non significat « fere », neque « nondum », sed « plus-minusve », unde aliquam libertatem relinquit et Iesum quibusdam annis iam aetatem triginta annorum superasse asserere permittit (1); immo quidam auctores asserunt « quasi annorum triginta », praesertim quia de numero decimali agitur, dici posset homo plus quam 25 et nondum 35 annos natus (2). — M. J. LAGRANGE et U. HOLZMEISTER rite opinantur Evangelistam, cum tempus praedicationis Baptistae indicat, in mente potius habuisse, ut determinaret, quo tempore Christus ministerio suo functus sit. Ex quo concludunt Iesum omnino in initio ministerii Ioannis Baptistae baptismum accepisse et ministerium suum publicum incepisse, anno nempe quinto decimo imperii Tiberii (3).

Quandonam Tiberius regnum suum incepit? — Diversae interpretationes propositae fuerunt. 1. F. PRAT contendit regni Tiberii initium computari posse iam a momento quo potestati Augusti associatus fuit, i. e. a mense Ianuarii 765 U. C., seu anno 12 p. Chr.; annus quintusdecimus regni Tiberii fuisset ergo annus 26 p. Chr. vel initium anni 27 p. Chr. et Iesus habuisset 32-33 annos quando ministerium suum incepit (4).

Nomismata vero probant Tiberium titulum imperatoris et Augusti a momento mortis praedecessoris sui Augusti tantum assumpsisse, et ab hoc momento tantum incepit computatio annorum regni alicuius imperatoris, quod antiqua traditione confirmatur, inquit U. HOLZMEISTER: « Tiberio a tota antiquitate attributi sunt tantummodo anni 22, viginti duo et dimidius vel anni 23, non vero plures, sicut exspectandum esset, si initium computationis fuisset annus 12 p. Chr. » (5).

2. M. J. LAGRANGE sententiam ab O. HOLTZMANN propositam et a pluribus aliis olim admissam sequitur, secundum quam Lucas modum numerandi in Syria consuetum secutus esset; porro secundum hunc modum annus 1 Octobris incepit; primus annus Tiberii ergo fuisset a momento mortis Augusti, die 19 Augusti ad 30 Septembris anno 767 U. C. i. e. anno Domini 14; secundus annus incepisset die 1 Octobris anno 767 U. C. i. e. anno Domini 14. Quintusdecimus annus

(1) S. IUSTINUS, *Dialogus contra Tryphonem*, 88, 6; P. G. t. 6, c. 685.

(2) J. KEPLER, *De anno natali Christi*, XII, p. 140. — P. LADEUZE, *Date de la mort du Christ*. RHE. 5, 1904, 903.

(3) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 99. — U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 83.

(4) F. PRAT, *La date de la Passion*, « Rech. Sc. Rel. » 3, 1912, 101-102. — *Jésus Christ*, 1, 1933, 482.

(5) U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 69.

fuisset a 1 Octobris 780 ad 1 Octobris 781 U. C. i. e. anno Domini 27-28. Ministerium Ioannis Baptistae ponendum ergo esset inter 1 Octobris 27 p. Chr. et 1 Octobris 28. Ioannes vero ministerium suum tempore autumnali vel hieme ineunte incepisse communiter admittitur, i. e. circa finem 27 vel initium 28 p. Chr. Iesus in initio ministerii Baptistae ad baptismum venit, nempe anno 28 ineunte. Unde eo in momento, quando ministerium suum publicum incepit, Iesus 34 vel vix 35 annos habuisse videtur, quod convenire potest cum assertione *Lucae* 3, 23 (1).

3. Computatio a Calendis Octobribus facta in Syria, inquit U. HOLZMEISTER, possibilis haberi debet, etsi hucusque argumenta desunt, quae evincant eam revera adhibitam esse (2). Unde variis fontibus ac documentis consideratis, ipse concludit: 1) quod Tiberius regnum suum incepit, mortuo Augusto, die 19 Augusti 767 U. C. seu anno 14 p. Chr. Annus quintusdecimus ergo esset a 19 Augusti 781 ad 19 Augusti 782, nempe annos 28-29 p. Chr. Ioannes Baptista ministerium ergo suum incepisset ante diem 19 Augusti 782, U. C. seu 29 p. Chr. 2) Documenta vero ostendunt Ioannem ministerium incepisse tempore autumnali vel hieme ineunte, nempe circa finem anni 28 p. Chr., et Christus baptizatus esset anno 29 p. Chr. ineunte; ergo 35-36 annos habuit; et quia ministerium suum publicum duobus annis valde probabiliter duravit, mortuus est anno 31 p. Chr. habens 37-38 annos (3).

4. W. RAMSAY credit quod S. Lucas aetatem Iesu accuratam determinare non voluit, forsitan quia illam ignoravit, sed ex traditione scivit quod Iesus aetatem legalem habuit; porro secundum Iudaeorum mores antiquos aetas legalis fuit saltem 30 annorum; unde S. Lucas dicens quod quintodecimo anno imperii Tiberii, Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, asserere voluit quod Iesus aetatem requisitam ad ministerium suum publicum obeundum habuit (4). Quo in casu nihil de aetate praecisa Iesu determinaretur, et nativitas eius usque ad annum decem vel 9 a. Chr. differri posset, ut quidam defensores huius interpretationis propugnant (5).

(1) O. HOLTZMANN, *Leben Jesu*, 1901, p. 84. — M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 99. — *L'Evangile de J. Christ*, 1929, p. 55. — P. DAUSCH, *Die drei älteren Evangelien*, 1921, p. 420. C. CICHORIUS, *Chronologisches zum Leben Jesu*, ZNW. 22, 1923, 16-20. — J. SCHAUMBERGER, *Die 14 Nisan, als Kreuzigungstag und die Synoptiker*, «Bibl.», 9, 1928, 63 seq.

(2) U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 58. — H. DIECKMANN, *Das fünfzehnte Jahr des Caesar Tiberius*, «Bibl.», 6, 1925, 65-67.

(3) U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 82.

(4) W. M. RAMSAY, *The Bearing of recent Discovery of the Trustworthiness of the N. T.*, 1920, p. 295. — L. FONCK, *Quandnam Christus natus est?* VD. 7, 1927, 369. — E. POWER, *John II, 20 and the date of the Crucifixion*, «Bibl.», 9, 1928, 282 seq. — P. LADEUZE, *Date de la mort du Christ*. RHE. 5, 1904, 903.

(5) E. POWER, *John II, 20 and the date of the Crucifixion*, «Bibl.», 9, 1928, 282 seq. asserit Iesum natum esse anno 9-8 a. Chr. et ministerium incepisse quando 38-39 annos habuit.

Quibus interpretationibus perspectis, quid sit concludendum?

1) Expressio « erat incipiens quasi triginta annorum » aliquam libertatem relinquere videtur, quod sat communiter ab auctoribus admittitur.

2) Credimus Iesum esse natum occasione descriptionis quae facta est quando S. Saturninus Syriam gubernavit ab 8 ad 6 a. Chr.; secundum omnem probabilitatem Iesus anno 7 vel 6 a. Chr. natus est.

3) Ioannes Baptista ministerium suum incepit anno 15 imperii Tiberii, i. e. 27-28 p. Chr. et in principio huius ministerii Iesus baptizatus fuit, i. e. 28-29 p. Chr.

4) Opinamur igitur Iesum vitam suam publicam incepisse anno 28 vel 29 p. Chr., quando 34-35 annos habuit, et Evangelista dicere potuit quod « erat incipiens quasi triginta annorum ».

C. *Narrationis historicitas.*

1. *Narratio est mythus vel legenda.*

Propter varios errores historicos qui in narratione biblica irreperunt, E. SCHÜRER characterem historicum huius narrationis admittere nequit; similiter A. LOISY eosdem errores agnoscit et narrationem *Lc.* 2, 1-7 nonnisi mythum vel legendam esse reputat. Secundum prophetiam *Michaeae* 5, 1, inquit A. LOISY, Messias futurus Bethlehem nasci debuit. Cum vero parentes Iesu Nazareth incoluerunt, traditio quam Lucas secutus est, motivum invenire debuit ad explicandum quare Ioseph et Maria Bethlehem, civitatem David, venerunt. Aliud motivum ac melius excogitare non potuit nisi recensio quaedam totius Palaestinae, immo totius imperii romani, cuius Palaestina simul cum Syria provincia erat, et quidem recensio omnium familiarum Palaestinae in proprio earum loco originis. Porro in memoria omnium permanerat prima recensio, illa quae a Quirinio facta fuit et occasione cuius Lucas ponit iter Ioseph et Mariae in Bethlehem et Iesu nativitatem. Quid vero fuit de facto ista recensio, homines non amplius accurate hoc scire videntur, sed semper tamen de recensione et de Iuda Galilaeo inter se loquebantur (1).

Rationes diversae contra characterem historicum *Lucae* 2, 1-7 afferuntur:

1) Historia descriptionem universi imperii romani, tempore Augusti, ignorat. 2) Recensio romana, regnante Herode, in Palaestina, locum habere non potuit, quia Herodes erat « rex socius » et autonomia

(1) E. SCHÜRER, *Geschichte des jüdischen Volkes*, 1, 1901, 508-543. — A. LOISY, *Les Évangiles Synoptiques*, 1, 1907, 345 seq.

quadam gaudebat. 3) Recensio romana non potuit Ioseph et minus adhuc Maria in Bethlehem adducere, primo quia recensio romana non secundum individuos fiebat, deinde quia in loco originis familiae non fiebat, sed in loco domicilii aut civitatis vicinae. 4) Quirinius, regnante Herode, nullam descriptionem fecit, eo quod durante regno Herodis non fuit praeses Syriae. 5) FL. IOSEPHUS non cognoscit nisi descriptionem a Quirinio factam anno 6 p. Chr. illamque descriptionem uti veram novitatem considerat. 6) Demum error qui cum nativitate Iesu intime connectitur occurrit apud *Lucam* 2, 8. Evangelista enim asserit quod pastores nocte super gregem suum erant vigilantes (ἀγρυλλοῦντες); haec vero animadversio valde inverisimilis videtur, eo quod greges hiemali tempore, id est a primis pluviis autumnalibus usque ad festum Azymorum domum reducebantur.

Variis his rationibus plura in supradictis iam respondimus; sumamus tamen unamquamque in speciali ut earum inanitatem facilius videamus.

AD PRIMAM: Historice constat Augustum veram descriptionum passionem habuisse ac census variis in provinciis peregrisse: a) *In Galliis* anno 27 a. Chr. recensionem incepit quam probabiliter ad Hispaniam extendit; immo anno 14 a. Chr. novam descriptionem in Galliis praecepit (1). b) Historice constat Augustum ab anno 19-9 a. Chr. descriptionem in *Aegypto* incepisse, illamque statis temporibus de 14 ad 14 annos iterasse (2). c) FL. IOSEPHUS recensionem a Quirinio in *Syria* anno 6 p. Chr. factam cognovit, sed insuper alludere videtur ad censum quemdam universalem ab Augusto circa 10-8 a. Chr. decretum (3). d) SÜETONIUS narrat quod, Augusto mortuo, inventum fuit « *Breviarium totius imperii* » in quo, teste TACITO, enumerabantur « quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia et necessitates ac largitiones » (4); immo, uti supra diximus, in autobiographia Augusti dicitur quod imperator tres census fecit, quod a SÜETONIO confirmatur (5). Difficile ergo negari potest Augustum provinciarum suarum, saltem imperialium, descriptiones fecisse; has descriptiones successive probabiliter fecit, pertinere tamen videntur ad propositum bene determinatum, ita ut *Lucas* 2, 1, rite dicere po-

(1) DION CASSIUS, *Hist.* LIII, 21, 5.

(2) L. MITTEIS et U. WILCKEN, *Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde*, 1, 1912, 192-198.

(3) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* XVII, XIII, 5.

(4) SÜETONIUS, *Augustus*, 101. — TACITUS, *Annales*, 1, 12. — DION CASSIUS, *Hist.* LVI, 31. — W. RAMSAY, *The Bearing of recent Discovery on the Trustworthiness of the N. T.* 1920. p. 255-274.

(5) *Res gestae Divi Augusti*, col. 2, l. 2-12. — SÜETONIUS, *Vita Divi Augusti*, 27, 5. — M. J. LAGRANGE, *Où en est le recensement de Quirinius*. *RB.* 20, 1911, 67, 68.

tuerit quod « exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis » (1).

AD SECUNDAM: Herodes « rex socius » fuit, at omnes illi reges socii de facto nonnisi vassalli Augusti fuerunt, politicam romanam dociliter admittere et sequi debuerunt et illam solam independentiam habuerunt quam imperatores romani eis libenter concedere voluerunt. STRABO et SÜETONIUS disertis verbis asserunt reges socios, cuiuscumque nominis, membra ac partes regni constituuisse et directe sub imperatoris auctoritate stetisse (2). Absque auctoritatis romanae consensu, bellum facere non potuerunt, neque determinationes sumere, neque concilia inter se habere. Quod vero ad personam Herodis attinet, scimus relationes eius cum imperatore, quae prius amicales fuerunt, postea pessimas fuisse, ratione occisionis Alexandri et Aristobuli, filiorum Herodis, ab Herode ipso peractae. Quibus consideratis, opinamur Herodem contra edictum Augusti, descriptionem Syriae et Palaestinae imponentis resistere non potuisse, eo vel magis quod circa idem tempus, circa annum 7-6 a. Chr., Augustus duriora adhuc ab Herode petiit, nempe omnium Iudaeorum fidelitatis iuramentum auctoritati romanae. Caeterum, TERTULLIANUS aperte declarat descriptionem de facto in Iudaea locum habuisse, praeside Syriae Sentio Saturnino, qui ab anno 8 ad 6 a. Chr. Syriam gubernavit (3).

AD TERTIAM: Verum est quod secundum Ius romanum, uti supra iam diximus, census erat individualis et non secundum familias, in loco domicilii vel in civitate principali regionis; at scimus etiam quod Romani communiter variarum regionum consuetudines servabant, cfr. supra *Lc.* 2, 3.

AD QUARTAM: Supra etiam ostendimus Quirinium non gubernasse Syriam durante regno Herodis. Census anni 6 vel 7 a. Chr. factus est praeside Syriae Sentio Saturnino.

AD QUINTAM: Mirum non est FL. IOSEPHUM nonnisi censum Quirinii anni 6 p. Chr. cognovisse illumque uti veram novitatem didicisse, quia census anni 6 vel 7 a. Chr. de quo *Lucas* 2, 1-3 loquitur non a Quirinio sed a Sentio Saturnino est factus. FL. IOSEPHUS alios census tamen cognovit, nam uti diximus, ad censum quemdam universalem ab Augusto circa 10-8 a. Chr. edictum alludere videtur, cfr. ad primam.

AD SEXTAM: Respondemus cum U. HOLZMEISTER: « fontes rabbinici distinguunt tres gregum classes: praeter a) greges cotidie vespere in stabulum revertentes et b) eos, qui hiemali tempore domum redu-

(1) M. J. LAGRANGE, *Où en est la question du recensement de Quirinius*, *RB.* 20, 1911, 66-68.

(2) STRABO, *Geograph.* XVIII, III, 25. — SÜETONIUS, *Augustus*, 48.

(3) TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem*, IV, 19. *P. L.* t. 2, c. 434.

cebantur, exstiterunt etiam c) greges, qui semper foris in deserto manebant, sicut etiam de Sicilia asseritur. Regio vero urbi Bethlehem vicina ex parte orientali a nive est immunis (1). In hos campos versus mare Mortuum sitos pastores eo certius descendebant, quod ibi mox post pluvias autumnales pabulum crescere solet, cum in montibus frigore impediabatur » (2).

Argumenta igitur quibus auctores Independentes narrationis historicitatem impugnare eiusque characterem legendarium aut mythicum stabilire intendunt, omni valore scientifico carent.

2. *Mythus dependens a mysteriis paganis.*

Praeter auctores supracitados, quidam alii habentur ad Scholam historiae religionum pertinentes qui asserere non timent narrationem biblicam S. Lucae a mysteriis paganis Mithrae vel Adonis dependere, et sicut mysteria ista non sunt nisi myathi, ita etiam narratio S. Lucae mythica est dicenda.

a. *Dependentia a Mithriacismo.*

Legenda Mithrae docet quod ipse Mithra e rupe quadam natus est, quod pastores in montibus absconditi hanc mysteriosam nativitatem observaverunt, puerum divinum adoraverunt eique primitias gregum ac fructuum suorum obtulerunt (3); nativitatis Mithrae solemnitas magnis cum festivitatibus die 25 Decembris ubique fuit celebrata. Ex quibus constat similitudines mirabiles cum Christianismo haberi: a) nativitas misteriosa in montibus, seu in caverna quadam in montibus sita; b) praesentia pastorum qui neonatum adorant; c) solemnitas utriusque nativitatis die 25 Decembris. Cum Mithriacismus originem Christianismo antiquiorem habet, Christianismus sub influxu Mithriacismi doctrinam de nativitate Christi misteriosa a Luca 2, 1-20 narrata excogitavit, quin aliquam realitatem habuerit.

Consideremus ergo diversa illa facta in utraque religione:

1) *Nativitas Mithrae et nativitas Christi.* Mithra est deus solis, et sicut sol quotidie e montibus oriri videtur, ita etiam Mithra e montibus, e rupe quadam, mysteriose ortus est (4). De facto vero undenam provenit Mithra? Quisnam inter mortales unquam testimonium de eius nativitate reddidit? Testimonia vere historica circa ortum, vitam, personam, activitatem Mithrae desunt; omnia quae de Mithra narrantur

(1) H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.* 2, 1924, 115. — EDM. RICHEN, *Das Heilige Land*, 54, 1910, 22-27.

(2) DALMAN, *Orte und Wege*, 1895, p. 52 seq. — U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 38, 39.

(3) F. CUMONT, *Textes et Monuments figurés relatifs aux Mystères de Mithra*, 1, 1894-1896, 161, n. 4 seq. — *Les Mystères de Mithra*, 1913, p. 132-133.

(4) A. LOISY, *Les mystères païens et le mystère chrétien*, 1930, p. 164.

legendaria sunt, et huius legendae origo facile explicari potest: Mithra est auctor vitae, et ad vitam producendam in terram descendere debuit. Mithra erat deus, unde non potuit nisi modo mysterioso descendere. Mithra erat deus solis unde sicut sol e montibus e rupe quadam oriri, nasci debuit.

Christus e contra est persona historica a coetaneis cognita; nascitur e matre virgine quando « dies impleti sunt ut pareret », *Lc. 2, 6*; mater eius est mulier in regione nota; pater eius putativus est Ioseph, faber pagi, et Iesus ipse ut filius fabri agnoscitur, *Mt. 13, 55*. Nativitas Christi est factum vere historicum quod cum variis suis circumstantiis historicis scripto fuit consignatum tempore scilicet quo plerique Christi coetanei adhuc vixerunt. Christus non mystérie e petra nascitur, sed de muliere, sicut omnes alii mortales — virginaliter tamen — et quidem in caverna quadam prope Bethlehem; ratio quare in caverna et non in domo natus est additur: « quia non erat eis locus in diversorio », *Lc. 2, 7*. Nihil ergo extraordinarium in ista narratione occurrit, nihil contra narrationis veracitatem adduci potest, nihil puerile, nihil ridiculum, omnia cum eadem gravitate exponuntur. Uno verbo, Christi nativitas est factum historicum quod argumentis scientificis et documentis historicis probatur, dum e contra Mithrae nativitas omni fundamento caret; Christi nativitas est historica, Mithrae nativitas legendaria.

2) *Pastorum praesentia utrique nativitati*. Pastorum praesentia animum commovere posset; attamen praesentia illa pluries animadvertitur in narrationibus mythologicis quae de deorum nativitate agunt. Puer quidam divinus qui in solitudine nascitur communiter a pastoribus recipitur qui de illo curam habent illumque puerum assistunt (1). — In quibusdam sculpturis Mithra non amplius e rupe, sed prope flumen nascitur et in proximitate pastores adsunt; inter utrumque factum vero nulla relatio haberi videtur; primum factum est ordinis religiosi, secundum est scena vitae agrestis in qua pastores non ut adoratores exhibentur, sed ut pastores qui oves pascunt, et qui symbolum sunt pacis. Paucae sculpturae, quae pastores uti Mithrae adoratores monstrant, post Evangeliorum conscriptionem confectae fuerunt, quod suggerere videtur ipsas sub influxu Christianismi stetisse. — Demum notandum est quod in quibusdam legendis mithriacis dicitur quod Mithra super terram descendit ad vitam et praesertim ad vitam humanam producendam, unde rite quaeritur quomodo pastores in Mithrae nativitate adesse potuerint.

Narratione vero evangelica considerata, statuimus quod pastores,

(1) H. VINCENT - F. M. ABEL, *Bethléem, Le Sanctuaire de la Nativité*, 1914, p. 11, n. 1.

de nativitate Salvatoris divinitus admoniti, ad cavernam statim currunt et quidem ad Salvatorem, ab omnibus Iudaeis eo in tempore expectatum, adorandum. Notentur igitur oportet: 1) quod inter Christi nativitatem et pastorum adorationem relatio explicita et directa habetur, est una et eadem repraesentatio; 2) quod pastores primo in loco admoniti fuerunt explicatur ex facto quod Christus in Bethlehem natus est, in regione in qua, praesertim ad partem orientalem, pascua valde extensa habebantur; nocte pastores vigilias prope greges suos fecerunt, unde facillime ad cavernam venire potuerunt ad Salvatorem avidissime expectatum adorandum. Nihil coactum, nihil inverisimile in hoc facto perspicitur.

3) *De die nativitatis Mithrae et Christi.* Mithra est deus solaris, unde nativitas eius ponenda est quando sol ascensionem suam incipit; hoc vero fit variis temporibus, hoc fit etiam circa diem 25 Decembris; solemnitas nativitatis Mithrae eo in die determinata fuit et magnis solemnitatibus in Oriente celebrata fuit, praesertim magnae festivitates populares ac publicae in honorem « Solis invicti » locum habuerunt.

Temporibus posterioribus, nativitatis Christi solemnitas die 25 Decembris determinata fuit; habet igitur haec dependentia a Mithriacismo? Auctores ecclesiastici hanc dependentiam prorsus denegant, nam tempore quo Mithriacismus et paganismus declinaverunt ac Christianismus magis magisque accevit, auctoritas ecclesiastica diem 25 Decembris tamquam nativitatis Christi solemnitatem determinavit, eo in fine ut nihil amplius de his festivitibus paganis in honorem Mithrae remaneret. Unde auctoritas ecclesiastica hac determinatione scopum apologeticum prosecuta est (1).

b. *Dependentia a cultu Adonis.* Quidam asseclae eiusdem scholae historiae Religionum relationes quasdam inter mysteria Adonis et nativitatem Christi in caverna Bethlehem perspexerunt, ex quibus constare videretur narrationem Lucae de Christi nativitate non esse historicam sed mythicam. Adonis (Tammuz), inquit, in Syria verum cultum divinum habuit; locus vero quo mysteria ac festivitates eius celebrabantur fuit caverna Bethlehem. Mulieres ibi convenerunt ad divinitatis mortem mysticam celebrandam ac plorandam; locus ille fuit Astoreth et Tammuz (Adonis) consecratus; in nemore sacro quo locus sacer circumdatus fuit, duxerunt antistitae deae orgia sacra sicut in templo Byblos, nempe prostitutiones, cantus, saltationes, etc.

Consuetudo ista mysteria divina in caverna Bethlehem celebrandi

(1) E. VACANDARD, *Études de critique et d'histoire religieuse*, 3, 1912, 16 seq. — F. CUMONT, *Les Mystères de Mithra*, 1913, p. 207. — U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 46, 47.

de anno in annum, de generatione in generationem fideliter transmissa fuit, et quando divinitas Adonis diuturnitate in oblivionem adducetur, locus eius festivitatum semper locus sacer manebit, et nota mystica ita firmiter huic loco impraegnabitur ut Christianismus illum eligat ad Dei sui nativitatem in hoc loco sacro collocandam. Caverna Adonis sic fit caverna Iesu; una divinitas alteri succedit et quidem quin fides popularis sit notabiliter turbata, et quin populus in hac formarum divinarum successione distinguere possit elementa illius novae religionis quae nascitur. Eadem turba quae in caverna Bethlehem Adonem celebrare venerat, nunc cum eadem excitatione, cum eadem fide venit Iesum celebrare, quin aliquid aliud videat quam symbolum aeternum solare quod sub nomine novo resuscitet (1).

Tria ergo asseruntur: 1) Adonis non est nisi deus solaris et cultus Adonis characterem religionis solaris christianismo impressit. 2) Cultus christianus in caverna Bethlehem cultui Adonis successit. 3) Populus a cultu Adonis ad cultum Christi transivit quin in hac divinarum formarum successione distinxerit elementa novae religionis quae nascitur. — Quid de his sit cogitandum?

AD PRIMUM: Tammuz, qui etiam nomine communi Adon (dominus) designatur, graece Adonis dicitur, non est deus solaris, nam solummodo saeculo IV p. Chr. a paucis auctoribus occidentalibus cum deo solis identificatus fuit, quae identificatio tamen e cultu authentico Adonis plane excluditur. Hoc constat iam ex facto quod tempus anni huic divinitati consecratum, mense Tammuz (Iunio-Iulio), cum festivitibus solaribus nullatenus concurrit (2). Tammuz-Adonis absque ullo dubio est deus naturae vegetalis; at cuiusnam vegetalis? Adonis est praecipue deus-granum, symbolum grani frumenti. Granum seminatur, crescit, et quando ad maturitatem pervenit falce succiditur. Actio illa, ab operariis adimpleta, est quasi occisio ipsius divinitatis, quasi sacrilegium, quapropter dum operarii illud opus perficiunt, mulieres mortem dei plorant; luctus ille qui est species quaedam expiationis valde diffusus erat in Oriente. Nonnisi tempore sat tardo successit huic luctui festum resurrectionis dei et hoc quidem sub influxu mysteriorum Osiris Aegyptiorum. Ex his constat legendam Adonis nullum contactum cum cultu solis habuisse et consequenter nullum characterem religionis solaris Christianismo imprimere potuisse (3).

AD SECUNDUM: Certum est quod in caverna Bethlehem ritus fu-

(1) CH. VELLAY, *Le culte et les fêtes d'Adonis-Thammouz dans l'Orient antique (Annales du musée Guimet. Bibl. d'études XVI)* 1904, p. 179.

(2) W. VON BAUDISSIN, *Adonis und Esmun. Die Deutung des Adonis als die Sonne*, 1911, p. 169 seq.

(3) M. J. LAGRANGE, *Etudes sur les Religions Sémitiques*, 1905, p. 306. — H. VINCENT - F. M. ABEL, *Belthém, Le sanctuaire de la Nativité*, 1914, p. 13.

nerarii mortis Tammuz-Adonis celebrabantur. S. HIERONYMUS hoc disertis verbis asserit, immo tempus huius assignat: « Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis simulacrum Iovis; in Crucis rupe, statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis auctoribus quod tollerent nobis fidem resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethlehem nunc nostram, et augustissimum orbis locum de quo Psalmista canit: «Veritas de terra orta est, locus inumbrabat Thamuz, id est, Adonidis: et in specu, ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur » (1). Secundum S. HIERONYMI testimonium ergo cultus Adonis in caverna Bethlehem ab Hadriani temporibus (117-138) incepisset, et adversarii nostri nullum documentum historicum afferunt neque afferre possunt e quo constaret cultum Adonis in caverna Bethlehem ante regnum Hadriani exstitisse. W. VON BAUDISSLIN, accurata inquisitione facta, ad eandem conclusionem pervenit: regnante Hadriano, cultus Adonis prima vice Bethlehem apparuit et nullum argumentum probat influxum quemdam cultus Adonis in cultum Christianismi in caverna Bethlehem (2). Silentium S. IUSTINI et ORIGENIS valorem assertionis S. HIERONYMI infirmare nequit, eo quod uterque scopum apologeticum persecutus est.

Quod Hadrianus cultum paganum Bethlehem introduxerit, optime fieri potuit, nam post insurrectionem Bar-Kokelas (132-135), Hadrianus punire voluit Iudaeos et Christianos quos ad eandem categoriam pertinentes consideravit, unde religionem eorum, quam uti fermentum ac causam omnium insurrectionum iudicavit, extirpare statuit. Super ruinas Templi imagines Iudaeis odiosas posuit, sub terebintho Abrahae in Mambre festivitates solemnes paganas creavit; in loco Resurrectionis simulacrum Iovis, in Crucis rupe statuam Veneris collocavit. Quod vero ad cavernam Bethlehem attinet, scimus ex testimonio explicito S. IUSTINI, circa 155, quod nativitatis Christi memoria cavernae Bethlehem coniuncta erat, illaque traditio non est tantum ex anno 155, sed traditio quae diu antea iam exstitit; erat ergo factum publicum quod Christiani qui Bethlehem, Ierusalem ac in regionibus adiacentibus manserunt, cavernam Bethlehem venerabantur; et tunc mirum non est quod auctoritas imperialis pagana circa 136-137 ad christianismum impugnandum et destruendum instituerit etiam in caverna Bethlehem cultum alicuius divinitatis paganae.

Nova tamen ista destinatio cavernae Bethlehem cultum christianum

(1) S. HIERONYMUS, *Epist.* 52 ad Paulinum, P. L. t. 22, c. 581.

(2) W. VON BAUDISSLIN, *Adonis und Esmun*, 1911, p. 110.

exstinguere non potuit, nam, tacito consensu, elementum paganum Iudaeae et communitas christiana cultum suum in eodem loco, tempore vero diverso, celebrabant; pagani Adoni, et christiani Christo cultum reddiderunt. Haec situatio aliquo tempore christiani tolerare potuerunt ac debuerunt, usque in diem quo crux Christi definitive paganismum vicit, i. e. usque ad regnum Constantini (306).

Ex una parte ergo documenta historica in favorem prioritatis cultus christiani in caverna Bethlehem militare videntur, et ex alia parte nullum argumentum vere convincens contra assertionem S. HIERONYMI affertur.

AD TERTIUM: Prioritate cultus christiani in caverna Bethlehem stabilita, ipso facto cadit tertium argumentum. Notanda quaedam tamen sunt: 1) Inter mysteria Adonis et Christianismum revera abyssus adest, ita ut nullatenus admitti possit quod eadem turba a mysteriis Adonis ad religionem Christianam transierit quin in hac formarum divinarum successione distinguere potuerit elementa illius novae religionis quae nascitur. 2) Historia constat Christianos Palaestinae ante conversionem suam ad Christianismum non fuisse adoratores Adonis, sed fideles cultores Jahweh, saltem fere exclusive, unde de transitu a cultu Adonis, quem maxima pars ignoravit, ad cultum Christi, non est cogitandum. 3) Inter cultum Adonis et cultum Christi in caverna Bethlehem vera oppositio habetur, nempe fideles Adonis mortem divinitatis plorabant, dum cultores Christi gaudium supremum ratione nativitatis Salvatoris manifestabant; quomodo transitum ab uno ad alium cultum explicare quin populus distinctionem utriusque cultus animadverterit? (1).

Concludimus ergo quod diversa argumenta et in specie argumenta auctorum scholae historiae Religionum, quae contra characterem historicum narrationis *S. Lucae* 2, 1-7 afferuntur, cum veritate historica non consonant; unde characterem legendarium vel mythicum narrationis evangelicae prorsus reiicimus et characterem eius historicum firmiter propugnamus.

(1) H. VINCENT, F. M. ABEL, *Bethléem, Le Sanctuaire de la Nativité*, 1914, p. 13.

V. DE MATERNITATE BEATAE MARIAE VIRGINIS

Maria ergo concepit et peperit filium suum unigenitum Iesum, *Mt.* 1, 18. 25. Iesus vero simul est homo et Deus; unde duplex quaestio ponitur:

A. Utrum Maria sit Mater Iesu-hominis?

B. Utrum Maria sit vera Mater Dei-hominis?

A. *Utrum Maria sit Mater Iesu-hominis?*

Quod Beata Maria Virgo Iesum concepit illumque vera ac propria generatione humana parturiit, doctrina *de fide tenenda est* (1). Doctrina ista dupliciter e S. Scriptura elucet: a. Indirecte. b. Directe.

a. INDIRECTE, EX A. ET N. T.

1. *Ex Antiquo Testamento.*

In prima prophetia messianica, *Gen.* 3, 15, dicitur quod « *semen mulieris conteret vel insidiabitur caput serpentis* ». Contextus insinuare videtur « *semen mulieris* » esse totam posteritatem Evae. Si vero textus Geneseos sub lumine posteriorum prophetiarum consideretur, constat semen mulieris esse personam individuum et quidem Messiam. Messias semen mulieris dicitur quia ad posteritatem Evae, ad genus humanum pertinebit; Messias futurus erit verus homo.

Natura humana futuri Messiae maiori cum vi in prophetiis subsequentibus exhibetur. Messias egredietur *de semine Abrahae*, *Gen.* c. 22, 18; 26, 4; 28, 14; *de tribu Iudae*, *Gen.* 49, 10; *e stirpe David*, *II Sam.* c. 7, 12; *Is.* 11, 1. 10; *Ier.* 23, 5; *e familia David*, *Mich.* 5, 1. Locus eius originis erit Bethlehem, locus originis familiae David, *Mich.* 5, 1. Demum signum characteristicum eius matris accurate adnotatur: in conceptione et partu, mater futuri Messiae suam virginitatem illibatam conservabit, *Is.* 7, 14.

Messias futurus igitur ut ad genus humanum pertinens in A. T. praedicatur; naturam humanam generatione acceptam habebit; verus homo erit matrem humanam habens. Messias ille est Iesus et mater

(1) *Symbolum Apostolicum*, cfr. H. DENZINGER-BANNWART, *Enchir.* n. 2 et 6. — *Symbolum Nicaeno-Constantinopolit.*, *Enchir.* n. 86. — *Concilium Chalcedonense*, *Enchir.* n. 148. — *Symbolum Athanasianum*, *Concilium Ephesinum*, *Enchir.* n. 113, 114. — *Concilium Constantinopolitanum II*, can. 2. *Enchir.* n. 204. — *Concilium Lateranense* (649), can. 2 et 3. *Enchir.* n. 255, 256. — Doctrina ista dirigitur contra *Doketas*, *Valentinianos*, *Marcionitas*, cfr. B. H. MERKELBACH, *Mariologia*, 1939, p. 19, 20. — F. CEUPPENS, *Theologia Biblica, De Incarnatione*, 3, 1, 1939, 53 seq.

e qua nascetur est B. Maria Virgo. Maria ergo ut vera mater Iesu-hominis praedicatur.

2. *Ex Novo Testamento.*

Novum Testamentum eadem terminologia utitur: Christus *secundum carnem*, secundum naturam suam humanam, originem e Patriarchis ducit, ad populum iudaicum pertinet, *Rom.* 9, 5. Continuo Iesus *filius David, filius Abrahae* nuncupatur, et suam genealogiam habet, *Mt.* 1, 1; 9, 27; 21, 9; *Lc.* 1, 32; 3, 23-38. Abrahae dictae sunt promissiones *et semini* eius, illud vero semen, inquit S. Paulus *ad Gal.* 3, 16, est Christus. De Iesu dicitur in *Apoc.* 5, 5: « ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David » et Iesus de seipso asserit: « ego sum radix et genus David », *Apoc.* 22, 16. Iesus factus est *ex semine David* secundum carnem, i. e. secundum suam naturam humanam, *Rom.* 1, 3; *II Tim.* 2, 8; *fructus lumbi David*, *Act.* 2, 30 dicitur; *factus ex muliere*, factus sub lege, *Gal.* 4, 4, expressio adhibita γενόμενον ἐκ γυναικός; generationem carnalem denotat. Novum Testamentum confirmat ergo ea quae in A. T. praedicta iam fuerunt, nempe a) quod Iesus generatione veram naturam humanam assumpsit, et b) quod ex muliere factus est homo, quod ut homo veram habuit matrem et illa mater est B. Maria Virgo e qua natus est Iesus.

b. DIRECTE, EX HISTORIA INFANTIAE.

1. *Nuntium conceptionis et partus.* Occasione Annuntiationis, angelus Gabriel ad Mariam missus, dixit ei: « Ecce concipies in utero et paries filium et vocabis nomen eius Iesum » *Lc.* 1, 31. « Quomodo fiet istud, petit Maria, quoniam virum non cognosco? » *Lc.* 1, 34. Angelus respondit: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur (τὸ γεννώμενον) ex te sanctum vocabitur Filius Dei », *Lc.* 1, 35. Maria conceptioni et partui consensum suum dedit dicens: « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, *Lc.* 1, 38.

2. *Maria de facto concepit.* Etenim a) post Annuntiationem, Maria visitavit Elisabeth, cognatam suam. Elisabeth Spiritu Sancto impleta salutavit Mariam dicens: « Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui », *Lc.* 1, 42. b) Reversa a sua visitatione ad Elisabeth, Maria inventa est *in utero habens* de Spiritu Sancto, *Mt.* 1, 18. Ioseph praegnationem Mariae animadvertens et mysterium ignorans, voluit occulte dimittere illam, *Mt.* 1, 19; tunc angelus Domini ei apparuit dicens: « Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est, pariet autem filium, et vocabis nomen eius Iesum », *Mt.* 1, 20-21.

3. *Maria peperit filium suum.* Ratione edicti Augusti, Ioseph Bethlehem ascendere debuit ut profiteretur *cum Maria uxore sua prae-*

quante, *Lc.* 2, 5, et cum essent Bethlehem «*impleti sunt dies Mariae ut pareret, et peperit filium suum primogenitum*», *Lc.* 2, 6-7.

Ex his constat quod stadia diversa, nempe conceptionis, praegnationis et generationis accurate ab Evangelistis adnotantur: a) Maria virginaliter, supernaturaliter in utero suo concepit, *Lc.* 1, 38. 42. b) Fructum huius conceptionis Maria tempore normali in utero suo gessit, *Lc.* 1, 42; 2, 6. *Mt.* 1, 19. c) Tempore praegnationis adimpleto, filium suum peperit, *Lc.* 2, 6. 7. Quapropter *Maria* in sensu stricto *vera Mater Iesu secundum carnem* dici debet, *Mt.* 1, 18; 2, 11. 13. 20; 12, 46 seq. *Mc.* 3, 31 seq.; *Lc.* 1, 43; 2, 33. 51; *Ioan.* 2, 1. 3. 12; 19, 25-27; et *Iesus secundum nativitatem suam temporalem est verus filius Mariae*, *Mt.* 1, vv. 21. 23. 25; *Lc.* 1, 31, vel uti Marcus emphatice dicit: ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας, *Mc.* 6, 3. *Iesus est fructus ventris Mariae*, ex ea natus est, *Mt.* c. 1, 16; *Lc.* 1, 35. 42 (1).

Adversarii nostri textum S. Pauli «*primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis*», *I Cor.* 15, 47, invocant ad probandum: a) Christum hominem ante suam in terra apparitionem iam exstitisse et corpus humanum iam habuisse, et b) consequenter ex Maria natum non esse et Mariam veram matrem Iesu-hominis non esse. Antithesis enim a S. Paulo stabilita manifesta est: Primus homo est Adam cuius corpus e limo terrae formatum fuit, unde terrenus dicitur, *Gen.* 2, 7. Novissimus homo est Christus qui caelestis dicitur quia corpus eius in caelo formatum fuit et sic formatum super terram nostram descendit et apparuit.

Quoad textum, notandum est quod graece «ὁ οὐράνιος = caelestis» deest. Primo aspectu et considerato v. 47 separatim, cogitaretur revera corpus Christi de caelo venisse. At iam in v. 46 clare docet Apostolus hominem de caelo prius quam hominem terrenum non exstitisse: «*non prius quod spiritale est, sed quod animale: deinde quod spiritale*». Ad sensum v. 47 bene capiendum, in contextu suo est considerandus, et secundum contextum est explicandus. Porro in contextu de qualitatibus corporum resuscitatorum quaestio habetur, ibique dicitur quod si corpus psychicum, animale, habeatur, etiam corpus pneumaticum, spiritale, datur. Si primus Adam factus est in animam viventem, secundus Adam factus est in spiritum vivificantem; et sicut nunc in vita terrestri portavimus imaginem primi hominis, terreni, portabimus etiam post resurrectionem imaginem secundi hominis, caelestis. Sicut corpore

(1) Convenientia nativitatis temporalis Christi in epistula ad *Hebraeos* 2, 12-13 exponitur: Decebat ut qui sanctificent et qui sanctificantur sint ex uno, ἑξ ἑνός, omnes, i. e. conveniens erat (ἐγενετο αὐτῶν) ut sanctificator seu redemptor et sanctificati seu redempti sint ex uno eodemque patre Adam, ex eodem genere humano. Cfr. F. AMIOT, *L'Enseignement de S. Paul*, 1, 1938, 168. — A. MÄDERHILLE, *Épître aux Hébreux* (éd. L. Pirot), 12, 1938, 300. — F. CERPENS, *Theologia Biblica, De incarnatione*, 3, 1, 1939, 60.

nostro psychico, mortali, homini terreno configurati sumus, ita corpore nostro spirituali seu resuscitato, homini caelestis configurabimus. Ex his sequitur quod Christus « *homo de caelo* » seu caelestis vocatur, non quia corpus eius e caelo descendit, sed quia vi resurrectionis suae, corpus spirituale, gloriosum, caeleste, assumpsit; et dicitur « *Spiritus vivificans* », Spiritus qui vitam confert, quia vi suae resurrectionis, principium futurae nostrae resurrectionis constituitur. Homo caelestis est Christus resuscitatus, principium vitae supernaturalis, vitae gloriosae. Quod corpus Christi pneumaticum seu resuscitatum consideratur uti de caelo veniens, mirum non est, quia a Spiritu Dei, principio operationis ordinis superioris, caelestis, constitutum fuit (1).

Non agitur ergo in hoc textu de formatione corporis Christi in caelo, neque de eius descensu super terram; quapropter constat hunc textum infirmare non posse doctrinam catholicam quae tenet Mariam esse veram matrem Iesu hominis (2).

B. *Utrum Maria sit vera Mater Dei-hominis?*

Doctrina de maternitate divina Mariae impugnatur 1) ab his qui negant Iesum verum corpus humanum assumpsisse, ita Doketae, Marcionitae, etc.; 2) ab his qui negant Iesum esse verum Deum, uti Ebionitae, Ariani, Eutychiani et recentiores Radicales; 3) directe impugnatur haec doctrina a Nestorianis qui duplicem personam, humanam ac divinam, in Iesu-Christo fuisse admiserunt, unione morali dumtaxat coniunctam; Maria personae humanae revera esset mater, non vero personae divinae, ita ut vocari posset hominis genitrix (ἄνθρωποτόκος), vel Christi genitrix (χριστοτόκος), non vero Dei genitrix (θεοτόκος) (3).

Maternitas divina Mariae *de fide* tenenda est, nam pluribus in Conciliis determinata fuit: 1) *Concilium Ephesinum* 431 contra Nestorium definivit: « Si quis non confitetur Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem (θεοτόκον) Sanctam Virginem: (peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum,) A. S. ». 2) *Concilium Chalcedonense* 451 contra Monophysitas statuit Christum « ex Maria Virgine Dei genitrice (τῆς θεοτόκου) secundum humanitatem » esse genitum. 3) *Concilium Constantinopolitanum II*, 553 definivit: « Si quis

(1) E. TOBAC, *Le Christ nouvel Adam dans la théologie de S. Paul*, RHE. 21, 1925, 254-255. — J. HUBY, *Première épître aux Corinthiens*, 1946, p. 392.

(2) F. PRAT, *Théologie de S. Paul*, 1, 1920, 165; 2, 1923, 204-207. — P. GALTIER, *De Incarnatione ac Redemptione*, 1926, p. 9. — E. B. ALLO, *La 1^{re} épître aux Corinthiens*, 1935, p. 426-429. — M. J. LAGRANGE, *Les Origines du dogme paulinien de la Divinité du Christ*, RB. 45, 1936, 28. — F. CEUPPENS, *Theol. Bibl. De Incarnatione*, 3, 1939, 61-63.

(3) M. JUGIE, *Nestorius et la Controverse nestorienne*, 1912. — E. AMANN, *Nestorius*, DTC. 11, 1931, 76.

abusive et non vere Dei genitricem (θεοτόκον) dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam... A. S. ». 4) *Concilium Constantinopolitanum III*, 680-681 eandem doctrinam proposuit: « Mariam Virginem proprie et veraciter (esse) Dei genitricem (θεοτόκον) secundum humanitatem » (1).

Maternitas divina B. Mariae Virginis diversis modis in S. Scriptura asseritur:

1. Ex una parte Maria est revera mater Iesu-hominis; ex alia parte Iesus non solum est homo, sed etiam Deus; ex quo sequitur Mariam esse veram matrem Dei.

a) Maria est vera mater Iesu-hominis, ut ex praecedentibus constat.

b) Iesus est verus Deus, ut abunde in tractatu « *De Incarnatione* » ostendimus: 1) *In A. T.* si futuri Messiae divinitas non semper explicite praenuntiatur, saltem insinuat in *Ps.* 2, 7; 110, 1. 3; *Is.* 9, 5. — 2) *In N. T.* Christi divinitas elucet e proclamationibus Patris caelestis, e declarationibus ipsius Christi, e modo agendi Christi, ex Apostolorum assertionibus (2). — Ex variis his textibus constat Iesum-hominem esse etiam verum Deum, et consequenter Mariam veram matrem Iesu-hominis esse veram matrem Dei.

2. Maternitas divina Mariae similiter ex epistula AD ROMANOS 9, 5 deducitur: S. Paulus inter benedictiones divinas quas populus iudaicus a Deo accepit, enumerat originem Messiae e populo iudaico: « *ex quibus est Christus secundum carnem (τὸ κατὰ σάρκα) qui est super omnia Deus benedictus in saecula* », i. e. Christus secundum naturam suam humanam e Patribus, e Patriarchis populi iudaici originem ducit, ad semen Abrahae pertinet. Articulus vero τὸ simul cum κατὰ σάρκα demonstrat quod praeter carnem, praeter naturam humanam, quid aliud in Christo habetur, et illud aliud est natura divina prout ex sequentibus: « *qui est super omnia Deus (θεός) benedictus in saecula* » constat. Substantivum θεός enim absque articulo non personam sed naturam divinam in N. T. communiter designat. Christus ergo simul est homo et Deus, et ille Deus-homo secundum carnem, secundum naturam humanam e Patribus esse dicitur, ad populum iudaicum pertinet; porro, non est e Patribus nisi mediante Maria, quae illum concepit, illum gestavit, illum peperit, *Lc.* 1, 35; 2, 7. Maria ergo est mater illius qui simul est Deus et homo, mater Dei-hominis, mater Iesu-Christi (3).

(1) H. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 113, 148, 218, 290.

(2) F. CRUPPEN, *Theologia Biblica, De Incarnatione*, 3, 1, 1939, 30-51.

(3) A. DURAND, *La divinité de Jésus Christ dans S. Paul*, *Rom.* 9, 5. *RB.* 12, 1903, 550. — F. PRAT, *Théologie de S. Paul*, 2, 1923, 151, n. 1. — P. GALTIER, *De Incarnatione ac Redemptione*, 1926, p. 10. — J. BRUCKENBERGER, *Die Briefe an die Korinther und Römer*, 1932, p. 249.

3. S. IOANNES 1, 14 docet quod « *Verbum caro factum est* ». Verbum illud est persona divina a Patre distincta et Patri consubstantialis, *Ioan.* 1, 1. Persona illa divina carnem seu naturam humanam assumpsit, inter homines vixit, « *habitavit in nobis* », et gloriam suam divinam hominibus manifestavit: « *vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis* », *Ioan.* 1, 14. 15. — Similiter S. Paulus scribit AD PHILIPP. 2, 6, 7, quod Iesus-Christus « *cum esset, sit ac permaneat (ὑπάρχων) in forma Dei* », i. e. cum esset, sit ac permaneat semper verus Deus, « *semetipsum exinanivit* », sese expoliavit, non divina natura, nam illam retinuit, sed divinis privilegiis se expoliavit, assumendo nempe naturam humanam: « *formam servi accipiens* ». Persona divina, Verbum divinum, Filius Dei naturalis naturam humanam ex muliere accepit: « *Misit Deus filium suum, factum ex muliere* », *Gal.* 4, 4. Quenam sit illa mulier? Beata Maria Virgo, uti ex *Lc.* 1, 35; 2, 7 constat. Verbum Dei, persona divina naturam humanam ex Maria assumpsit; unde ex horum textuum collatione probatur Mariam esse veram matrem Dei secundum carnem.

4. Ad probandum, et quidem directe, Mariam esse veram matrem Dei, plerique auctores argumentum proponunt quod e textu S. LUCAE 1, 31-35 hauriunt et quod « *formale et explicitum* » reputant: v. 31. « *Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum.* » v. 32. *Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David, patris eius; et regnabit in domo Iacob in aeternum,* v. 33. *et regni eius non erit finis.* v. 34. *Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* v. 35. *Et respondens angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* ». Quattuor hoc in textu distinguunt isti auctores: 1) Maria concipiet et pariet filium cuius nomen erit Iesus; Maria ergo vera mater Iesu fiet, v. 31. — 2) Diversae dignitates huius pueri munus eius messianicum respicientes enumerantur, vv. 32, 33. — 3) Maria, ratione voti sui virginitatis, explicationem circa modum huius conceptionis ac partus desiderat, v. 34. — 4) Angelus respondit quod conceptio erit virginalis, supernaturalis et quod filius nasciturus *Filius Dei* υἱὸς θεοῦ vocabitur, v. 35. Unde ratione huius tituli ad divinitatem Filii Mariae et consequenter ad divinam maternitatem Mariae concludunt (1).

Quaedam accurate sunt notanda: 1. Supra iam ostendimus (cap. 1)

— V. MAC NABB, *Essais sur la Christologie de S. Paul*, RB. 42, 1933, 321-327. — F. CEUPPENS, *Theol. Biblica, De SS. Trinitate*, 2, 1938, 130-132. — J. HUBY, *Épître aux Romains*, 1940.

(1) B. H. MERKELBACH, *Mariologia*, 1939, p. 42.

quod expressio υἱὸς Θεοῦ absque articulo non necessario pueri nascituri divinitatem denotat. 2) Contextus huius narrationis divinitatem pueri non postulat, etenim a) ex facto quod puer supernaturaliter concipietur, non sequitur quod naturam divinam habebit; b) expressio « *et regni eius non erit finis* », nos ad ordinem supra humanum conduit, non vero necessario ad ordinem divinum. 3) Quando aliunde scimus Iesum, filium Mariae esse verum Filium Dei, tunc statuere possumus quod regnum filii Mariae erit aeternum ratione huius filii divinitatis et quod consequenter υἱὸς Θεοῦ de vera Iesu divinitate asseritur; et quia Maria est vera huius pueri divini mater, maternitas divina Mariae ex hoc loco deduci potest, explicite tamen apud *Lucam* 1, 31-35 doceri non credimus.

5. Aliud demum argumentum adhuc proponitur ex narratione de visitatione B. Mariae ad Elisabeth, *Lc.* 1, 40-42. Maria cognita praegnatione Elisabeth, v. 36, abiit in Ain-Karim, cum desiderio cognatae suae servitium reddendi; quando Elisabeth vidit Mariam, repleta Spiritu Sancto exclamavit: v. 42 *Benedicta* (εὐλογημένη) *tu inter mulieres, et benedictus* (εὐλογημένος) *fructus ventris tui.* v. 43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me (ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρὸς ἐμέ)? D. BUZY opinatur, uti supra diximus, Elisabeth veram revelationem divinitatis Christi accepisse (1); similiter plerique theologi ex hac salutatione Elisabeth maternitatem divinam Mariae probare conantur, dicentes quod ὁ Κύριος in N. T. divinitatem designat et quod sensus ille tota contexta oratione confirmatur (2).

Revera pluries in contexta oratione ὁ Κύριος occurrit, at semper et absque ulla tergiversatione de Deo praedicatur; in v. 43 vero ὁ Κύριος de Christo, de puero e Maria nascituro asseritur, unde inquirendus est sensus expressionis ὁ Κύριος apud *Lucam* quando de Christo praedicatur. Expressio ὁ Κύριος apud *Lucam* occurrit: a) in narrationibus ipsius Evangelistae; b) in testimoniis aliarum personarum ante resurrectionem; c) in testimoniis aliarum personarum post resurrectionem. In nostro textu expressio ab Elisabeth ante resurrectionem prolata est. Porro ante resurrectionem prolata expressio ὁ Κύριος triphcem sensum apud *Lucam* admittit: a) potest esse formula urbanitatis vel salutationis, *Lc.* 7, 6; b) potest etiam dignitatem Messiae regalem denotare, *Lc.* 11, 1; c) potest demum dignitatem Messiae regalem designare, in quantum divinitatem connotat, *Lc.* 20, 41-44.

Quisnam sit sensus in nostro loco? Urbanitatis vel salutationis formula est excludenda, quia ad hoc Spiritus Sancti illuminatio non

(1) D. BUZY, *S. Jean Baptiste*, 1922, p. 39.

(2) B. H. MEIKKEIL-BACH, *Mariologia*, 1939, p. 42.

requiritur; unde manent messianitas et messianitas divinitatem connotans. Quaestio igitur est utrum in textu *S. Lucae* 1, 43, agatur de messianitate tantum an de messianitate quae divinitatem connotat. Praenotandum est Elisabeth fructum ventris Mariae salutasse verbo εὐλογημένος quod de hominibus dicitur, non verbo εὐλογητός quod de solo Deo praedicatur. Deinde, vi contextus, expressio ὁ Κύριος explicetur oportet in relatione ad *Lc.* 1, 31-35, nempe ad contextum. In contextu autem de conceptione supernaturali et de caractere regali Messiae agitur, non vero de divinitate. Elisabeth, occasione visitationis Mariae, divinam illuminationem accepit: «*repleta Spiritu Sancto*», at nihil in contextu indicare videtur revelationem Elisabeth superasse revelationem Mariae; quapropter credimus Elisabeth Mariam salutasse ut matrem domini sui, ut matrem scilicet futuri regis Messiae, non autem ut veram matrem Dei; conceptio enim supernaturalis ac character regalis futuri Messiae, ex eorum natura divinam Iesu naturam non important. Unde ad divinam Mariae maternitatem monstrandam, salutatio Elisabeth non est invocanda.

Quamvis ergo nullibi in S. Scriptura Maria disertis verbis «*Mater Dei*» nuncupetur, maternitas tamen divina Mariae collatione diversorum S. Scripturae textuum certo probatur, e quibusdam aliis haec doctrina deducitur, et in aliis demum insinatur.

VI. PURIFICATIO MARIAE AC PRAESENTATIO IESU IN TEMPO (*Lc. 2, 22-38*).

Iesus ergo natus est Bethlehem e Maria Virgine. «Die octavo circumcidetur infantulus», inquit lex Moysis, *Lev. 12, 3*. De circumcissione Iesu, factum tantum apud solum *Lucam 2, 21* refertur. Post circumcissionem infantuli mater «triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suae. Omne sanctum non tanget, nec ingreditur in sanctuarium, donec impleantur dies purgationis suae» *Lev. 12, 4*. De hac purgatione nunc loquitur *S. Lucas 2, 22-38*, de purgatione B. Mariae Virginis post Iesu nativitatem. Narratio secundum tres partes dividitur: 1. Praesentatio ipsa in Templo, vv. 22-24. 2. Manifestatio Iesu Simeoni, vv. 25-35. 3. Manifestatio Iesu Annae, vv. 36-38.

1. *Praesentatio Mariae in templo, vv. 22-24.*

v. 22. *Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, v. 23 sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; v. 24 et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Quattuor propositiones distinctae momentum speciale habentes heic occurrunt: Propositio principalis: «*et tulerunt illum in Ierusalem*»; quae propositio amplius determinatur duabus propositionibus subordinatis quae finem a parentibus pueri intentum exprimunt: a) «*ut sisterent eum Domino*», et b) «*ut darent hostiam, par turturum, aut duos pullos columbarum*»; demum c) tertia propositione subordinata introducit propositio principalis: «*postquam impleti sunt dies purgationis eius*». Ultima ista propositio ad temporis circumstantiam indicandam a Luca addita videtur; Lucas enim, uti ex versiculis sequentibus et ex toto contextu constat, in purificatione Mariae immorari non intendit, sed primam manifestationem Iesu in templo monstrare desiderat ubi iam ab initio vitae suae terrestri Iesus ut Messias agnoscitur.

Tres propositiones subordinatae formulam «*secundum legem Moysi*» vel «*in lege Domini*» habent; propositio vero principalis hac formula caret, et ratio est quia lex Moysi insinuare tantum videbatur quod puer Domino etiam praesentandus erat, nullibi enim praescribitur quod puer ad templum erat conducendus. Consuetudo puerum in templo prae-

sentandi forsitan introducta fuit tempore quo Iudaei e captivitate reversi sunt, *Neh.* 10, 36. 37. Purgatio matris autem Lege Mosaica praescripta erat: quando neonatus erat masculus, purgatio matris die quadragesimo post nativitatem fieri debebat, *Lev.* 12, 3. 4; similiter primogenitus masculus secundum Legem quinque siclis redimendus erat, *Num.* 18, 15, 16, illudque pretium adamussim solvendum erat quando puer unum mensem habebat.

De matris purgatione agens, dicit S. Lucas, v. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis eius*, hac prima propositione subordinata S. Lucas, uti iam diximus, tempus praesentationis Iesu in templo determinare voluit. Secundum textum a criticis admissum legitur « αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν = *dies purgationis eorum* »; TEXTUS RECEPTUS cum quibusdam aliis editionibus habet lectionem « αὐτῆς = *eius* », i. e. Mariae; haec lectio vero in nullo unciali occurrit et ut correctio consideratur; lectio « αὐτοῦ = *eius* », i. e. Iesu quam sequitur codex D potius mendum quam correctio est dicenda.

Secundum constructionem grammaticalem « αὐτῶν = *eorum* » respicit Ioseph et Mariam, ad subiectum enim verbi « ἀνήγαγον = *tulerunt* » refertur, unde etiam patris purgationem importaret; in A. T. vero nihil patris impuritatem supponit, nihil patris purgationem caeremonialem praescribit; similiter « αὐτῶν » de Iudaeorum purificatione, de purificatione apud Iudaeos in usu dici nequit, uti quidam cogitaverunt, quia tunc Lucas τῶν Ἰουδαίων dixisset, sicut *Ioannes* 2, 6. Quid ergo dicendum? Plerique opinantur Lucam considerasse Ioseph et Mariam collective, uti personam moralem, ideoque id quod Mariae tantum adscribendum erat, id personae morali, Ioseph et Mariae a Luca adscribitur (1). F. ZORELL aliam interpretationem uti possibilem proponit: « αὐτῶν » non a « καθαρισμοῦ » pendet, sed a dictione composita: « ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ », i. e. tempus quod parentibus exspectandum erat in loco nativitatis usque ad matris purificationem (2). M. J. LAGRANGE et post ipsum L. MARCHAL animadvertunt a) quod in v. 22 duo facta occurrunt: purgatio Mariae et praesentatio Iesu; b) quod evangelista utitur non verbo tecnico καθαρισμός a Septuaginta adhibito ad purgationem proprie dictam designandam, sed verbo καθαρισμός quod potest etiam expiationem vel redemptionem (*Exod.* 30, 10) significare. Unde M. J. LAGRANGE opinatur quod constructio est vitiosa et quod « purgatio eorum » non de Ioseph et Maria collective, sed de Maria et Iesu asseritur; ratione Mariae Lucas καθαρισμός elegit quia purgationem designare potest; Lucas καθαρισμός et non καθαρισμός adhi-

(1) L. CL. FILLION, *Ev. selon S. Luc*, 1899, p. 74.

(2) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 632. — F. X. PORPORATO, *obtulerunt pro eo pur turturum aut duos pullos columbarum*, *VD.* 15, 1935, 38.

buit quia de redemptione Iesu-neonati praedicari potest; uno verbo, Lucas caeremoniam narrare intendit cui Iesus et Maria, titulo tamen diverso, adfuerunt, Maria ad Legis praescriptionem de purgatione adimplendam, Iesus ut Domino redemptione consecratur (1). Maria ratione conceptionis et partus virginalis purificatione non indiguit, at quia *tamquam* uxor Ioseph considerabatur et Iesus uti filius ex illis legitime natus, libenter Legis praescriptionem adimplere voluit; eadem in occasione, matres pia ac Deo devotae puerum suum communiter adduxerunt ut benedictionem divinam acciperet.

v. 23. *Sicut scriptum est in lege Domini, quia « omne masculinum adaperiens vulvam sanctum Domino vocabitur »*. Secunda propositio subordinata. S. Lucas textum Legis, *Ex. 13, 2. 12; Num. 18, 15*, non ad litteram sed ad sensum affert. Evangelista de modo supernaturali quo Iesus natus est heic non loquitur; nativitatis factum tantum adnotat: Iesus est primogenitus Mariae, et occasione huius nativitatis praescriptionem Legis commemorat; unde ex textu « *omne masculinum adaperiens vulvam* » nihil contra Mariae virginitatem perpetuam adduci potest. Iesus ergo ut primogenitus Domino consecrandus erat; eo in sensu expressio ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται est intellegenda; de sanetitate interna de qua plerique SS. Patres agunt, quaestio non habetur, sed de separatione a mundo profano, de consecratione Domino; ἅγιον enim ab ἅ et γή idem sonat ac « separatum a terra, a rebus mundanis seu profanis », unde « Deo consecratum », et κληθήσεται « vocabitur » seu « considerabitur » significat. Iesus ergo ut a rebus profanis separatus et Domino consecratus considerabitur.

v. 24. *et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, « par turturum, aut duos pullos columbarum »*. Tertia propositio subordinata. Haec oblatio non pro pueri redemptione sed pro matris purgatione facienda erat; Lucas ergo iterum de matris purgatione agit: secundum Legem, *Lev. 12, 8*, mater sacrificium offerre debuit, in casu nostro « *par turturum, aut duos pullos columbarum* ». Lex praescribebat quod mater in holocaustum offerre deberet agnum anniculum et pullum columbae sive turturem; quod si non potuisset offerre agnum, sumeret duos turtures vel duos pullos columbarum, *Lev. 12, 6-8*. Maria hostiam pauperum dedit, « *par turturum, vel duos pullos columbarum* ». Ratione nativitatis supernaturalis Iesu, neque matris purgatio neque pueri redemptio necessariae erant; at, sicut occasione circumcisionis, Maria humilitate ac oboedientia plene Legi se subiecit, ne revelare cogretur id quod diu adhuc absconditum manere debebat.

(1) M. J. LAURANDE, *Ev. de S. Luc.* 1921, p. 82. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc.* (éd. L. Pirot), 10, 1935, 47.

2. *Manifestatio Iesu Simeoni*, vv. 25-35.

S. Lucas, secundum suam consuetudinem, narrationem suam solenter ordinat, explicando nempe quomodo diversae personae narrationis eo in momento in templo adfuerunt: Familia sancta Ierusalem petit ad Legis praescriptionem adimplendam, v. 22; Simeon Ierusalem iam erat, v. 25; Familia sancta ad templum venit propter matris purificationem ac pueri redemptionem; Simeon vero venit in spiritu in Templum, v. 27, eaque in occasione occursus locum habuit; demum Anna de Templo non discedebat, unde iam praesens erat ad munus a divina Providentia ei commissum adimplendum. Evangelista nihil refert neque de ipsa purificationis matris caeremonia, neque de pueri redemptionis caeremonia, duo facta tantum adnotat, sed statim ad manifestationem Christi Simeoni transit, illud factum maioris momenti ei apparet.

v. 25. *Et ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste iustus et timoratus expectans consolationem Israël et Spiritus Sanctus erat in eo.* Quisnam sit ille Simeon? Lucas dicit solummodo quod fuit «*iustus et timoratus expectans consolationem Israël*». Sacerdotem fuisse non videtur, nam in templo non adfuit ad officium suum peragendum, sed «*venit in spiritu in templum*» v. 27. Diversae hypotheses propositae fuerunt: «*Evangelium Nicodemi*» illum «*sacerdotem magnum*» vocat, quod valde improbabile est, quia tunc titulo humili «*homo iustus et timoratus*» illum Lucas non designasset. Quidam supponunt Simeonem fuisse filium Hillel et patrem Gamalielis. Hillel mortuus est anno 13 post Christum, summa in senectute, secundum quosdam 120 annos habuit; unde filius eius tempore nativitatis Christi aetatem plus minusve propectam habere poterat; Lucas non dicit quod senex fuit, quamvis hoc supponere videatur, vv. 26. 29. Simeon probabilius fuit homo conditionis humilis, sicut omnes personae quae hac in narratione interveniunt; qualitates suae morales describuntur: «*homo iustus et timoratus, δίκαιος καὶ εὐλαβής*» i. e. iustus ac prudens, timens Deum; homo qui omnes Legis praescriptiones fideliter servaverat; Simeon homo fidei fuisse videbatur qui, non obstantibus populi sui humiliationibus, retinuerat fidem ac spem firmam in promissionibus quas Deus Patriarchis et Prophetis quoad personam Messiae fecerat. Simeon «*erat expectans consolationem Israël*»: προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ. Verbum προσδέχομαι significare potest «*accipere*», sed etiam «*expectare*», v. g. expectare regnum Dei, *Mt.* 15, 43; *Lc.* 23, 51. Nomen παράκλησις varios sensus habere potest: auxilii petitio, hortatio, consolatio; apud LXX παράκλησις communiter in sensu «*consolationis*» sumitur; inter

titulos Messiae « consolator » pluries numeratur, *Is.* 40, 1; 49, 13; 61, 3; heic etiam παρακλησις in sensu « consolationis » sumitur; abstractum pro concreto adhibetur, unde sensus est: Simeon exspectabat adventum magni consolatoris, liberatoris populi sui, adventum Messiae a Prophetis praedicti. — *Et Spiritus Sanctus erat in eo, καὶ πνεῦμα ἦν ἅγιον ἐπ' αὐτόν.* Notandum est quod πνεῦμα verbo ἦν ab ἁγίον separatur, et quod πνεῦμα articulum non habet, unde non de persona Spiritus Sancti, sed de beneficio quodam divino Simeoni concesso agitur. Benevolentia divina specialis « *super eum* » ἐπ' αὐτόν et non « *in eo* » ἐν αὐτῷ descenderat. S. Lucas qui pluries Legis praescriptiones in vv. 22-24 attulerat, nunc vero in vv. 25-27 modo peculiari in divino interventu insistit.

v. 26. *Et responsum acceperat a Spiritu Sancto (ὕπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου) non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Graece verbum χρηματίζω legitur; hoc verbo pluries utitur FL. IOSEPHUS cum sensu « *responsum a Deo accipere* » (1), et ille revera sensus linguae vulgaris koinè esse videtur. Responsum vero supponit quaestionem seu interrogationem; porro in nostra narratione nullum indicium alicuius quaestionis a Simeone positae apparet, nisi dicendo Deum respondisse ardenti aspirationi Simeonis qui sicut omnis Iudaeus vivide consolatorem promissum exspectabat. At in N. T. χρηματίζω etiam cum sensu « *monere, docere, revelare* » occurrit, *Mt.* 2, 12. 22; *Act.* 10, 22; *Hebr.* 8, 5; 11, 7; 12, 25, et sensus ille optime contextui convenit: Simeon revelatione divina, revelatione Spiritus Sancti cognovit « *non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini* ». Graece ἰδεῖν θάνατον est expressio quae idem sonat ac « *mori* »; « *Christus Domini* » in A. T. nunquam adhibetur ad Messiam designandum; Christus Domini, seu « *unctus Domini* » erat in A. T. rex unctus qui nomine Jahweh super Israël regnare debebat, *I Sam.* 24, 7. 11; 26, 9. 11. 16. 23; *II Sam.* 1, 14; *Ps.* 18, 51; vel etiam princeps a Jahweh electus ad missionem peculiarem peragenda, *II Chron.* 22, 7. Heic de rege Messia certo agitur, *Lc.* 9, 20; *Act.* 3, 18; 4, 26 (2). Tempore Simeonis, Iudaei, uti iam diximus, liberatorem ac consolatorem populi impatienter et ardentem exspectabant; Simeon vero revelatione divina admonitus fuerat de huius consolatoris adventu imminenti, ante mortem suam enim Messiam promissum videret.

v. 27. *Et venit in Spiritu (ἐν τῷ πνεύματι) in templum et, cum inducerent puerum Iesum parentes eius ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo.* Graece loco « *pro eo* » legitur « *περὶ αὐτοῦ* » = *quoad*

(1) FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* V, 1, 14; X, 1, 3; XI, VIII, 4.

(2) M. J. LAURANOE, *Le Messianisme chez les Juifs*, 1905, p. 223 seq.

illum » (1). Spiritus Sanctus adventum Messiae proximum Simeoni revelaverat; nunc ab eodem Spiritu illuminatus in templum venit eo in momento quo inducebant (ἐν τῷ εἰσαγαγεῖν) puerum Iesum parentes eius. Expressio « τοὺς γονεῖς = *parentes* » heic et in v. 41 adhibita adduci nequit ad monstrandum Lucam fontem adhibuisse qui conceptionem supernaturalem Iesu ignorabat et qui Ioseph tamquam patrem carnalem Iesu considerabat; etenim etiam admissa conceptione supernaturali Iesu, Ioseph et Maria coram oculis omnium parentes Iesu erant; paternitas Ioseph erat paternitas adoptiva et paternitas adoptiva erat paternitas legalis quin fuerit paternitas carnalis. Lucas, qui disertis verbis virginitatem Mariae docuerat, potuit nunc expressione communiter admissa uti ad Mariam et Ioseph designandos, nam in lingua vulgari οἱ γονεῖς parentes denotat, sive sint carnales, sive legales. « *Ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo* (quoad eum) ». Lex praescribebat oblationem a matre faciendam propter filii redemptionem; hanc praescriptionem nunc adimplere intendunt Ioseph et Maria; saepe praesentia filii huic caeremoniae necessaria non fuit; Lucas vero propter motivum supra iam notatum nos in Iesum convertit.

v. 28. *Et ipse accepit eum in ulnas suas et benedixit Deum et dixit:*
v. 29 *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.* In spiritu venit Simeon in templum, v. 27, et sub eiusdem spiritus influxu agnovit hunc puerum esse Messiam, consolatorem promissum; sumpsit igitur puerum e brachiis Mariae in ulnas suas et benedixit Deum: εὐλόγησεν τὸν θεόν; graece verbum εὐλόγησεν significare potest « *benedixit* », at significare etiam potest « *gratias egit* », Mc. 14, 22, quae ultima significatio contextui melius convenit; Simeon gratias Deo egit de eximio illo beneficio sibi collato videndi Salvatorem suum ante mortem suam, illumque in ulnas suas sumendi; ea in occasione suum « *Nunc dimittis* » cecinit, canticum quod iam a saeculo quinto ad officium serotinum in Ecclesia celebrabatur, *Const. Apost.* 7, 48.

Duplex conceptus secundum tres stichos divisus in hoc cantico occurrit: 1) Simeon nunc in pace mori potest, quia signum promissum, Salvatorem vidit, vv. 29-30. 2) Signum illud erit salus non solum pro Israël, sed etiam pro omnibus populis, vv. 31. 32.

v. 29. *Nunc dimittis servum tuum, Domine,*
Secundum verbum tuum in pace.

Verbum ἀπολῶ significat « *solvere, vincula solvere* » et in passivo sensum « *mori* » assumere potest. Simeon, ratione miserrimi status populi sui, in summa anxietate vixerat, semper prophetiarum A. T. adim-

(1) P. JOÜON, *L'Evangile de N. S. J. C.* 1930, p. 301. — F. X. PORPORATO, *Oblulerunt pro eo par turturum aut duos pullos columbarum*, *VD.* 15, 1935, 39.

pletionem exspectans; nunc vero populi sui consolator advenit, revelatione divina hunc adventum cognovit, immo salvatorem oculis suis vidit, in ulnas sumpsit, quapropter oculos ad caelum elevans gratias Deo agit dicens: « Nunc, Jahweh, Domine vitae et mortis, tu potes servum tuum ad aliam vitam in pace dimittere, ad vitam gloriosam et aeternam », nam promissio v. 26 adimpleta est. In pace mori potest, quare?

v. 30. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, Graece τὸ σωτήριόν σου, Is. 40, 5; Lc. 3, 6 est salus messianica; in contextu nostro iterum abstractum pro concreto habetur; «salutare suum» est puer Iesus promissus ut salvator et consolator populi sui. Simeon salvatorem suum vidit, in ulnas sumpsit, deinceps igitur in pace mori potest. Magis vero opus Messiae determinat: non erit opus tantum nationale, verum etiam universale quod omnes populos amplectetur:

v. 31. *Quod parasti ante faciem omnium populorum*. Expressio «κατὰ πρόσωπον = ante faciem» est semitica quae primario «ante faciem» et secundario «ad dispositionem», Gen. 13, 9; 24, 51 significat. Salus quam Iesus affert est salus messianica; salus quam Deus prae-paravit ad bonum tum Iudaeorum, tum Gentium, salus quam Deus ad dispositionem omnium populorum posuit; unusquisque hanc salutem videre potest et particeps huius fieri potest (1). Simeon ergo ingressum gentilium in regnum Dei, Act. 10, 11, iam perspicit; conceptus ille prorsus opponitur conceptui quem Iudaei de salute messianica communiter habuerunt; Simeonis conceptus revelationibus Prophetarum A. T. appropinquat, qui regnum messianicum non ut regnum nationale iudaicum, sed ut regnum universale, annuntiaverant, cfr. Is. 19, 24, 25; 42, 6, 10; 60, 3.

v. 32. *Lumen ad revelationem gentium,
Et gloriam plebis tuae Israël.*

Isaias iam annuntiaverat Messiam uti lumen quod nationes illuminare debebat, Is. 42, 6; 49, 6. Eodem in sensu loquitur Simeon: Messias erit «φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἔθνων = lumen ad revelationem gentium». Graece ἀποκάλυψις de ablatione alicuius veli quod lumen abscondit praedicatur; velum illud, quod coram oculis gentium habetur, sunt tenebrae ignorantiae, tenebrae spirituales; Messias est lumen quod tenebras illas spirituales auferre debet, lumen quod gentes illuminare, instruere et ad divinam veritatem conducere debet.

Messias insuper erit gloria plebis suae Israël, primo quia ex Israël ortus est, Rom. 9, 5, et deinde quia per Israël illud lumen ad gentes transmittetur. Conceptus huius gloriae Israël optime tempori Simeonis

(1) P. JOTHON, *Notes philologiques sur les Evangiles*, «Rech. Sc. Rel.», 18, 1928, 352. — *L'Evangile de N. S. J. C.* 1930, p. 302.

convenit, minus tamen tempori compositionis Evangelii, quia tunc gloria magis magisque ab Israël discedere videtur (1).

v. 33. *Et erat pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo.* Actio qua sumpsit Simeon puerum in ulnas suas iam debuit parentes obstupescere quia Simeon nullum officium in templo habebat; at parentes erant praesertim mirantes, inquit S. Lucas, ratione verborum quae Simeon protulit. Maria revelatione angelica characterem regalem et messianicum filii sui cognovit, *Lc. 1, 30-35*; Ioseph de conceptione supernaturali nuntium divinum accepit, *Mt. 1, 18-25*; ex narratione pastorum audierunt Ioseph et Maria Iesum futurum esse Salvatorem populi sui iudaici; nunc quid novi eis communicatur, influxus nempe pueri non in solum populum iudaicum, verum etiam in Gentes; ex quo nova miratio. Manifestationi Simeonis parentes Iesu nihil responderunt; Lucas addere potuisset: « *Maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* », *Lc. 2, 19*.

Simeon novam actionem adiunxit et verba prophetica dolorosa pronuntiavit; v. 34. *Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israël: et in signum cui contradicetur*: v. 35. *et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Simeon Sanctae Familiae benedixit; haec verba in sensu proprio de vera benedictione et non de sola congratulatione intellegi possunt, nam senibus competit iunioribus benedicere, et benedictiones divinas super iuniores, in casu nostro, super Sanctam Familiam postulare. F. ZORELL vero opinatur quod de sola salutatione ac congratulatione agitur.

Deinde instinctu divino ad Mariam se dirigens - adversa enim praesertim cor maternum attingunt - dixit Simeon: « *Ecce positus est hic in ruinam* », etc. Verbum « *κεῖται* = *positus est* » in sensu classico sumendum est et significat: « *destinatus est* », sicut in *Phil. 1, 16*; *I Thess. 3, 3*. Ad quid vero destinatus est puer Iesus? 1) *Ut sit in ruinam et resurrectionem multorum in Israël*. « *In ruinam* = *εἰς πτώσιν* », substantivum *πτώσις* casum, lapsum denotat et de his asseritur qui ratione alicuius obicis cadunt. « *In resurrectionem*, *εἰς ἀναστάσιν* »; substantivum *ἀνάστασις* in oppositione cum *πτώσις* surrectionem a lapsu designat. Puer Iesus ergo erit obiectum lapsus multorum in Israël, erit etiam obiectum revelationis multorum aliorum in Israël, obiectum lapsus his qui illum reiicient; obiectum vero revelationis his qui illum sequentur. Lapsus spiritualis et relevatio spiritualis heic intenduntur. 2) Puer Iesus adhuc destinatus est « *in signum cui contradicetur* = *εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον* ». *Signum*, *σημεῖον*, in N. T. est communiter

(1) J. LEBRETON, *La vie et l'enseignement de N. S. J. C.* 1, 1931, 52.

signum probans, signum clarum ac manifestum, *Lc.* 11, 29, 31. Signum de quo heic loquitur Simeon non est signum quodcumque sed signum ἀντιλεγόμενον, signum cui contradicetur, seu « *signum controversum* ». Iesus erit quasi scopus contra quem multi insurgent, a quibusdam admittetur, ab aliis reiicietur; signum quod apud alios fidem, apud alios incredulitatem provocabit, signum quo homines sive amorem suum erga veritatem, sive studium suum erga errorem manifestabunt, *Ioan.* c. 3, 19-21; *II Cor.* 2, 15. 16. Manifestatio Messiae, durante vita sua publica, discrimen inter homines producet, alii illum sequentur, alii illum impugnabunt, *Is.* 8, 14. 15. Discrimen illud circa naturam ac personam Messiae adhuc perdurat ac perdurabit in aeternum, ita ut haec prophetia totam evangelii ac religionis christianae historiam depingere et amplecti videtur.

Ad Mariam directe se dirigens adiungit Simeon: v. 35. *et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Gladius ille esset secundum ORIGENEM, AMPHILOCHIUM et etiam quosdam recentiores non Catholicos, E. REUSS, H. GRESSMANN, gladius dubii, gladius infidelitatis; etiam Maria de missione divina filii sui dubitabit (1). Post omnes manifestationes supernaturales quas Maria sive ab angelo, sive a pastoribus acceperat et quae omnes cum manifestatione Simeonis, *Lc.* 2, 29-32 consonant, dubium huiusmodi ex parte Virginis vix admitti potest. Versiculus noster igitur cum praecedentibus intime coniungatur oportet: Maria, cui Iesus uti Filius Altissimi ab angelo praenuntiatus fuit, *Lc.* 1, 32, videns discrimen inter homines circa filium suum, multa patietur, cum filio suo compatietur, dolor quasi gladius cor suum maternum pertransibit, et iste dolor summum suum attinget, quando stabit Maria mater dolorosa iuxta crucem lacrimosa. Gladius ille ergo considerandus est uti symbolum doloris Mariae, praesertim in hora passionis filii sui. Discrimina illa, quorum passiones Mariae erunt consequentiae, secundum decreta divina ordinantur eo in fine « *ut (ὅπως) revelentur ex multis cordibus cogitationes* », ut intima cordis hominum manifesta appareant. In variis istis manifestationibus divinis, a *S. Luca* 1, 30-35; 2, 10-14; 29-35 narratis, prophetiarum messianicarum A. T., *Is.* 7, 14; 52, 13 - 53, 12, adimpletionem invenimus.

(1) ORIGENES, *In Lucam*, Hom. XVII, P. G. t. 13, c. 1845. — AMPHILOCHIUS, *In Occursum Domini*, P. G. t. 39; c. 57. Cfr. AL. JANSSENS, *Theologos, Maria in de Schriftuur en in de oudste Overlevering*, 1938, p. 61-68.

3. *Manifestatio Iesu Annae*, vv. 36-38.

v. 36. *Et erat Anna prophetissa filia Phanuel de tribu Aser: haec processerat in diebus multis et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua.* Graece $\eta\nu$ significat «*erat, exsistebat*» et non «*erat praesens*». Nova persona, Anna nomine, cuius status civilis amplius determinatur, introducitur. *Anna erat prophetissa* professione, sicut Maria, soror Moysis, *Ex.* 15, 20; sicut Debora, *Iud.* 4, 4; sicut Anna, mater Samuelis, *I Sam.* 2, 1-10; sicut Hulda, *II Reg.* 22, 14; *II Chron.* 34, 22. Prophetissa non necessario est persona quae futura praedicat, sed quae in intimitate cum Deo, in timore Dei vivit, quae consiliis suis homines consolatur illosque ad servitium Dei hortatur, *I Cor.* 14, 3. Nomen patris et nomen tribus patris etiam adnotantur; «*erat filia Phanuel (aspectus Dei) de tribu Aser*» ita ut facile a coaevis suis cognosci posset. Aetate provecta erat; quando virgo adhuc erat matrimonium inivit et septem annis in statu matrimoniali ($\mu\epsilon\tau\acute{\alpha}$ $\alpha\upsilon\delta\rho\acute{o}\varsigma$ absque determinatione) vixit.

v. 37. *Et haec vidua usque ad annos octoginta quattuor: quae non discedebat de Templo ieiuniis et obsecrationibus serviens nocte ac die.* Interpretatio (Syr. sin.) quae tenet Annam, mortuo viro, adhuc octoginta quattuor annos in viduitate vixisse multo inverisimilis videtur; sensus potius est quod Anna nunc octoginta quattuor annos habebat. Mortuo marito, cuius nomen non indicatur, novum matrimonium non inivit Anna, quod pro vidua iudaica erat titulus honorificus. *Non discedebat de Templo*, quod significare potest, vel quod lectulum suum in loco quodam remoto templi habebat, vel quod frequentissime, quasi semper, in templo aderat, vitam ducens in *ieiuniis et obsecrationibus*, sicut S. Paulus *I Tim.* 5, 5, de viduis christianis narrat. Anna igitur videtur mulier valde nota fuisse in mediis religiosis iudaicis hierosolymitanis.

v. 38. *Et haec, ipsa hora superveniens confitebatur Domino: et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Isra l.* Graece legitur in Sin. B, et in variis versionibus « $\lambda\acute{\upsilon}\tau\rho\omega\sigma\iota\nu$ Ἱερουσαλῆμ = *redemptionem Ierusalem*». Codices A et D posuerunt inter «*redemptionem*» et «*Ierusalem*» praepositionem $\epsilon\nu$ = *in* et legerunt «*redemptionem in Ierusalem*». Vulgata Clementina loco Ἱερουσαλῆμ habet Ἰσραὴλ = *Israel*: *redemptionem Israël*. Lectio vero magis probabilis est: «*redemptionem Ierusalem*»; duae aliae correctiones esse videntur. Graece $\epsilon\pi\iota\sigma\tau\acute{\alpha}\sigma\alpha$ = *superveniens*» non apparitionem subitam, sed apparitionem inexpectatam indicat, a. v. Anna prophetissa et Deo devotissima, sub influxu et interna inspiratione divina, momento a Deo determinato, prope parentes filium ipsorum adducens conducitur, et sub eadem divina inspiratione gloriam Deo reddidit ac hunc puerum uti Messiam ac

liberatorem Ierusalem agnovit. *Confitebatur* (ἀνθωμολογεῖτο) *Domino*, praepositio ἀντί significat quod « *etiam* » illa, sicut antea Simeon, Dominum propter gratiam acceptam laudavit; utrum vero hoc interne vel externe, vocibus prolatis, fecerit, nescimus. *Et loquebatur de illo*, graece καὶ ἐλάλει non dicit quod Anna in templo ipso bonum nuntium de puero (περὶ αὐτοῦ) communicavit; καὶ ἐλάλει videtur potius respicere tempus quod templi caeremoniam sequitur; statim postea Anna communicavit laetum nuntium his qui simul cum ipsa *redemptionem Ierusalem expectabant*; Ierusalem vero, ratione templi, centrum fuit Iudaismi, unde redemptio de qua heic loquitur Anna non solum ad Hierosolymitanos sed ad totam nationem iudaicam se extendere debet. Puer Iesus ergo uti populi iudaici liberator consideratur; natura vero huius liberationis ab Anna non indicatur.

VII. IESUS IN MEDIO DOCTORUM (*Luc. 2, 39-52*).

Narrationes praecedentes in quibus Maria intervenit, omnes ad historiam infantiae pertinent; de vita Iesu in Nazareth unica tantum narratio in Evangeliiis occurrit et quae apud solum Lucam legitur, nempe inventio Iesu in medio Doctorum, *Lc. 2, 39-52*.

Pericopa nostra secundum quattuor partes dividitur: 1) Reditus S. Familiae a Bethlehem et Ierusalem in Nazareth, vv. 39-40. 2) Iter S. Familiae ad templum Ierusalem occasione festivitatis Azymorum et perditio Iesu, vv. 41-46. 3) Inventio Iesu in templo Ierusalem, vv. 46-50. 4) Reditus S. Familiae in Nazareth, vv. 51-52.

1. *Reditus S. Familiae a Bethlehem et Ierusalem in Nazareth*, vv. 39-40.

v. 39. *Et, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth.* Nazareth in Galilaea erat domicilium consuetum S. Familiae, ibique Iesus in summa humilitate et oboedientia totam vitam suam absconditam duxit. Caeremoniis purificationis Mariae absolutis, Lucas adnotat quod parentes Iesu cum parvulo suo ad domicilium in Nazareth reversi sunt.

Quandonam reditus Nazareth est factus? Ad hanc quaestionem solvendam, quaedam sunt praenotanda: Matthaeus et Lucas tantum historiam infantiae tradunt; at quaedam narrationes utrique Evangelistae sunt communes quaedam vero propriae. *Communes* sunt nativitas in Bethlehem et reditus in Nazareth. *Propriae* sunt a) apud Matthaeum: adoratio Magorum, occisio puerorum innocentium, ac fuga in Aegyptum; b) apud Lucam: adoratio pastorum, circumcisio Iesu, purificatio Mariae, praesentatio Iesu in templo, inventio Iesu in templo. Lucas dicit quod caeremoniis purificationis absolutis, S. Familia Nazareth reversa est, hoc esset quadraginta diebus post nativitatem Iesu. Secundum Matthaeum vero reditus ille post fugam in Aegyptum est factus, unde saltem pluribus mensibus post nativitatem Iesu (cfr. supra). Magna igitur divergentia inter Matthaeum et Lucam adesse videtur. Valde probabile est Lucam historiam infantiae, prout apud Matthaeum legitur, non cognovisse, similiter facta ipsa, ibi narrata, ignorasse; si enim Magorum adorationem cognovisset, illam certo suae historiae infantiae inseruisset, eo quod factum istud optime scopo suo de Evangelii universalitate convenisset, et hoc praesertim si narrationes

istas in fonte quodam apostolico invenisset. Legitime igitur supponi potest quod fons, ex quo Lucas hausit, de his factis tacuit, et quod Lucas facta ipsa forsitan ignoravit (M. J. LAGRANGE, J. LEBRETON). Unde nihil amplius sciens de infantia Iesu, de factis nempe quae post purificationem Mariae advenerunt, caeremonia ista absoluta, Lucas reduxit S. Familiam ad domicilium eius consuetum in Nazareth.

Difficile tamen admitti potest Lucam haec facta ignorasse, eo quod Maria fons Lucae fuisse videtur, *Lc. 2, 19*. Quapropter E. TOBAC opinatur Lucam scripsisse secundum documentum palaestiniense in quo de his factis nihil habebatur; documentum illud has narrationes forsitan omittebat quia in evangelio aramaico Matthaei iam legebantur (1).

Facta Matthaeo propria - adoratio Magorum, occisio innocentium, fuga in Aegyptum - difficile inter circumcisionem ac purificationem, in spatio triginta vel ad summum quadraginta dierum (a nativitate) poni possunt, et nihil prohibet quin post purificationem ponantur; quo in casu, caeremonia purificationis peracta, Ioseph et Maria Bethlehem reversi essent, et solummodo post fugam in Aegyptum iterum Nazareth rediissent. De facto non habetur contradictio sed tantum divergentia inter Matthaeum et Lucam ex diversis fontibus adhibitis proveniens.

v. 40. *Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia: et gratia Dei erat in illo.* Corporis Christi evolutio physica hoc in capite disertis verbis exprimitur: a) Iesus τὸ βρέφος = neonatus, *Lc. 2, 16* dicitur; b) heic, *Lc. 2, 40* τὸ παιδίον = parvulus; c) *Lc. 2, 43* Ἰησοῦς ὁ παῖς = puer; d) Ἰησοῦς = Iesus absque additione, *Lc. 2, 52* (2).

Quaedam manuscripta inter quae A numeratur, similiter versio Peshitta, adiungunt post «ἐκφαταιοῦτο = confortabatur» πνεύματι = spiritu: puer crescebat (physice) et confortabatur (spiritualiter, seu moraliter); quae adiunctio authentica non videtur, sed sub influxu *Lucae* 1, 80 introducta fuit. — Duo priora verba «crescebat et confortabatur» incrementum physicum simul cum vigore physico denotant; attamen cum incremento physico habetur etiam incrementum spirituale seu morale: «*plenus sapientia: πληροῦμενον σοφία*»; graece πληροῦμενον est participium praesens passivum et significat quod sapientia Iesu de die in diem crescebat. Augmentum sapientiae in Iesu non est augmentum apparens, sed augmentum verum et reale; Iesus erat verus homo, sicut et nos verum corpus et veram animam habebat, et sicut corpus eius crescebat, ita etiam cognitiones eius experimentales

(1) E. TOBAC, *Articles, Comptes rendus, Chroniques, RHE*, 18, 1922, 318. — L. MARCHAL, *Év. de S. Luc.* (éd. L. Pirot), 10, 1935, 50.

(2) A. PLUMMER, *A critical and exegetical Commentary on the Gospel according to S. Luke*, 1913, p. 78.

et virtutum exercitium aucta erant. Unde secundum scientiam Christi humanam seu acquisitam erat in Iesu verum augmentum (1). *Et gratia Dei erat in eo*, beneplacitum scilicet divinum erat super parvulum, ἐπ' αὐτό; certo quia erat filius Dei naturalis, sed insuper quia qualitates humanae secundum omnem perfectionem in Christo continuo crescebant.

2. Iter hierosolymitanum, Iesus perditur, vv. 41-45.

v. 41. *Et ibant parentes eius per omnes annos in Ierusalem in die solemni Paschae*. Expressio οἱ γονεῖς neque proximos, neque familiares designat, sed patrem et matrem tantum. Ista expressio heic in v. 41 occurrit etiam in illis manuscriptis quae in vv. 27. 33. 43, loco « parentes » legunt « Ioseph et Maria » vel « Ioseph et mater eius », ex quo constat quod ratio quare manuscripta illa hanc correctionem in versiculos citatos introduxerunt non fuit ratio dogmatica, uti quidam asseruerunt, alioquin etiam heic in v. 41 expressionem οἱ γονεῖς non admisissent.

Parentes Iesu *per omnes annos* in Ierusalem ibant; consuetudinem habebant occasione festivitatis paschalis τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα iter hierosolymitanum peragendi, quod graece participio praesenti ἀναβαίνοντων v. 42 confirmatur. Secundum Legem (*Ex.* 23, 14-17; 34, 23; *Deut.* 16, 16) omnis homo qui ad pubertatis aetatem pervenerat, ter in anno ad templum hierosolymitanum ascendere debebat, nempe occasione festivitatum Azymorum seu Paschatis, Hebdomadum seu Pentecostis, et Tabernaculorum. Ratione vero magnae distantiae aut difficultatis itineris, multi Israëlitae nonnisi semel in anno iter hierosolymitanum faciebant. Mulieres hoc praecepto immunes erant, unde Maria non ratione praecepti, sed sive ratione pietatis, sive ratione affectus erga virum suum illud iter perfecit. Secundum interpretationes rabbinicas, iuvenes ab anno 13 nativitatis suae tantum huic praecepto subiiciebantur (2). M. J. LAGRANGE e contra opinatur quod iuvenes Israëlitae hoc praecepto adstringebantur a momento quo « filii praecepti » fiebant, nempe circa annum 15 a nativitate sua (3). Utrum Ioseph et Maria in festivitatibus Hebdomadum et Tabernaculorum, Hierosolymam venerint, neque asseritur, neque negatur.

v. 42. *Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierolimam secundum consuetudinem diei festi*. Quia duodecim annos

(1) S. THOMAS, *Summa Theologica*, P. III, q. XII, a. 2, o. — M. J. LAGRANGE, *Évangile de S. Luc*, 1921, p. 93. — J. LEBRETON, *Origines du dogme de la Trinité*, 1, 1927, 560-599. — *L'Enseignement de N. S. J. C.* 1, 1931, 60-64. — L. MARCHAL, *Évangile de S. Luc*, (éd. L. Piro), 10, 1935, 51.

(2) H. STRACK - P. BILLERBECK, *Kommentar zum N. T. aus Talmud und Midrash*, 2, 1924, 144-147.

(3) M. J. LAGRANGE, *Évangile de S. Luc*, 1921, p. 96.

tantum habebat, Iesus Legi nondum subiiciebatur; Lucas vero aetatis adnotatione narrationem de colloquio Iesu cum doctoribus praeparare intendit ut possit eximiam sapientiam huius pueri duodecim annorum monstrare. Probabile est enim quod etiam annis praecedentibus Iesus simul cum parentibus hanc viam fecisset, nam haud facile supponi potest quod Maria et Ioseph filium suum unigenitum ac praedilectum curae cognatorum aut familiarium dereliquissent. S. Familia ascendit Hierosolimam *secundum consuetudinem* (κατὰ τὸ ἔθος) *diei festi*, i. e. secundum ritum diei festi, ad facienda scilicet ea quae pro illa festivitate praescripta erant.

v. 43. *Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius.* Graece τελειωσάντων τὰς ἡμέρας = *consummatis diebus* denotat quod parentes Iesu per totam festivitatem Ierusalem commorati erant; festivitas Azymorum septem diebus durabat et die septimo magna solemnitate concludebatur (*Ex. c. 12, 15 seq.; Lev. 23, 5 seq.; Deut. 16, 1 seq.*). Solemnitate peracta, diversi comitatus ad varias suas regiones redierunt; sic etiam fecit comitatus Galilaeae cui Ioseph et Maria adnumerati fuerant. *Cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem*; verbum graecum « ὑπέμεινεν = *remansit* » optime elegitur, nam praedicatur de illo qui post aliorum discessum in loco profectionis mansit; *et non cognoverunt parentes eius*, Iesus hoc fecit in scitis parentibus; parentes vero incuria non sunt accusandi, nam comitatus regionis Galilaeae, sicut et alii comitatus, ratione festivitatis valde numerosus erat et per partes probabiliter iter fecit (1). Iesus qui duodecim annos habebat quadam libertate iam gaudere, parentes eius in ipso et in eius sapientia fiduciam habebant. S. BONAVENTURA et S. BEDA ad omnem incuriae suspicionem a parentibus removendam, contenderunt quod in comitatibus mulieres a viris separatae erant, et quod Ioseph credidit Iesum fuisse prope Mariam, Maria e contra suspicata est puerum prope Ioseph fuisse. Quae assertio, inquit M. J. LAGRANGE, consuetudinibus non convenit, nam in itineribus alicuius momenti, omnes viam facientes secundum familias et non secundum sexum disponebantur, et sic rite intellegi potest quod Ioseph et Maria puerum inter cognatos et notos primo quaesierunt. Separatio mulierum ab hominibus fiebat tantum in processionibus solemnibus in quibus homines sponsam aut puerum circumcisiu[m] conducebant (2).

v. 44. *Existimantes autem illum esse in comitatu venerunt iter dici, et requirebant eum inter cognatos et notos.* Comitatus com-

(1) PHILON, *De Monarchia*, II, 1. — FL. IOSEPHUS, *De Bello Iud.* VI, IX, 3.

(2) M. J. LAGRANGE, *Evangile de S. Luc*, 1921, p. 94.

muniter vergente iam die civitatem sanctam reliquerant, unde iter primi diei erat sat breve, quapropter traditio Medii Aevi hanc primam stationem *El Birh* fuisse credidit, circa tres horas a Ierusalem distantem; supponi etiam potest stationem hanc fuisse *Gifneh*, in via romana, circa quattuor horas cum dimidia a sancta civitate distantem. Quando comitatus erat numerosus, sicut occasione Paschatis, fere semper confusio quaedam habebatur, at in statione quietis, quae ante profectionem indicata erat, omnes iterum se inveniebant. Ibi ergo parentes Iesu, suspenso animo, Iesum quaerebant, primo inter cognatos et notos, deinde inter varias comitatus partes, et quidem variis horis, nam comitatus huiusmodi, occasione festivitatis paschalis, valde in via se extendebant, eo quod alii pedibus, alii super asinos, alii in curribus et lectulis iter faciebant (1).

v. 45. *Et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem requirentes eum.* Iesus in comitatu non erat. Die sequenti ergo, probabiliter valde mane, Ioseph et Maria iter versus Ierusalem iterum fecerunt, anxie quaerentes inter illos qui a civitate sancta revertebantur; Iesus enim in his comitatibus se habere potuisset; interrogaverunt omnes continuo utrum nihil de Iesu cognoverint aut audierint, sed in vanum; Iesum non invenerunt et sic quaerentes et interrogantes Ierusalem iterum venerunt. Simeon Mariae praedixerat: « tuam ipsiusa nimam pertransibit gladius » *Lc.* 2, 35, et heic prima huius prophetiae adimpletio habetur.

3. *Inventio Iesu in templo Ierusalem*, vv. 46-50.

v. 46. *Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.* « Post triduum » μετὰ ἡμέρας τρεῖς, diversimode intellegi potest; melius et probabilius videtur dicere quod primo die parentes Iesu illum in comitatu non invenerunt, secundo die illum ubique inter varios comitatus a Ierusalem venientes quaesierunt et demum die tertio illum Ierusalem invenerunt; tertio die ergo a momento separationis « *invenerunt Iesum in templo* » ἐν τῷ ἱερῷ in atrio templi ubi doctores Legis doctrinam suam exponebant. Invenerunt illum *sedentem in medio doctorum audientem illos, et interrogantem eos*; expressio ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων in sensu stricto non est intellegenda, ita scilicet ut Iesus in medio doctorum fuisset positus ad explicandum his doctoribus Legem et Prophetas, uti in quibusdam apocryphis legitur. A. PLUMMER supponit quod forsan

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 94. « On peut imaginer sur la voie de Jérusalem à Néapolis une longue file de gens à pied, à âne ou à cheval, cheminant par groupes de parents ou d'habitants du même bourg, sur une longueur d'un ou même de plusieurs kilomètres ».

agebatur de doctoribus qui circa magistrum summae auctoritatis erant sedentes ad eius doctrinam audiendam; quo in casu tamen Iesus vix interrogationes ponere aut responsiones quaestionibus positis dare potuisset. Scimus vero quod doctores Legis communiter doctrinam suam in atriis templi exponebant, doctores erant super sedes aut scabella sedentes, discipuli vero secus pedes eorum, *Act.* 22, 3, in terra super strata. In narratione nostra quaestio de discipulis non habetur sed de doctoribus tantum, de doctoribus nempe qui quaestiones quasdam peculiare inter se elucidare conabantur. Secundum quosdam auctores quaestiones istae circa futurum messianicum vel circa modum quo Messias munus suum liberatoris adimpleret versabantur. Doctores suavitatem ac intellegentiam parvuli Iesu perspicientes, illi permiserunt ut se illis insereret, ideoque Iesus illorum doctrinam audivit et quaestiones ponere ac difficultates solvere potuit.

v. 47. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia, et responsis eius.* Graece ἐξίστημι pluries in N. T. occurrit, *Mt.* 12, 23; *Mc.* 2, 12; 5, 42; 11, 51, et praesertim apud *Lucam* 8, 56; *Act.* 2, 7; 8, 13, etc., cum sensu « summum stuporem, seu summam admirationem producere, vel admiratione extra se rapi ». Quandoque de effectu occasione alicuius manifestationis supernaturalis producta praedicatur; communiter tamen dicitur de admiratione quae sequitur factum quod homines explicare nequeunt, et sic in nostra narratione doctores intellegere nequeunt quomodo parvulus duodecim annorum poterat cum tanto acumine huiusmodi quaestiones difficillimas ponere, et non solum ponere, sed etiam solvere; factum huius generis non fuit quid commune, unde stupebant omnes et certo sibimetipsis quaestionem posuerunt: « quis est iste parvulus mirabilis? » *Lc.* 4, 22. Prima ista publica manifestatio Iesu suam eximiam intellegentiam ac sapientiam praebuit; actus Iesu posteriores hanc revelationem confirmabunt, et turbae Galilaeae, audientes illum, clamabunt: « Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo », *Ioan.* 7, 46.

v. 48. *Et videntes illum admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te.* In atrio templi parentes Iesu illum invenerunt, et ipsi etiam stupefacti sunt, ἐξεπλάγησαν. Verbum ἐκπλήσσω fortius sonat quam ἐξίστημι; stupor parentum admirationem doctorum excedit, at huius stuporis ratio eadem non videtur: doctores enim stupebant ratione sapientiae et intellegentiae huius parvuli; parentes vero hanc sapientiam et intellegentiam cognoscentes stupebant quia Iesus, qui communiter valde docilis ac submissus erat, nunc magnam incuriam erga parentes suos monstrare videbatur. *Et dixit mater eius*, cor maternum sane multa passum erat his diebus quibus Iesus perditus fuerat, unde Maria ipsa modum agendi

Iesū increpat dicens: « *Fili, quid fecisti nobis sic?* » Fili, quare nos conturbasti sic? « *Ecce pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te* ». Maria vocat Ioseph « *patrem Iesu* » quia coram omnibus revera ut pater Iesu considerabatur; Lucas sub hac forma verba Mariae referre potest, quia lectores sui conceptionem et partum virginalem Mariae iam cognoscebant, *Lc. 1, 26-38*. Maria his verbis commemorare intendit officia quae filius erga parentes adimplenda habet. Graece non « *ἐζητοῦμεν* = *quaerebamus* » legimus, sed cum Sin. et B *ζητοῦμεν* praeponimus; lectio illa dolorem intensiorem exprimit: « *summo dolore quaerimus* ». Quartum Mariae verbum, in Evangeliiis traditum, heic occurrit: *Lc. 1, 34. 38. 46-55; 2, 48*.

v. 49. *Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse?* Haec sunt prima verba Iesu in Evangeliiis relata et a nobis nota, et rationem de modo agendi Iesu reddunt; duplici vero in sensu explicantur: 1) *Nesciebatis quod de rebus Patris mei curam habere debeo?* de opere nempe quod mihi divinitus impositum fuit, ita apud *Ioan. 8, 29; 9, 4; 14, 31*. Interpretatio ista apud commentatores latinos olim frequenter inveniebatur; nostris temporibus apud J. KNABENBAUER et P. JOÜON defenditur (1). Iesus ergo respondisset quod Maria et Ioseph rationem illum quaerendi habere non debuissent, nam scire debuissent quod res Patris sui caelestis primum locum in vita sua tenent et quod consequenter rebus parentum praestant. 2) *Nesciebatis quod apud Patrem meum esse debeo?* En secunda interpretatio quae in versionibus syriacis et in versione arabica Diatessaron supponitur et a Patribus Orientalibus (Origenes, S. Ephrem, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius, etc.) proponitur. Expressio graeca ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς μου a grammaticis N. T. « *apud patrem meum* » vel « *in domo patris mei* » vertitur et a plerisque exegetis hodiernis, A. PLUMMER, M. J. LAGRANGE, A. VALENSIN, J. HUBY, L. MARCHAL admittitur. Responsio Iesu sic intellecta optime quaestioni Mariae convenit: « *nos dolentes quaerimus te* », cui Iesus respondit: « *quare me quaerere? scire enim debuissetis quod nonnisi in domo Patris mei, in templo esse poteram* ». Maria et Ioseph certo sciebant Iesum non habere nisi Deum ut Patrem; at ignorare poterant quod iam ab hoc momento vita sua humana erat servitio divino consecrata, et certo ignorare videntur hanc vitam fuisse totaliter in manu Dei traditam.

Quaedam heic sunt notanda: a) Iesus vocat Deum, Patrem suum, in sensu peculiari, unico, opponens hanc paternitatem paternitati Ioseph quae communiter ei attribuebatur; opponit paternitatem Dei naturalem paternitati Ioseph legali. b) Iesus inoboedientiae non est ac-

(1) P. JOÜON, *L'Evangile de N. S. J. C.* 1930, p. 307-308.

enimvero nam auctoritatem Ioseph et Mariae postposuit auctoritati superiori divinae; neque contra affectionem erga parentes peccavit Iesus, nam huius affectionis manifestationes subiecit requisitis affectionis superioris, affectionis quam erga Patrem suum caelestem habere debebat. c) Quare in seipsis parentibus egit Iesus? Hoc est mysterium divinae Providentiae; Deus enim ore Simeonis praenuntiaverat munus matris dolorosae, *Lc. 2, 35*; perditio Iesu tribus diebus initium est huius vitae dolorosae quae ultima sua consummatio in sacrificio crucis habebit.

v. 50. *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Commentatores antiquiores, considerantes quod Maria et Ioseph cognoverunt originem supernaturalem, divinam, ac missionem messianicam Iesu, admittere non potuerunt illud responsum Iesu parentes Iesu attingere, sed potius doctores Legis adstantes qui certo nihil de verbis Iesu intellexerunt. At secundum textum et contextum de interrogatione a parentibus facta et de responsione huic interrogationi a filio data agitur; unde contextus aperte docet quod verba Iesu ad parentes suos diriguntur: Maria et Ioseph verborum Iesu profunditatem non intellexerunt. Iesus erat Messias et ut Messias debebat decretum Dei circa opus messianicum adimplere; porro illud opus importat primario generis humani redemptionem per passionem et mortem Messiae; Iesus in sua responsione parentibus data ad opus messianicum, ad opus redemptionis a se adimplendum alludit; parentes vero Iesu qui de opere redemptionis non cogitabant, huius responsionis profunditatem non intellexerunt. Deus in sua sapientia voluit ut redemptionis oeconomia nonnisi gradatim, etiam Mariae, revelaretur; usque ad Calvariae montem Maria addiscere debuit omnes cruciatus qui pro ipsa ex adimplitione missionis Filio suo addictae sequentur, et cuius ipsa collaborationem fideliter acceperat (1). Hanc profunditatem parentes Iesu momento inventionis Iesu non intellexerunt.

4. *Reditus S. Familiae in Nazareth*, vv. 51-52.

v. 51. *Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater eius conservabat omnia verba haec in corde suo.* Post inventionem in templo, Iesus cum parentibus suis Nazareth reversus est, et usque ad vitam suam publicam nihil amplius scimus, nisi quod in perfecta subiectione parentibus suis, in summa humilitate vixit ibi Iesus qui fuit verus filius Dei. Iesus « *erat ὕψιστος illis*; graece ὕψιστος modum con-

(1) S. IOANNES DAMASCENUS, *De Fide orthodoxa*, IV, 14. P. G. t. 94, c. 1161. — S. PETRUS DAMIANUS, *Sermo* 45, P. L. t. 144, c. 748.

stantem denotat, in omni circumstantia parentibus subiectus erat. Ab hoc momento S. Lucas de Ioseph tacet, et in vita publica Iesu evangelistae de Ioseph nihil referunt, unde supponitur quod Ioseph, qui momento conceptionis Iesu aetate proventus iam erat, durante vita Iesu abscondita, Nazareth mortuus esset. *Maria conservabat omnia verba haec in corde suo.* Graece διατηρεῖω magna cum cura observare seu conservare significat, seu uti F. ZORELL habet: « aliquid mente reconditum servare »; verbum ῥήματα ad ea quae in templo facta sunt se refert, unde non solum « verba » sed « res », verba et actiones denotat. *Lucas* 2, 19 idem iam dixerat, et illa expressione indicare intendit a) magnam curam Mariae conservandi in corde suo omnia quae Iesum respiciunt, et b) ipso facto adnotare valorem harum narrationum quae testimonium Mariae ut fontem habere videntur.

v. 52. *Et Iesus proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum, et homines.* Durantibus his annis Iesus proficiebat quoad augmentum suum physicum, uti *S. Lucas* 2, 16. 40. 43. 52, iam adnotavit. Eadem fere ad litteram de Samuele dicta fuerunt, *I Sam.* 2, 26. Quia Iesus *proficiebat sapientia et gratia* ARIANI deduxerunt Iesum non esse Deum. Cui difficultati S. THOMAS respondit: « In sapientia et gratia aliquis potest proficere dupliciter: uno modo secundum ipsos habitus sapientiae et gratiae augmentatos: et sic Christus in eis non proficiebat. Alio modo secundum effectus in quantum scilicet aliquis sapientiora et virtuosiora opera facit: et sic Christus proficiebat sapientia et gratia, sicut et aetate, quia secundum processus aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum, et in his quae sunt ad homines » (1). THEOLOGI de scientia Christi disserentes triplicem scientiam in Christo admittunt: scientiam visionis, scientiam infusam, scientiam acquisitam. Sola scientia acquisita augeri potest, cuius ratio a S. THOMA datur: « quia inconveniens videtur quod aliqua naturalis actio intelligibilis Christo deesset, cum extrahere species intelligibiles a phantasmatibus sit quaedam naturalis actio hominis secundum intellectum agentem, conveniens videtur hanc etiam actionem in Christo ponere. Et ex hoc sequitur quod in anima Christi aliquis habitus scientiae fuerit, qui per huiusmodi abstractionem specierum potuerit augmentari; ex hoc scilicet quod intellectus agens post primas species intelligibiles abstractas a phantasmatibus poterat etiam alias et alias abstrahere » (2). Quoad *gratiae augmentum* dicendum est quod gratia χάρις accipi potest non in sensu theologico, sed in sensu

(1) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. VII, a. 12, ad 3um. — J. LEBRETON, *Histoire du dogme de la Trinité*, 1, 1927, 560-571. — *L'Enseignement et la Vie de N. S. J. C.* 1, 1931, 60-64.

(2) S. THOMAS, *Summa Theol.* P. III, q. XII, a. 2, o. — L. MARCHAL, *Evangel. de S. Luc.* (éd. L. Pirot), 10, 1935, 52.

physico, scilicet *de Christi affabilitate*, cfr. *Act.* 24, 27; *I Petri* 2, 19; intelligentia Christi magis magisque sese evolvit simul cum sua statura (ἡλικία) et sua affabilitate (χάρτι), et ideo ratione harum dispositionum externarum, ratione intelligentiae suae mirabilis, ratione staturae suae physicae, ratione suae affabilitatis exquisitae ac modestae, Iesus magis magisque Deo et hominibus placebat (1).

(1) M. J. LAGRANGE, *Evangile de S. Luc*, 1921, p. 98. — *L'Evangile de J. C.* 1929, p. 50.

VIII. DE NUPTIIS IN CANA GALILAEAE (Ioan. 2, 1-11).

Facta supra notata quae sive ad historiam infantiae, sive ad vitam Iesu absconditam pertinent, sunt sola quae relationem cum Maria habent in hac vitae Iesu periodo. In vita publica Iesu, pauca de Maria narrantur. Quando Iesus munus suum messianicum incepit, Maria adest, *Ioan.* 2, 1-11; illa iterum ad pedem crucis invenitur quando Iesus opus redemptionis perfecit, *Ioan.* 19, 25.

Quoad narrationem de nuptiis in Cana, duo sunt considerata:
1. Interpretatio textus. 2. Historicitas narrationis.

1. Interpretatio textus.

v. 1. *Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi*, v. 2. *Vocatus est autem et Iesus, et discipuli eius ad nuptias*. Narratio ista apud solum Ioannem legitur. Diversae circumstantiae indicantur: a) TEMPUS: die tertia post occursum cum Nathanaël, 1, 43, et die sexta post testimonium ultimum a Ioanne Baptista traditum, 1, 19. b) OCCASIO: Miraculum in pericopa narratum perfecit Iesus occasione alicuius coenae nuptialis. c) LOCUS: Cana Galilaeae, pagus Nathanaël, *Ioan.* 21, 2. Ioannes solus hunc pagum in evangelio suo commemorat, 2, 1. 11; 4, 46; 21, 2. Pagus illa Cana « Galilaeae » vocatur ut distinguatur a Cana in tribu Aser, *Iosue* 19, 28, non longe a Tyro distante. Cana Galilaeae, ad Septentrionem Nazareth, 9 vel 10 Km. ab hac civitate distat, in via a Nazareth ad Capharnaum habetur et est probabiliter Kefr-Kenna et non Khirbet-Qana, alius pagus etiam ad Septentrionem Nazareth, sed fere 25 Km. ab hac civitate distans. d) PERSONAE: Certo nupti, nuptorum parentes ac familiares adfuerunt; de his Ioannes nihil habet, quia enumerare tantum intendit illas personas quae nexum peculiarem cum miraculo habent, nempe Mariam, Iesum et discipulos. Maria tamquam invitata adfuit, prout constat e v. 2: « ἐκλήθη δὲ καὶ ἰησοῦς » = vocatus est *etiam* Iesus »; forsitan ante Iesum iam advenerat; Maria nomine proprio non nominatur, sed « mater Iesu » dicitur, et hoc quidem a) quia nomen matris Iesu a lectoribus Ioannis optime notum erat, et b) quia modus ille loquendi erat modus honestissimus nominandi matrem aliquam quae filium habebat (1). Quia

(1) M. J. LAGRANGE, *Evangelie de S. Jean*, 1925, p. 55.

mater Iesu ad nuptias vocata fuit, supponitur noviter nuptos fuisse sive proximos, sive amicos intimos B. Mariae Virginis. De Ioseph nulla mentio habetur, mortuus forsitan iam erat, uti supra notavimus. Iesus etiam, ut filius Mariae, vocatus erat, et hanc vocationem acceperat, tum humanitatis causa, tum ut praesentia sua nuptias honoraret et sanctificaret, tum ut primo suo miraculo potentiam suam aperte manifestaret ac adstantium fidem sibi conciliaret. Discipuli etiam cum Iesu venerunt; graece οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ legitur; articulus denotat quod de his discipulis agitur qui capite primo enumerati fuerunt. Inter illos fuit Nathanaël qui ex Cana Galilaeae fuit, Ioan. 21, 2 et qui comites suos Cana adduxerat, liberius hoc facere poterat quia antiqua hospitalitas orientalis legendaria erat.

v. 3. *Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Quoad textum duo sunt notanda: a) WESTCOTT-HORT, H. VON SODEN, J. VOGELS, E. NESTLE, A. MERK sequuntur lectionem $\aleph$, B. L. A.: « ὅστερ ἡσαντος οἴνου = *deficiente vino* », sic legit etiam Vulgata. E contra $\aleph$, a, b, ff² habent: οἶνον οὐκ εἶχον, ὅτι συνετελέσθη ὁ οἶνος τοῦ γάμου, εἴτα ἡ μήτηρ... = *vinum non habebant* (vel, non habebatur) *quia vinum nuptiarum erat exhaustum, tunc dicit mater Iesu ad eum...*, hanc lectionem admittunt T. TISCHENDORF, TH. ZAHN, A. LOISY, M. J. LAGRANGE, P. JOÜON, et praeferenda nobis videtur quia stylo prolixo et verboso S. Ioannis prorsus convenit, sicut etiam particula εἴτα, Ioan. 19, 27; 20, 27; dum prima lectio uti correctio elegans alicuius copistae apparet. b) In fine huius v. 3 legit SINAITICUS et cum ipso C. TISCHENDORF: « οἶνος οὐκ ἔστιν = *vinum non est* (non habetur) », dum aliis in codicibus, editionibus criticis ac antiquis versionibus latinis habetur: « οἶνον οὐκ ἔχουσιν = *vinum non habent* »; lectio Sinaitici introducta videtur ad eiusdem expressionis repetitionem vitandam.

Indicatis ergo variis circumstantiis temporis, loci ac personarum, Ioannes refert quomodo Iesus ad miraculum peragendum adducitur: « *vinum non habebant, quia vinum nuptiarum erat exhaustum* »; ex antiquis documentis scimus quod nuptiae in Oriente summo cum gaudio et laetitia celebrabantur et quidem per totam hebdomadam, Gen. 19, 27; Iud. 16, 2; quotidie novi salutantes ac gratulabundi ex improvise adveniebant et nuptorum gaudio gavisii sunt et simul cum aliis discubuerunt; vini consummatio igitur immensa erat (1) et mirum non est nuptias aramaice « *mištitha* » i. e. *vinolentam* denominari. Cum adventantium numerus haud facile praevidere potuerit, nuptorum parentes magnum vini quantitatem habere debebant, nam si aliquo momento

(1) H. STRACK · P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.* 2, 1924, 387.

vinum deficere debuisset, hoc summum fuisset incommodum parentibus qui omnia summa diligentia peragere voluissent. Nuptiarum festivitates quibus Iesus et Maria adfuerunt, circa finem versari videntur, nam vinum nuptiarum erat exhaustum, et semper novi improvise adveniunt, unde nupti eorumque parentes in angustias compelluntur; Maria hanc difficultatem perspicuens, prudenter, voce submissa, forsitan solo gestu aut adspectu significavit filio suo quod «*vinum non amplius habent*». En quantum verbum ab Evangelista in ore Mariae positum, est verbum deprecationis pro hominibus, illaque deprecatio a filio suo exaudietur, uti statim videbimus.

Quaestio haec ponitur utrum Maria ex parte Iesu miraculum expectaverit? Affirmative responderunt S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, S. AUGUSTINUS, MALDONATUS, J. KNABENBAUER, B. BARTMANN (1), F. TILLMANN, M. J. LAGRANGE; ratio horum est quia Maria cognovit Iesum missionem divinam, messianicam, accepisse et consequenter potentiam specialem ei concessam fuisse. Alii vero textum et contextum considerantes credunt quod Maria miraculum non necessario expectavit, nam cogitare potuit Iesum habere in Cana amicos qui forsitan in ista circumstantia nuptos adiuvare possent, quapropter Maria servis dixit «*quodcumque dixerit vobis facite*» (2). Sane ex textu et contextu solummodo deduci potest quod Maria interventum quemdam ex parte Iesu expectavit. Animadvertendum vero est quod Maria ex revelationibus angeli et pastorum cognovit missionem messianicam filii sui; ex verbis ipsis Iesu scivit Iesum peculiare relationes cum Deo habere, nam modo speciali Deum vocavit Patrem suum, *Lc.* 2, 49; ex quibus concludere possumus quod Maria interventum specialem, forsitan miraculosum, expectare saltem potuit.

v. 4. *Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est, mulier? τί ἐμοὶ καὶ σοί, γύναι? nondum venit hora mea.* Locutio «*quid mihi et tibi est, mulier?*» vel uti graece legitur «*quid mihi et tibi, mulier?*» plures cognovit interpretationes: S. IRENAEUS interventum Mariae «*intempestivam festinationem*» vocat. S. IOANNES CHRYSOSTOMUS vertit «*negotium illud neque ad me, neque ad te, pertinet*», quare me huic negotio immiscere? Iesus ergo matrem suam de hoc interventu reprehendisset. M. J. LAGRANGE opinatur quod Iesus subridens matri suae respondisset: «*sine modo me facere*», a. v. «*nulla dissentio est inter nos*», qua responsione Iesus insinuasset se facturum esse id quod mater sua de-

(1) B. BARTMANN, *Christus ein Gegner des Marienkultus?* 1909, p. 65-69. — Quoad alios auctores, cfr. Commentarium eorum.

(2) A. HERRANZ, *Exposición exegético-practico del Evangelio Dom. 2 post Epiph.* (Io. 2, 1-11), *Revista Española de Estudios Bíblicos*, 2, 1927, 61-70. — P. GÄCHTER, *Maria in Kana*, (Io. 2, vv. 1-11). *ZKT.* 55, 1931, 351-364.

siderabat. Secundum eundem M. J. LAGRANGE locutio « γύναι = mulier » contra venerationem maternam peccare non videtur, nam in circumstantiis solemnibus nomen « mulier » notam nobilitatis, amoris ac pietatis implicat, uti constat e verbis Iesu in cruce prolatis: « Mulier (γύναι), ecce filius tuus », *Ioan.* 19, 26 (1).

Ad verum huius expressionis sensum capiendum, litteratura biblica est consideranda. Expressio τὶ ἔμοι καὶ σοὶ est expressio semitica quae pluries tum in A. T. (*Ios.* 22, 24; *Iud.* 11, 12; *II Sam.* 16, 10; 19, 23; *II Reg.* 3, 13), tum in N. T. (*Mt.* 8, 29; 27, 19; *Mc.* 1, 24; 5, 7; *Lc.* 4, 34; 8, 28) occurrit, etiam in lingua arabica adhibetur cum sensu: « quid habetur quod simul sit mihi et tibi? » seu « quid commune habetur inter me et te »; quae interrogatio heic in sensu negativo est sumenda (2). Notandum vero est hanc communitatis negationem non esse universalem, sed, secundum contextum, in re bene determinata habetur, in re de qua in contextu agitur. Sicut Iesus duodecim annos habens declaravit in atrio templi iura divina iuribus parentum esse praeponenda, ita etiam nunc matri suae asserere intendit quod in opere suo messianico adimplendo decretum divinum petitioni matris praevalet, uti statim dicemus. Appellatio « muher » forsitan difficultatem facere posset, allocutio tamen illa non est necessario matri dedecori, uti constat ex *Ioan.* 19, 29. Iesus nunc se considerat ut legatum Dei qui voluntatem Patris caelestis adimplere debet et in voluntatis divinae adimplitione desiderium cordis materni non plus valet quam desiderium cuiuscumque mulieris.

Recusatio Iesu ergo verecundia non caret, immo recusatio non est definitiva, neque absoluta, nam statim recusationis ratio additur: « nondum venit hora mea »; quando hora Iesu, hora a Patre caelesti determinata, advenerit, tunc plenam satisfactionem Mariae praebebit. Quenam vero sit illa hora? Certo non est hora passionis quae ingressum Iesu in gloriam praecedit et post quam Iesus omnes matris suae orationes exaudiet, uti S. IRENAEUS, S. AUGUSTINUS, S. GREGORIUS et inter hodiernos P. GÄCHTER (3) crediderunt, sed est hora, uti ex sequentibus constat, qua Iesus circulum familiarem derelinquet ad opus suum publicum a Patre caelesti ei impositum incipiendum, hora nempe publicae manifestationis Verbi Dei incarnati. Responsio igitur Iesu est: nondum possum me huic rei immiscere, quia hora a Patre meo caelesti

(1) M. J. LAGRANGE, *Evangelie de S. Jean*, 1925, p. 56. — Cfr. FL. IOSEPHUS, *Ant. Iud.* I, xvi, 3.

(2) P. JOUON, *Notes philologiques sur les Evangelies*, « *Rech. Sc. Rel.* » 18, 1928, 356. — *L'Evangelie de N. S.* J. C. 1930, p. 468. — F. TILLMANN, *Johannesevangelium*, 1931, p. 79-80. P. GÄCHTER, *Maria in Kana*, *ZKT.* 55, 1931, 364-373. — V. JACONO, *Probaturne B. V. Mariae universalis gratiarum mediatio?* *VD.* 18, 1938, 202-203.

(3) P. GÄCHTER, *Maria in Kana*, (*Io.* 2, 1-11) *ZFKT.* 55, 1931, 377-389.

stabilita nondum adest. Iesus manifestare intendit quod omnia quae ipse ut Messias adimplere debet decreto paterno determinata sunt, tum quoad modum, tum quoad tempus. Cfr. *Ioan.* 7, 30; 8, 20; 17, 1 (1).

Ne dicatur Iesum orationem matris reiecisce, quidam auctores antiqui, TATIANUS (s. II), S. EPHREM (s. IV), S. GREGORIUS NYSSENUS (s. IV) et etiam hodierni, J. KNABENBAUER, A. DURAND, opinantur textum nostrum probabilius modo interrogativo esse legendum, ita ut responsio Iesu assensui positivo ac immediato aequivaluisset; Iesus, dixisset: « Nondum, vel nonne iam venit hora mea? » i. e. esto segura hora mea iam venit, quapropter faciam quod desideras » (2). Notetur vero oportet quod graece οὔπω et non οὐκ ἤδη legitur; et insuper textus critici modo affirmativo et non interrogativo propositionem legunt. — Restat in utraque interpretatione quod, Maria intercedente, miraculum fuit peractum.

Interpretatio valde singularis huius colloquii Iesu cum matre sua ab A. SCHULZ proponitur, interpretatio quae neque in textu, neque in contextu, fundamentum habet, et quae nonnisi excogitatio ipsius auctoris esse videtur. Ex lectionibus et explicationibus in Synagoga propositis, Maria intellexisset quod secundum promissiones A. T. tempore messianico magna mutatio in ipsa natura advenire debebat, occasione cuius Messias vinum abundantissime profluere faceret. Maria in hoc colloquio cum Filio suo his promissionibus allusisset et Iesus respondisset tempus huius mutationis naturae nondum adfuisse. Maria intellexisset quod Iesus miraculum quoddam particulare facere intendisset, quapropter dixit ministris: « Quodcumque dixerit vobis, facite » (3).

v. 5. *Dicit mater eius ministris: quodcumque dixerit vobis, facite.* Sextum verbum Mariae. Maria cum auctoritate servos alloquitur; fiduciam illimitatam sicut etiam summam venerationem erga filium suum demonstrat (4); probabiliter sono vocis, vel solo adspectu Iesu intellexit Iesum ad illam exaudiendam dispositum esse; interventum Iesu expectat. Mariam revelationem divinam accepisse, uti quidam olim dixerunt, non est admittendum. Ministros igitur allocuta, dicit Maria: « *Quodcumque dixerit vobis ὁ τι ἂν λέγῃ ὑμῖν, facite.* Ex his verbis aperte elucet responsum Iesu non fuisse increpationem, neque definitivam recusationem. Modus agendi Mariae nobis forsitan sat mirus videtur, quia Maria in proprio suo domicilio non mansit, sed apud amicos aut proximos, unde mandata dare non invitatis sed invitantibus competit.

(1) S. JOANNES CHRYSOST. *In Ioannem*, hom. XXII, 1. P. G. t. 59, c. 133.

(2) J. KNABENBAUER, *In Ioannem*, 1898, p. 118, 123. — A. DURAND, *Ev. de S. Jean*, 1930, p. 57-58.

(3) A. SCHULZ, *Das Wunder zu Kana im Lichte des A. Testaments*, BZ. 16, 1922, 93.

(4) E. B. ALLO, *La « Vie de Jésus », de Mauriac, « Vie Spirituelle »*, 47, 1936 (173).

Obliviscendum autem non est quod sumus in antiquo Oriente, ibique illa simplicitas ministros compellendi in domo extranea moribus orientalibus et praecipue personis humilis conditionis consentanea est.

v. 6. *Erant autem ibi lapideae hydriae sex, positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.* Graece κατὰ καθαρισμόν legitur; porro iam in lingua classica κατὰ adhibetur ad finem significandum, heic igitur ad finem denotandum propter quem hydriae positae erant, nempe « propter purificationem Iudaeorum ». Sex hydriae lapideae aderant; communiter hydriae erant fictiles, lapideae vero etiam inveniebantur, uti ex effossionibus constat. Secundum scholas rabbinicas hydriae lapideae incapaces erant impuritates contrahendi, unde ad ablutiones legales destinabantur, ad ablutiones manuum, pedum, calicum, urceorum, etc. *Mt.* 15, 2; *Mc.* 7, 3 seq. *Lc.* 11, 39. Hydriae huius narrationis propter ablutiones Iudaeorum positae erant; diversae erant dimensionis: « capientes singulae metretas binas vel ternas ». Particula ἀνέ, quam Vulgata scite reddidit « singulae », ex usu loquendi Graecorum distributioni inservit. « Metreta », hebraice « bat », erat mensura 40 litrorum, unde hydriae harum nuptiarum erant 80 et 120 litrorum. Quantitas huiusmodi nonnisi in solemnitatibus extraordinariis adhibebatur, v. g. in nuptiis quando multi convivae et multi extranei exspectati erant; haud ignotum est enim apud Iudaeos multas purificationes fuisse praescriptas. Incolae communiter tot hydrias non habebant, sed ratione solemnitatis illas a vicinis aut cognatis rogaverant.

v. 7. *Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.* Inter petitionem Mariae et operationem Iesu quodam temporis intervallum, parvum forsitan est ponendum; id quod petiit Maria obtinuit, sive ratione suae humilitatis, sive ratione suae simplicitatis. Intercessio Mariae igitur a filio suo divino exauditur. Iesus uti dominus imperat et ministri iussum statim exsequuntur. Iesus dixit « implete » et ministri « usque ad summum impleverunt » et sic ostenditur primo thaumaturgi liberalitas et deinde omnis admixtionis exclusio.

v. 8. *Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt.* Novum imperium Iesu et ministrorum obsequium. Illud « nunc = νῦν » indicare videtur aquam in vinum iam fuisse mutatam momento quo ministri hauserunt, vel forsitan momento quo potionem architriclino obtulerunt, v. 9. Ministri ergo, poculum sumentes, ex hydriis hauserunt et architriclino potionem obtulerunt. Architriclinus ἀρχιτρίκλινος non est prandii praeses, sed servitii dux, ille nempe qui ad bonum servitii ordinem vigilare debebat. Communiter erat persona extra familiam nuptorum electa, ut omnia familiae membra, omni cura vacua, prandio assistere possent.

v. 9. *Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non*

sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, v. 10 et dicit ei: *Omnis homo primum bonum vinum ponit: et, cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Architriclinus vinum gustavit, et statim perspexit illud esse optimum; ignoravit quid factum esset et credidit quod sponsus rem sic ordinaverat ut post vinum minoris qualitatis ministri ei vinum melioris qualitatis offerre deberent. Ministri, qui sciebant quid factum esset, vinum architriclino offerentes ei nihil dixerant. Ipse vero obstupefactus sponsum compellat (φωνεῖν), vel forsán secreto cum sponso colloquitur (ita M. J. LAGRANGE), et dixit ei: *Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est; tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.* Sponsus ergo contra consuetudinem communiter admissam peccavit; utrum haec consuetudo revera apud Iudaeos exstiterit, nescimus, nullum enim testimonium habetur. Quidam auctores tamen animadvertunt S. Ioannem communiter consuetudines palaestinienses cognoscere, quapropter, quamvis praeter S. Ioannis assertionem nullum aliud testimonium de hac consuetudine habeatur, opinantur ratione assertionis nostri evangelistae illam revera exstitisse. M. J. LAGRANGE autem contendit architriclinum hac animadversione suam offensionem forsán exprimere voluisse, quia de vinariae cellae secretis certior non fuit factus (1). *Cum inebriati fuerint.* Ebrietas apud Hebraeos ignota sane non fuit, Gen. 43, 34; Is. 28, 1; at supponi potest familiam istam quae relationes intimas cum S. Familia ex Nazareth nutriebat, mores ita solutos non habuisse ut nuptiarum convivae vino inebriare voluisset; quo in casu Iesus miraculum certo non peregisset. Architriclinus forsán morem coaetaneorum vulgarem allegat, quin tamen ad praesentes convivas respiciat.

Iesus ergo vinum ex materia praeexistente, ex aqua, fecit, est igitur per modum « conversionis », quod expressione « aquam vinum factam » indicatur. Olim commentatores quaesierunt quare Iesus aquam in vinum mutavit, et quare non simpliciter vinum in hydriis creavit? S. IOANNES CHRYSOSTOMUS respondit dicens quod « mutatione » aquae in vinum miraculum apertius manifestatur, alioquin homines credere potuissent quod aliquis ioco vinum in hydrias posuisset. Dici forsán etiam potest quod Iesus sic egerat ad praefigurandam mutationem in suum sanguinem pretiosissimum in Eucharistiae sacramento.

v. 11. *Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae: et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.* Quoad textum notanda sunt: a) Pronomen ταύτην absque articulo coram ἀρχήν po-

(1) M. J. LAGRANGE, *Evangile de S. Jean*, 1925, p. 59.

situm significat: « *illud fuit initium* ». b) Graece ἐν Κανᾷ legitur, et non « τῶν ἐν Κανᾷ = *eorum quae fecit in Cana* ». Sensus propositionis ergo esse videtur: « illud fuit primum signum quod Iesus fecit, illudque in Cana Galilaeae peregit », et non « illud fuit primum illorum signorum quae Iesus in Cana fecit », *Ioan.* 4, 54. *Et manifestavit gloriam suam*, gloriam nempe quam Verbum incarnatum a Deo Patre tenet, in quantum est filius eius unicus, *Ioan.* 1, 14. 18. Prophetiae et thaumaturgi A. T. gloriam Dei manifestaverant, Iesus vero manifestavit gloriam suam propriam, gloriam quae fuit eadem cum gloria Patris sui. *Et crediderunt in eum discipuli eius*. In evangelio S. Ioannis τὸ σημεῖον, plur. τὰ σημεῖα, sive in ore Evangelistae (2, 23; 4, 54; 6, 2. 14; 12, 37; 20, 30), sive in ore aliarum personarum (3, 2; 7, 31; 9, 16; 11, 47; 12, 18), sive in ore ipsius Iesu (4, 48; 6, 26), designat miracula a Iesu peracta. Synoptica substantivum σημεῖον etiam adhibent, sed, excepto *Lc.* 23, 8, miracula Iesu non intendunt; apud Synoptica σημεῖα de signis in fine temporum advenientibus praedicatur et quae Iudaeis erunt missionis divinae Iesu probatio, *Mt.* 24, 3. 30; *Lc.* 21, 11. 25. Apud Ioannem ista signa, ista miracula σημεῖα primario motiva credibilitatis constituunt; sunt signa quae Christi potentiam manifestant et ratione quorum discipuli in ipsum credere debent; discipuli Iesum iam Messiam agnoscebant, egregiam fidei suae amplificationem et confirmationem ex hoc miraculo ceperunt; Iesus hoc modo agendi discipulos ad altiores revelationes quoad suam personam ac naturam praeparare voluit; in hoc miraculo discipuli videre potuerunt primam adimpletionem eorum quae Nathanaël dicta fuerunt: « maius his videbis », *Ioan.* 1, 50.

2. Historicitas narrationis.

In textu prout iacet, et textus ille est textus omnium manuseriptorum antiquorum, manifestum miraculum narratur. Auctores vero qui miraculorum existentiam, immo possibilitatem denegant, etiam huius facti veracitatem admittere nequeunt, unde narrationis *Ioannis* 2, 1-11 historicitatem impugnant ac interpretationem pure allegoricam proponunt. Rationes diversas, sed omnes minoris momenti, cum summa gravitate afferunt: a) Synoptica, quae fere exclusive ministerium galilaicum narrant, de hoc miraculo tacent; miraculum huiusmodi certo non approbassent, nam potestate supernaturali uti ad necessitates materiales vitae sustentandas, esset tentationi diaboli succumbere, uti *Matthaeus* 4, 4 et *Lucas* 4, 4 docent. E contra, Ioannes qui perpauca de ministerio galilaico tradit, solus hanc pericopam habet, quod primo aspectu sat mirum videtur. b) Maria miraculum exspectat momento quo Iesus ne unum quidem miraculum peregerat et quidem post recu-

sationem Iesu interveniendi. c) Responsio dura Iesu matri suae in ore legati Dei certo non convenit, contra reverentiam matri debitam peccavit. d) Imperium Mariae ministris datum est valde inverisimile; Maria enim non erat in propria domo, unde imperare ei nullatenus competit. e) Modus agendi Iesu etiam inconsuetus apparet, primo enim omnem interventum recusat, et postea, durante ipso convivio, ad miraculum transit. f) Quare talem quantitatem aquae in vinum convertere? non esset ebrietatem alere? g) Architriclini animadversio vix intelligitur eo quod nullum documentum afferri potest ex quo constat hanc consuetudinem in Oriente exsistere.

Inspectis igitur his difficultatibus, auctores plerique independentes inter quos H. J. HOLTZMANN, W. BAUER, A. LOISY, T. K. ABBOTT, narrationis sensum historicum reiiciunt et purum allegoricum propugnant, dicentes quod mater Iesu est Synagoga sedens cum filio suo ad convivium messianicum a Iesu paratum. Maria (Synagoga) dixit Iesu: « Vinum non habetur ». Tunc Iesus ex hydriis mosaicis, scilicet ex libro Hexateuchi, vinum generosum Novae Legis extrahit. Miraculum in Cana peractum, inquit A. LOISY, pertinet ad seriem instructionum quae versantur circa substitutionem alicuius spiritualis oeconomia salutis (N. L.), oeconomiae exteriori et inefficaci (A. L.) quae sub symbolo aquae figuratur (1).

Narratio vero Ioannis cum tantis indiciis verisimilitudinis ac sinceritatis ex parte auctoris se lectoribus offert, ut vix intellegi possit quod auctor gravis de eius historicitate dubitare, immo eam negare audeat. At ratio vera non est ratio critica sed miraculi praesentia. Intentio tamen Ioannis narrandi tamquam factum historicum conversione aquae in vinum in Cana peractam, et quam Ioannes primum miraculum Iesu vocat, manifeste constat ex facto quod haec narratio intime coniungitur pericopae posteriori quae his verbis incipit: « Iesus venit ergo iterum in Cana Galilaeae, ubi fecit aquam vinum », *Ioan.* 4, 46.

Transeamus nunc ad difficultates propositas, ut de earum vero valore iudicare possimus. a) Revera Synoptica de hac narratione tacent, et ratio huius rei est quia Synoptica narrationem de vita publica Christi solummodo post incarcerationem Ioannis Baptistae incipiunt. Caeterum diversa alia facta apud Ioannem occurrunt quae apud Synoptica non inveniuntur et de quorum historicitate tamen nemo dubitat. Synoptica etiam miracula narrant in quibus Iesus potestate supernaturali utitur ad necessitates materiales vitae alicuius turbae immensae sublevandas,

(1) A. LOISY, *Le Quatrième Evangile*, 1921, p. 145. « Le miracle de Cana fait partie d'une série d'instructions sur la substitution d'une économie spirituelle de salut à l'économie extérieure et inefficace de la Loi, qui sont groupées en quelque sorte sous le symbole de l'eau ».

v. g. miraculum multiplicationis panum, *Mt.* 14, 13-21; 15, 32-39; *Mc.* 6, 31-44, et tamen nemo illud miraculum uti consensum tentationi diaboli considerat. Insuper miraculum conversionis aquae in vinum, in intimitate familiae, coram paucis personis peractum, comparari nequit, quoad apparatus externum, miraculo multiplicationis panum Bethsaidae coram magna multitudine a Iesu facto. *b)* Maria, uti supra diximus, non necessario miraculum exspectavit, sed certo quemdam interventum Iesu; plerique tamen exegetae et quidem optimae notae cogitant Mariam revera miraculum exspectasse, propter rationes supra adiunctas. *c)* Etiam huic difficultati iam respondimus: In responsione Iesu matri suae neque increpatio, neque venerationis defectus habetur, Iesus ibi intendit tantum docere quod decreta voluntatis Patris sui caelestis desiderio matris suae terrestris praevalent, sicut apud *Lc.* 2, 49. Maria optime responsum Iesu intellexit, intellexit nempe quod Iesus paratus erat ad satisfactionem desiderio suo praebendam, quapropter statim ministris imperium suum dedit. *d)* Ioannes aperte asserit Mariam imperium ministris dedisse. Modus ille agendi Mariae forsitan moribus nostris hodiernis non convenit, animadvertendum vero est quod scaena in antiquo Oriente facta est et quod Maria erat apud cognatos vel apud amicos valde intimos, alioquin illam personaliter invitandi ratio non fuisset. *e)* Iesus primo desiderium matris suae implere recusare videtur, statim vero adiungit: «nondum venit hora mea»; recusatio ergo non fuit definitiva. Ut Messias, Iesus voluntatem Patris sui caelestis exsequi debet, et hora huius voluntatis non totaliter cum desiderio matris suae coincidit. Maria responsum Iesu intellexit; forsitan ex modo loquendi Iesu, vel instinctu materno, vel inspiratione interna cognovit quod illa hora divina prope erat et quod Iesus mox desiderio suo satisfaceret. *f)* Quantitas vini sane maxima est, obliviscendum vero non est quod in Oriente festa nuptialia per totam hebdomadam protraherentur, nuptorum domus omnibus aperta erat praesertim quando quaestio circa potum agebatur. Occasione harum festivitatum, etiam in minimo pago, multi convivae invitabantur et multi ad coenam promittebant. Insuper Iesus hydrias usque ad summum aqua implere facit, primo ad ostendendum quod praeter aquam nihil aliud in hydriis habebatur et deinde ut ministri statim miraculi veritatem videant et testimonium reddere possint quod non aquae et vini mixtura sed vinum tantum ex aqua factum in hydriis adfuit. *g)* Supra adnotavimus quod nihil prohibet, ratione nempe assertionis Ioannis, quin admittatur consuetudinem in responsione architriclini assignatam revera exstitisse; forsitan dici etiam potest quod architriclinus his verbis suam offensionem exprimere voluit. Certum semper manet, et hoc suum momentum heic habet, quod architriclinus, sua animadversione, affirmat vinum ei a

ministris oblatum, fuisse vinum qualitate superiori vino quod prius convivis datum fuit.

Allegoria pura ab Independentibus proposita, et quae facti historicitatem denegat, admitti nequit: 1) quia omnes circumstantiae bene determinatae circa personas, tempus, locum, mores, sunt indicia quae historicitati favent et quae in allegoriis communiter non inveniuntur. Sane Ioannes non determinat quinam sint nupti, quisnam architriclinus, quinam ministri, sed indicat solummodo et bene determinat illos qui cum miraculo relationem directam habuerunt: Maria petit, Iesus miraculum facit et fides quinque discipulorum, quorum nomina supra cap. 1 enumerantur, confirmatur. 2) Horum auctorum interpretatio textibus evangelicis contradicit; etenim secundum evangeliorum testimonia, Synagoga nunquam relationes cum Iesu Messia habere, nunquam cum ipso discumbere voluit; Synagoga nunquam auxilium prophetae Nazareth imploravit, e contra semper et ubique oppositionem tenacem ei monstravit, *Ioan.* 7, 34-36; et per totum caput 8. 3) Demum ex coniunctione huius narrationis *Ioan.* 2, 1-11 cum *Ioanne* c. 4, 46, constat Ioannem factum historicum et non puram allegoriam exponere voluisse, uti iam adnotavimus.

Admissa miraculi historicitate, M. J. LAGRANGE opinatur quod sensus quidam allegoricus admitti potest. Iesus, Verbum plenum gratiae et veritatis, est donum Dei, et venit ad locum legis Moysis tenendum; hydriae aqua impletae et quae ad Iudaeorum purificationem inseruiunt, sunt oeconomiae antiquae imago. Secundum sensum communem, actioni vini virtus et gaudium attribuuntur, *Ps.* 104, 15; *Eccli.* 31, 35, quo oeconomia nova significatur. Vinum quod aquae succedit est symbolum successionis oeconomiae novae antiquae; Novum Testamentum antiquo succedit. Discipuli Iesu Baptistam dereliquerunt quia instructionem superiorem magis spiritualem apud Iesum quaesierunt. Iesus instructionem suam incipit conducens illos ad nuptias in Cana ibique, illis praesentibus, aquam in vinum mutavit. Hoc facto monstrare haud dubie voluit quod salus in omni statu acquiri potest, quod ipse neque matrimonium, neque usum rationalem alimentorum ac potionem excludebat, sed ante omnia apud discipulos actum fidei provocare voluit, actum fidei in illum qui illos vocavit (1).

(1) M. J. LAGRANGE, *Évangile de S. Jean*, 1921, p. 60-61.

IX. DE FRATRIBUS DOMINI

(Ioan. 2, 12).

Narratione de nuptiis in Cana Galilaeae absoluta, *Ioan.* 2, 1-11, Evangelista addit in v. 12: « *Post hoc descendit Capharnaum ipse (Iesus), et mater eius, et fratres eius, et discipuli eius* ». Quinam sint isti fratres? « *Fratres* » heic certo de fratribus spiritualibus non sunt intellegendi, sicut et nos Christiani omnes fratres sumus, nam inter « fratres Iesu » et « discipulos Iesu », qui haud dubie fratres eius spirituales erant, manifesta distinctio ponitur. De parentela carnali potius agitur. Et tunc quaeritur utrum isti fratres sint fratres germani Iesu? Et si sint, doctrina catholica quae virginitatem perpetuam B. Mariae Virginis tenet non amplius stat. Quapropter investigetur oportet quatenam sit revera cognationis relatio inter Iesum et istos fratres?

Considerandum primo est quid S. Scriptura et quid antiqua Traditio de his fratribus habeant, et quid nos ex his testimoniis deducere possimus. Quibus positis, reiicienda est assertio auctorum independentium, secundum quam « fratres Domini » fuissent filii e Maria Virgine post Iesum nati, fratres ergo uterini Iesu.

1. *Testimonia S. Scripturae.*

a. Pluries S. Scripturae de fratribus Domini loquuntur: *Mt.* 12, vv. 46. 47; 13, 55. 56; *Mc.* 3, 31. 32; 6, 3; *Lc.* 8, 19. 20; *Ioan.* 2, 12; 7, 3. 5. 10; *Act.* 1, 14; *I Cor.* 9, 5; *Gal.* 1, 19. Similiter de sororibus, *Mt.* 13, 55. 56; *Mc.* 6, 3; at de sororibus nihil amplius cognoscimus; nomina earum plane ignorantur.

b. Quattuor fratrum nomina traduntur: Iacobus et Iose (seu Ioseph); Simon (seu Symeon) et Iudas, *Mt.* 13, 55; *Mc.* 6, 3; in epistula ad *Gal.* 1, 19 Iacobus frater Domini dicitur.

c. Synoptica inter mulieres quae Iesum sequuntur enumerant: « Mariam Iacobi et Ioseph matrem », *Mt.* 27, 56; « Mariam Iacobi minoris et Ioseph matrem », *Mc.* 15, 40; Lucas in loco parallelo habet « Mariam Iacobi », *Lc.* 24, 10; cfr. etiam *Mc.* 16, 1.

d. S. Paulus in ep. ad *Gal.* 1, 19 dicit quod veniens Hierosolimam mansit apud Petrum diebus quindecim: « alium autem Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini ».

Iacobus frater Domini 1) est Apostolus; etenim α) Graece εἰ μὴ, praecedente sententia negativa (οὐ), quod in textu nostro habetur, signi-

ficiat « nisi, praeterquam » (1), sensus ille est ordinarius, et tunc sensus assertionis S. Pauli est quod tribus annis in solitudine vixit, quin quemdam Apostolorum viderit, nunc vero Hierosolymam veniens, vidit duos Apostolos, Petrum scilicet et Iacobum fratrem Domini (2). Iacobus ille ergo videtur fuisse homo qui magnam auctoritatem in ecclesia hierosolymitana habuit, et quia « frater Domini » dicitur distinguendus est a Iacobo fratre Ioannis Apostoli, filio Zebedaei, quia Ioannes nunquam inter fratres Domini numeratur, unde nec frater eius Iacobus (3).

β) Ad *Gal.* 2, 9, S. Paulus dicit quod occasione sui secundi itineris ad Hierosolymam, c. 44-45 ministerium suum inter Gentes approbatum fuit a Iacobo, Cepha et Ioanne, qui uti « columnae Ecclesiae » reputabantur. Iterum de tribus hominibus agitur qui auctoritatem magnam in Ecclesia hierosolymitana exercuerunt; et inter illos citantur Cephas et Ioannes qui certo sunt Apostoli, et de Iacobo ratio dubitandi non datur, immo Iacobus primo in loco citatur, et ratio huius duplex videtur: 1) quia fuit episcopus ecclesiae hierosolymitanae et magnam auctoritatem in ista ecclesia habuit, uti constat ex *Actis* 15, 13 sqq.; 21, 18; 22, 17; 2) quia Paulus insistere intendit in facto quod etiam Iacobus, cuius auctoritatem Iudaizantes semper invocabant, ministerium suum inter Gentes approbavit. Iacobus iste, Apostolus, non est Iacobus, filius Zebedaei, nam quando S. Paulus c. 44-45 Hierosolymam venit, filius Zebedaei martyrio iam subiit. Iacobus ergo ex ad *Gal.* 2, 9 duas qualitates habet quas apud Iacobum ex ep. ad *Gal.* 1, 19 invenimus, nempe: non est filius Zebedaei, et magnam auctoritatem in Ecclesia hierosolymitana exercuit; immo tertia qualitas addi potest, scilicet Apostolatus. Quapropter credimus Iacobum ex *Gal.* 2, 9 et ex *Gal.* 1, 19 esse eundem.

2) Iacobus frater Domini ex *Gal.* 1, 19, qui fuit Apostolus idem est ac Iacobus frater Domini de quo Synoptica *Mt.* 13, 55; *Mc.* 6, 3 loquuntur. S. Paulus enim dicit Ἰακώβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ Κυρίου; graece articulus habetur quo significatur vel quod agitur de Iacobo fratre

(1) F. ZORELL, *Lexicon graecum* N. T. 1931, p. 364.

(2) M. J. LAGRANGE, *Ep. aux Galates*, 1918, p. 18. — E. TOBAC, *Galates*, DTC. 6, 1, 1913, 1039. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 140; 539-543. — A. CHARUE, *Jacques le frère du Seigneur*, « *Coll. Namurc.* » 27, 1933, 421-435, 28, 1934, 65-73. — *Les Epîtres Catholiques* (éd. L. Pirot), 12, 1938, 387-391. — F. AMIOT, *Epître aux Galates*, 1946, p. 137.

(3) Graece *et μή* quandoque sensum adversativum habere potest et significare « sed », uti *Mt.* 12, 1; *Lc.* 4, 26 sqq.; *Apoc.* 9, 4; 21, 27; *Rom.* 14, 14, sed in omnibus his locis sensus adversativus ex contextu patet. Propositio ep. ad *Gal.* 1, 19 tunc significaret: « alium autem Apostolorum vidi neminem, vidi tamen Iacobum fratrem Dei »; inter Apostolos solum Petrum vidit, et praeter illum adhuc Iacobum fratrem Domini, qui inter Apostolos non est numerandus. Ita J. CHAÎNE, *Epîtres Catholiques*, 1939, p. 271, 327. — P. GÄCHTER, *Summa Introductionis in Novum Testamentum*, 1938, p. 228-231. — S. LYONNET, *Témoignages de S. Jean Chrysostome et de S. Jérôme sur Jacques le frère du Seigneur*, « *Rech. Sc. Rel.* », 29, 1939, 335-351. Sola ratio quare sensus adversativus admittitur, inquit M. J. LAGRANGE, est quia auctores illi non volunt agnoscere Iacobum fuisse Apostolum. *Aux Galates*, 1918, p. 18.

Domini aliunde, in communitate primitiva, iam noto, et de quo Synoptica etiam loquuntur; vel quod non fuisset nisi unicus frater Domini nomine Iacobi ornatus. Iacobus est ille qui in catalogo Apostolorum Iacobus Alphaei, filius Alphaei, dicitur, *Mt.* 10, 3; *Mc.* 3, 18; *Lc.* 6, 15, et qui simul cum Ioseph ut matrem habuit Mariam, *Mt.* 27, 56; *Mc.* c. 15, 40; uterque fuit filius Mariae, uxoris Alphaei.

e. Iuxta crucem Iesu, inquit *Ioannes* 19, 25, stabant « mater eius (Iesu), et soror matris eius, Maria Cleophae, et Maria Magdalene ». Quaestio heic ponitur utrum de tribus an de quattuor mulieribus agatur? J. KNABENBAUER, T. CALMES, P. SCHANZ, F. TILLMANN, J. VOSTÉ, F. PRAT, D. BUZY, pro tribus mulieribus opinantur: mater Iesu, soror matris Iesu quae est Maria Cleophae, et Maria Magdalene. E contra T. ZAHN, A. LOISY, W. BAUER, M. J. LAGRANGE, P. JOÜON, A. DURAND, J. H. BERNARD, F. BRAUN, ita etiam in editione critica J. VOGELS et A. MERK (1), contendunt Ioannem quattuor mulieres, binas ac binas, enumerasse: Maria, mater Iesu, et soror matris Iesu, Maria Cleophae et Maria Magdalene. Hanc ultimam interpretationem probabiliorē iudicamus; at quia quaestio ista inter ipsos exegetas catholicos valde disputatur, credimus quod ex hoc testu deduci nequit Mariam Cleophae fuisse sororem B. Mariae Virginis, neque glorem eius, scilicet sororem uterinam S. Ioseph.

Consideratis omnibus his textibus S. Scripturae, possumus iam concludere: 1. quod fratres Domini nunquam in S. Scriptura filii matris Iesu, neque filii S. Ioseph dicuntur; 2. quod Maria, uxor Alphaei, mater Iacobi et Ioseph nuncupatur; 3. quod de parentibus Simonis ac Iudae S. Scriptura plane tacet.

2. Testimonia Traditionis.

a. Testimonium Hegesippi.

HEGESIPPUS, in Palaestina ineunte saeculo secundo natus, fuit historicus magni nominis; quando aetate iam provectus fuit, nempe circa 180, memorias suas, quas ab ecclesia hierosolymitana acceperat, scripto consignavit. Testimonium eius ergo est magni momenti. EUSEBIUS in « *Historia Ecclesiastica* » ad has memorias pluries se refert et dicit quod HEGESIPPUS de *Symeone eiusque patre* haec habet: « Omnes itaque uno consensu Symeonem filium Cleopae, illius cuius in Evangelio fit mentio, episcopali sede dignum iudicaverunt. Creditur autem Symeon patruelis fuisse Servatoris (ἀνεψιόν... τοῦ Σωτῆρος, i. e. consobrinius Salvatoris). Nam Cleopam fratrem fuisse Ioseph (ἀδελφὸν τοῦ

(1) M. J. LAGRANGE, *L'Evangile de Jésus Christ*, 1929, p. 567, note 2.

Ἰωσήφ), testatur Hegesippus (1). Hegesippus hoc in contextu doctrinam de perpetua Mariae virginitate vindicare non intendit, sed solummodo referre id quod omnes suo tempore scire videbantur; non apologetice, neque theologicæ, sed historice loquitur. Aperte ergo declarat Symeonem fuisse filium Cleopae, et Cleopam fuisse fratrem S. Ioseph, Cleopam cuius in Evangelio fit mentio. Symeon ergo consobrinus Iesu fuit ex parte patris; et sicut pater, fuit ex familia David.

HEGESIPPUS etiam quaedam *de Iuda fratre Domini* habet: « His temporibus (scil. Domitiani), inquit Hegesippus, adhuc supererant quidam ex cognatione Christi, nepotes Iudae illius qui secundum carnem frater Christi vocabatur. Hos a nonnullis delatos quod ex regia Davidis stirpe prognati essent, evocatus (2) ad Domitianum Caesarem perduxit » (3). Iudas ergo erat ex familia David sicut et Symeon, et quia in Evangelii Iudas et Symeon semper coniunguntur, communiter admittitur illos fuisse filios Cleopae et consequenter consobrinos Iesu. HEGESIPPUS insuper *de Iacobo fratre Domini* testatur: « Unus ex omnibus in intimum templi sanctuarium ingrediendi ius facultatemque habebat. Neque enim lanicio, sed linea tantum veste utebatur » (4). Iacobus frater Domini iure sacerdotum ergo gaudebat, nam in Sanctum ingredi potuit, quod solis sacerdotibus reservabatur; vestimentis sacerdotalibus utebatur, ex quo deducitur ipsum ad genus sacerdotale, ad tribum Levi et familiam Aaron pertinuisse, et consequenter filium non fuisse Cleopae qui erat ex tribu Iudae, ex familia David, sicut Ioseph frater eius.

HEGESIPPUS de *Iose seu Ioseph fratre Domini* ne verbum quidem habet.

b. Testimonia Apocryphorum et SS. Patrum,

Scripta apocrypha inter quae numerantur *Evangelium Petri*, *Protoevangelium Iacobi*, *Evangelium pseudo Matthaei* quod a Protoevangelio Iacobi dependet, *Historia Ioseph fabri*, virginitatem B. Mariae Virginis firmiter tenuerunt, sed docuerunt fratres Domini fuisse filios S. Ioseph e primo matrimonio natos.

CLEMENS ALEXANDRINUS et ORIGENES, qui ab apocryphis dependent, eandem sententiam propugnauerunt; ORIGENES disertis verbis declarat hos fratres Domini non fuisse filios Mariae: « Hi filii, qui Ioseph dicebantur, non erant orti de Maria, neque est ulla Scriptura quae ista commemoret » (5). Plures SS. Patres, inter quos EUSEBIUS, S. HILARIUS,

(1) EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* III, 11. P. G. t. 20, c. 245-248.

(2) Graece δ' Ἰουδαίως legitur, quo, secundum quosdam, miles honoratioris gradus designatur.

(3) EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* III, XX, 1-6. P. G. t. 20, c. 251-254.

(4) EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* II, XXIII, P. G. t. 20, c. 198.

(5) ORIGENES, *In Lucam, hom.* VII, P. G. t. 13, c. 1813. — *In Mt.* 13, 55. P. G. t. 13, c. 875-878.

S. EPIPHANUS, S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, et in prioribus illorum operibus etiam S. IOANNES CHRYSOSTOMUS et S. AUGUSTINUS hanc sententiam Origenis secuti sunt. Posterius vero S. IOANNES CHRYSOSTOMUS et S. AUGUSTINUS interpretationem Origenis dereliquerunt et sententiam S. HIERONYMI amplexi sunt, qui de explicatione Origenis dicit: « Quidam fratres Domini de alia uxore Ioseph suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum » (1). Nullum fundamentum in S. Scriptura habet sententia Origenis, et contra communem Ecclesiae traditionem de virginitate S. Ioseph peccat. Cito caeterum derelicta fuit interpretatio origeniana.

Si excipiamus TERTULLIANUM (s. II), qui secundum S. HIERONYMUM « vir Ecclesiae non fuit, (2), nunquam usque ad saeculum IV exstitit auctor qui fratres Domini filios Mariae fuisse excogitavit. Saeculo IV vero exeunte, romanus quidam, e populo vulgaris homo, rusticanus, nomine HELVIDIUS et quem paucis annis postea monachus romanus IOVINIANUS secutus est, virginitatem B. Mariae perpetuam denegaverunt, dicentes quod illi qui in Evangeliiis fratres Domini vocantur sunt filii nati ex Ioseph et Maria post Christi natiuitatem (3); eo modo agere voluerunt contra illos qui virginitatem nimis exaltabant et statum matrimoniale deprimebant.

S. HIERONYMUS, anno 382, contra Helvidii sententiam insurgit probans ex S. Scriptura, praesertim ex Evangeliiis, Mariam revera virginitatem retinuisse, et in controversiae impetu exclamat: « Possumus enim hac aestimatione possibilitatis contendere, plures quoque uxores habuisse Ioseph, quia plures habuerit Abraham, plures habuerit Iacob; et de his esse uxoribus fratres Domini, quod plerique non tam pia quam audaci temeritate confingunt. Tu dicis Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur » (4).

Virginitatem B. Mariae Virginis contra Iovinianum vindicaverunt, tum S. HIERONYMUS, tum S. AMBROSIIUS (c. 392): « Potuerunt autem fratres esse ex Ioseph, *non ex Maria*, inquit S. AMBROSIIUS. Quod quidem si quis diligentius prosequatur, inveniet. Nos ea prosequenda non putavimus, quoniam fraternum nomen liquet pluribus esse commune » (5).

Ab hoc momento auctores 1) virginitatem B. Mariae Virginis strenue propugnauerunt; 2) fratres Domini filios S. Ioseph non fuisse

(1) S. HIERONYMUS, *In Mt.* 12, 49. 50, *P. L.* t. 26, c. 84.

(2) S. HIERONYMUS, *Adv. Helvidium*, 17, *P. L.* t. 23, c. 211.

(3) Summus Pontifex S. SIRICIUS (384-398) damnavit BONOSUM, episcopum ex Illyria, qui etiam erroris Helvidii defensor factus fuit. H. DENZINGER-BANNWART, *Enchyr. Symb.* n. 91.

(4) S. HIERONYMUS, *De perpetua virginitate Mariae adversus Helvidium*, *P. L.* t. 23, c. 213.

(5) S. AMBROSIIUS, *De institutione virginis et sanctae Mariae virginitate perpetua*, *P. L.* t. 10, c. 311. — S. HIERONYMUS, *Adv. Iovinianum libri duo*, *P. L.* t. 23, c. 221-352.

tenuerunt; 3) de vera eorum origine curam non habuerunt (1). Nostro vero tempore novum impetum contra virginitatem B. Mariae Virginis conati sunt auctores INDEPENDENTES, dicentes fratres Domini ex Evangeliiis fuisse filios matris Iesu; de hoc infra.

Testimoniis Traditionis inspectis concludere possumus:

1. Doctrina de perpetua B. Mariae virginitate est doctrina constans Traditionis; nullus e SS. Patribus dubium contra hanc doctrinam suscitavit.

2. Primum testimonium Traditionis, nempe Hegesippi, fratres Domini ut filios Ioseph non consideravit; apocrypha fratres Domini esse filios Ioseph, et sic virginitatem perpetuam B. Mariae salvare crediderunt; Origenes hanc interpretationem propagavit, quidam SS. Patres illam admiserunt, S. Hieronymus demum eius inanitatem monstravit, et cito derelicta fuit.

3. Hegesippus testatur Symeonem fuisse filium Cleopae, fratris S. Ioseph, ad familiam David pertinentem; similiter Iudas ad familiam David pertinet; e contra Iacobus ad familiam sacerdotalem Aaron, ad tribum Levi pertinet. De Ioseph nihil habet Hegesippus.

Testimonia S. Scripturae et Traditionis sequentia ergo nos docent:

1. Fratres Domini neque secundum S. Scripturam, neque secundum Traditionem sunt filii B. Mariae Virginis.

2. Fratres Domini nunquam in S. Scriptura filii Ioseph dicuntur. Interpretatio ista ab apocryphis proposita, ab Origene sparsa, a quibusdam Patribus admissa, iudicatur a S. Hieronymo « deliramenta apocryphorum » et cito derelicta fuit.

3. Secundum Hegesippum, Symeon fuit filius Cleopae, fratris S. Ioseph, consobrinus ergo Iesu, per patrem. Quia Symeon et Iudas in Evangeliiis semper simul coniunguntur, auctores communiter credunt illos fuisse fratres germanos, filios Cleopae, consobrinos Iesu.

4. Hegesippus testatur Iacobum ad familiam sacerdotalem Aaron pertinere, ad familiam Aaron et non ad familiam David. Unde non fuit filius Cleopae. Ioseph in Evangeliiis cum Iacobo communiter coniunctus, ab auctoribus frater germanus Iacobi iudicatur; sunt filii Alphaei, *Mt.* 10, 3 et loc. par., quorum mater Maria vocatur, *Mt.* 27, 56; *Mc.* 15, 40.

5. Symeon et Iudas sunt filii Cleopae ex familia David; Iacobus et Ioseph sunt filii Alphaei, ex familia Aaron, unde non sunt eiusdem familiae, consequenter non eiusdem patris, quapropter Alphaeus et

(1) CONCILIUM LATERANENSE 649 docet Verbum aeternum absque semine esse conceptum ex Spiritu Sancto in tempore, virginaliter esse genitum et Mariam post partum suam virginitatem retinuisse. H. DENZINGER-BANNWART, *Ench. Symb.*, n. 993.

Cleopas sunt personae distinctae et non nomina diversa eiusdem personae, uti quidam excogitaverunt (1).

AUCTORES CATHOLICI RECENTIORES cognationem inter Iesum et fratres Domini magis determinare conati sunt et plures interpretationes propositae fuerunt:

1. Maria Alphaei eadem est ac Maria Cleopae (vel Cleophae). Maria primum matrimonium cum Alphaeo inivit e quo duos filios habuit, Iacobum et Iose, Vidua facta, novum matrimonium cum Cleopa inivit, qui etiam ex primo matrimonio iam duos filios habuit, Symeonem et Iudam. Maria ista fuit soror B. Mariae Virginis (2).

Secundae vero nuptiae multiplicentur non oportet, et insuper hanc Mariam fuisse sororem B. Mariae Virginis e textu *S. Ioannis* 19, 25 non constat.

2. Symeon (Simon) et Iudas, secundum alios auctores, fuerunt filii Cleopae, fratris S. Ioseph, Iacobus vero et Ioseph fuerunt filii Mariae secundae, quae fuisset soror S. Ioseph et Cleopae (3).

Quae solutio valde hypothetica apparet, eo quod testimonium cognationis huius Mariae secundae cum S. Ioseph aut cum Cleopa neque in S. Scriptura, neque in Traditione invenitur.

3. Symeon et Iudas fuerunt filii Cleopae, fratris S. Ioseph, unde consobrini Iesu, (ita Hegesippus). Iacobus et Ioseph fuerunt filii Mariae Alphaei, uti supra exposuimus. Nullum argumentum habetur ad identificandam Mariam Alphaei et Mariam Cleopae; sunt duae mulieres distinctae. Quisnam sit ille Alphaeus? Nescimus, unde gradum cognationis Iacobi et Ioseph cum Iesu determinare non possumus. « De matre Iacobi et Ioseph cognoscimus nomen « Mariam », inquit J. HUBY simul cum M. J. LAGRANGE, at nihil aliud de ipsa cum certitudine asserere possumus (4) ».

3. Praeter Iesum, Maria alios filios non habuit.

Expressio « fratres Domini », uti ostendimus, argumentum contra virginitatem perpetuam B. M. V. non constituit, quia fratres illi non sunt nisi consobrini. Auctores vero *Independentes* arcte tenens

(1) D. BUZY, *Evang. de S. Matthieu* (éd. L. Pirot), 9, 1935, 166, 377.

(2) F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 539-543. — A. CHARUE, *Les Éptres Catholiques* (éd. L. Pirot), 12, 1938, 387.

(3) T. CALMES, *Evang. de S. Jean*, 1904, p. 175. — A. DURAND, *L'Enfance de Jésus-Christ*, 1908, p. 273-276. — J. VOSTÉ, *De conceptione virginali I. C. Excursus II, De Fratribus Domini*, 1933, p. 125.

(4) J. HUBY, *Evang. de S. Marc*, 1924, p. 84. De matre Iacobi et Ioseph dicit: « Les données manquent qui permettraient de trancher le débat d'une façon décisive ». Item M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Marc*, 1911, p. 89.

fratres Domini revera filios fuisse e Maria natos, et asserere quod sunt solummodo consobrini est acumen theologorum, inquit S. REINACH, et A. LOISY aperte declarat: « evidens est quod fratres Iesu sunt filii matris eius » (1). Unde ex ipsa S. Scriptura nunc ostendere conabimur quod praeter Iesum, quem virginaliter concepit ac peperit, Maria alios filios non habuit et quod fratres illi non possunt esse filii Mariae.

1. In S. Scriptura Iesus dicitur fratres et sorores habuisse; quid significat vox « frater » in Scriptura? Vox « frater » hebraice אָהַב , primario de fratre germano praedicatur, de fratre qui ex eodem patre eademque matre nascitur. Attamen vox « frater » in litteratura semitica et etiam in S. Scriptura non semper hunc sensum strictum habet, sed sensum latiore admittit. Benjamin v. g. « minimus frater » aliorum filiorum Patriarchae Iacob vocatur, de facto non fuit frater uterinus, nam e diversa matre natus erat; unde non fuit nisi « dimidius frater » caeterorum, *Gen.* 42, 15; 43, 5. Abraham et Lot fratres dicuntur, *Gen.* 13, 8; 14, 14-16; de facto Lot erat filius Aran fratris Abrahæ; Lot fuit ergo nepos Abrahæ. Laban se fratrem Iacob dicit, *Gen.* 29, 15; Laban erat filius Nachor, fratris Abrahæ, dum Iacob erat filius Isaac, et Isaac filius Abrahæ; Laban ergo et Iacob non fuerunt nisi consobrini iam distantes; etc. etc.

Vox אָהַב = frater igitur tum in sensu stricto, tum in sensu lato in S. Scriptura, in A. T., sumitur, et ratio huius est quia in linguis semiticis non adfuit terminus technicus ad varios parentelæ gradus designandos, quapropter Semitæ voce אָהַב utebantur ad quemcumque parentelæ gradum exprimendum, quod etiam apud nos fit quando de consobrinis agitur.

In A. T. igitur parentelæ gradus communiter voce אָהַב notabantur; auctores versionis Septuaginta, quando vocem אָהַב in textu hebraico legerunt, graece « ὁ ἀδελφός = frater » verterunt. Quod nunc ad N. T. pertinet, scimus quod N. T. tamquam fontem habet primitivam catechesim aramaicam graece translata; unde assumpsit etiam vocem אָהַב = ὁ ἀδελφός non solum in sensu stricto de fratribus germanis, sed etiam in sensu lato, de consobrinis et de quocumque parentelæ gradu.

2. Quattuor fratres supracitati Iacobus et Ioseph, Simeon et Iudas non sunt, uti supra monstravimus, fratres germani Iesu. At praeter illos, quaestio in S. Scriptura de aliis fratribus Domini adhuc

(1) S. REINACH, *Orpheus*, 1909, p. 329. « L'idée que ces frères et soeurs étaient des cousins, ou des enfants d'un premier mariage de Ioseph, est une subtilité des théologiens ». Deinde pergit affirmationem ex A. LOISY, *Quelques lettres*, 1908, p. 155 afferens: « C'est la croyance à la virginité de Marie qui a obligé les auteurs ecclésiastiques à expliquer, ou pourrait dire, à éliminer leur qualité ». — A. LOISY, *Les Actes des Apôtres*, 1920, p. 173. « Il est évident que les frères de Jésus sont les enfants de sa mère ».

haberi videtur, immo de sororibus, quorum nomina ignorantur. Quaeritur ergo utrum inter illos quidam uti fratres germani vel sorores germanae Domini, ex matrimonio Mariae et Ioseph nati admitti possint, n. v. utrum praeter Iesum Maria alios pueros adhuc habuerit.

a. *In Annuntiatione.* Quando angelus Gabriel nuntiavit Mariae futuram suam maternitatem, Maria explicationem desiderat, votum enim, vel saltem firmum propositum habet virginitatem suam perpetuo retinendi: «*quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?*» *Lc.* 1, 34. Sub his verbis iacet fundamentum doctrinae de perpetua virginitate Mariae. Angelus respondit Mariae quod conceptio erit supernaturalis, virginalis, quod virginitas sua intacta manebit, et tunc assensum filiationi divinae dedit. Quod Maria postea, aliorum filiorum partu, votum vel propositum illud non tenuerit, nullus textus aut nullum factum evangelicum hoc probare potest, ut ex sequentibus patet.

b. *In historia Infantiae,* disertis verbis dicitur apud *Lucam* c. 2, 7 Iesum esse primogenitum Mariae, qui ut primogenitus Domino consecrari debuit. De aliis filiis Mariae aut Ioseph in historia infantiae quaestio non habetur, etenim occasione decreti Augusti, Ioseph solus cum Maria praegnante Bethlehem ascendit, *Lc.* 2, 4. Pastores invenerunt in cavernam Mariam et Ioseph et infantem, *Lc.* 2, 16; Magi invenerunt puerum cum Maria, matre eius, *Mt.* 2, 11. Ratione decreti Herodis, Ioseph surgere debet et accipere puerum et matrem eius, *Mt.* 2, 13. 14. In his locis de solo puero Iesu loquuntur Evangelistae, ne verbum quidem de filiis Ioseph neque de aliis filiis Mariae habetur.

c. *In inventione Iesu in Templo.* Iesus duodecim annos habens ascendit cum parentibus Ierusalem occasione festivitatis paschalis. Consummatis festivitatis, Iesus insciis parentibus Ierusalem mansit. Soli parentes, Maria et Ioseph, filium suum dilectum quaerunt; de aliis fratribus Domini, de filiis aliis Mariae et Ioseph tacet Evangelista, *Lc.* 2, 41-51. Si Maria eo in tempore alios pueros habuisset, illi minores natu fuissent, nam Iesus primogenitus dicitur; et tunc quaeritur utrum Maria cum Ioseph Ierusalem ascendere potuisset et curam de domo ac familia sua aliis dereliquisset?

d. *In ministerio publico.* 1) Iesus solus et quidem emphatice «*filius Mariae*, ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας» vocatur; nullus alius hoc titulo decoratur, *Mc.* 6, 3; item Maria «*mater Iesu*» et tantum «*mater Iesu*» dicitur, quo manifestatur ipsam praeter Iesum alios filios non habuisse.

2) Iesus est primogenitus Mariae, *Lc.* 2, 7. Quando Iesus, duodecim annos habens, in Templo inventus fuit, Mariam alios filios habuisse non videtur. Fratres ergo Domini, si postea ex Maria nati fuissent, certo minores natu Iesu fuissent. Fratres vero Domini, de quibus in Evangeliiis, maiores natu Iesu erant, nam consilia ei dabant, *Ioan.* 7, 3;

credentes quod in furorem versus esset, manus in illum iniicere volebant, *Mc. 3, 21*. Secundum Orientis consuetudines vero fratres maiores natu hoc facere poterant, non vero minores natu. Unde illi fratres Domini non erant fratres germani Iesu, neque filii Mariae.

3) Iesus moriens matrem suam Ioanni commendavit. Porro si Iesus alios fratres germanos aut sorores habuisset, matrem suam non Ioanni, sed filiis matris suae commendasset, neque illam a fratribus aut sororibus separasset. Caeterum isti fratres aut sorores hanc separationem aegre sustulissent.

Concludimus ergo quod facta evangelica aperte demonstrant Mariam praeter Iesum alios filios non habuisse, atque votum seu propositum suum de virginitate perpetua fideliter observasse.

Difficultates quae afferuntur ex *Mt. 1, 18*, « *antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto* »; et ex *Mt. 1, 25* « *Et non cognoscebat eam donec peperit filium* », et demum ex *Lc. 2, 7*. « *et peperit filium suum primogenitum* », supra iam solvimus.

X. « ECCE MATER TUA »

(Ioan. 19, 27).

1. *Textus in contextu.*

Usque ad crucifixionem Iesu, nihil amplius de Maria in ministerio publico Iesu dicitur. Maria probabiliter filium suum secuta est Ierusalem ad festum Paschatis, quod erit ultimum vitae terrestres Iesu, celebrandum. Iesus Iudaeis traditus et morte damnatus, cruce oneratus ad Golgotham pergit. Quando cruci affixus et in cruce exaltatus fuit, « *stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, Maria Cleophae et Maria Magdalene* », Ioan. 19, 25. Etiam Ioannes discipulus a Iesu dilectus praesens erat. « *Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* », Ioan. 19, 26. 27. His verbis, Iesus coram mulieribus adstantibus ultimam suam voluntatem exprimit; Ioannem designans, dicit matri suae: « *Mulier ecce filius tuus* »; matrem suam designans, dicit discipulo suo: « *Ecce mater tua* ». Est tertium verbum a Christo in cruce prolatum quo matrem suam discipulo dilecto commendat. Expressio « *mulier, γυναῖ* » nullam irreverentiam denotat, uti supra Ioan. 2, 4 iam diximus; apud Homerum et Sophoclem, nomine γυνή regina designatur, et Caesar Augustus hoc nomine Cleopatram nominavit; nomen illud aliquam solemnitatem importare videtur. Iesus moriturus matrem suam solam derelinquere noluit, Ioseph enim iamdiu mortuus supponitur, et cum Maria alios filios non habuerit, Iesus matrem suam Ioanni commendavit; Maria erit Mater adoptiva Ioannis, et Ioannes de illa sicut de propria sua matre curam habebit. Quod communiter ut onus consideratur, inquit M. J. LAGRANGE, heic ut honor et insigne privilegium aestimatur; Ioannes caeterum statim adiungit: « *et ex illa hora accepit eam discipulus in sua* »; graece εἰς τὰ ἴδια, i. e. « *ad domum suam* » Esther 5, 10; 6, 12; ut eius victui et caeteris vitae necessariis provideret.

2. *De maternitate spirituali Mariae.*

Secundum sensum litteralem textus Ioannis 19, 26. 27, Iesus matrem suam Ioanni commendavit; de solo Ioanne et soli Ioanni Iesus proprie loquitur; Ioannes vices Iesu apud Mariam gerere debet,

illam nempe colere, sustentare, protegere. Sensus ille constat ex ultimis verbis ipsius Evangelistae: « *et ex illa hora accepit eam discipulus et τὰ ἰδὼν ad domum suam* ». Sic etiam intellexerunt tres principales commentatores quarti Evangelii, S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, S. AUGUSTINUS, qui in hac narratione nonnisi exemplum pietatis Iesu erga matrem et signum pudoris Salvatoris erga discipulum praedilectum perspiciunt (1). Quaeritur vero nunc utrum Iesus in cruce Mariam ut matrem nostram spiritualem proponere intenderit, ita ut Ioannes iuxta crucem omnes Christifideles repraesentaverit? Conceptus ille secundum quem Ioannes stans iuxta crucem omnes Christifideles repraesentat, et Maria ut mater a Iesu omnibus fidelibus datur, primo apud RUPERTUM ABBATEM TUITENSEM, saec. XII, apparet: « quia in passione Unigeniti omnium nostrum salutem beata Virgo peperit, plane omnium nostrum mater est. Igitur quod de hoc discipulo dictum est ab eo recte et de alio quolibet discipulo, si praesens adesset, dici potuisset, nisi quia licet omnium, ut dictum est, mater sit, pulchrius tamen huic ut virgo virgini commendari debuit » (2). Diligenter legenti hunc textum RUPERTI statim apparet doctrinam a RUPERTO propositam circa maternitatem spiritualem Mariae non e textu *Ioannis* 19, 27 originem ducere, sed semel admissa doctrina de maternitate spirituali Mariae, textus *Ioannis* de Ioanne et alio quolibet discipulo « *dici potuisset* ». DIONYSIUS CHARTUSIANUS, doctor exstaticus, saeculo XV, primus fuit qui directe et disertis verbis textum *Ioannis* 19, 27, de maternitate spirituali Mariae est interpretatus: « Discipulus dilectus designat quemque fidelium, Iesus dicens « Ecce mater tua, dedit Mariam ut matrem unicuique christianorum ».

Posteriorius plerique auctores textum *Ioannis* de maternitate spirituali Mariae interpretati sunt, se ad documentum LEONIS XIII referentes, nempe ad Encyclicam « *Adiutricem* » die 5 Septembris 1895 datam: « Eximiae in nos charitatis Christi mysterium ex eo quoque luculenter proditur, quod moriens Matrem ille suam Ioanni discipulo matrem voluit relictam, testimonio memori: Ecce filius tuus. In Ioanne autem, quod perpetuo sensit Ecclesia, designavit Christus personam humani generis, eorum in primis qui sibi ex fide adhaerescerent: in qua sententia, sanctus Anselmus Cantuariensis: Quid, inquit, potest dignius aestimari, quam ut tu, Virgo, sis mater quorum Christus dignatur esse pater et frater? ».

LEO XIII, uti ex contextu constat, exponit doctrinam Ecclesiae

(1) S. IOANNES CHRYS. In *Ioannem*, hom. 85, P. G. t. 59, c. 462. — S. CYRILLUS ALEX. In *Ioannem*, lect. XII, P. G. t. 74, c. 665. — S. AUGUSTINUS, In *Ioannem*, tr. 119, P. L. t. 35, c. 1950.

(2) RUPERTUS TUITENSIS, In *Ioannem* 19, 26. 27. P. L. t. 169, c. 789-790.

secundum quam Maria est mater generis humani et in primis omnium fidelium; unde verba « Ecce filius tuus » omnibus applicari possunt, in sensu nempe accommodatio, non vero in sensu litterali, uti S. Anselmus etiam in oratione 47 dicit. T. GALLUS qui sequitur P. GÄCHTER etiam credit quod verba « mulier, ecce filius tuus » in mente Christi maternitatem supernaturalem Mariae exprimunt (1). In principio vero articuli sui, adnotat T. GALLUS quod « Auctor inspiratus sacrorum librorum potest quidem, sed non debet necessario scire plenum sensum verborum a loquente intentum, in nostro casu, sensum verborum Christi ab ipso Christo intentum ». Principium illud est verum, at possumusne illud in casu nostro admittere? Ultima ista verba Christi constituunt quasi testamentum Christi, et verba ad Mariam et ad Ioannem diriguntur. Estne verisimile quod ea in circumstantia Christus adhibuerit verba, dicam ambigua, quae variis in sensibus intellegi poterant? et non verba clarissima ultimam suam voluntatem exprimentia?

Doctrina de maternitate spirituali Mariae est doctrina certa, ex praedicatione universali Ecclesiae. Principium huius maternitatis est munus Coredemptricis. *Essentialiter* facta est Maria mater nostra, inquit H. B. MERKELBACH, eo momento quo consensum initialem dedit generationi Dei-Salvatoris, nam ipse auctor vitae spiritualis et omnes gratiae vi praedicti consensus nobis advenerunt. Hoc itaque consensu initiali redemptionis, vere concepit et genuit nos spiritualiter, quod est titulus de se sufficiens ut sit mater nostra.

Perfectius tamen et *complete* magis voluit nos generare et esse mater nostra. Stans iuxta crucem Maria Patri caelesti filium suum divinum offert, illumque offert ut mater, cum perfecta subiectione voluntati Patris caelestis, Iesus pro nostra redemptione, pro nostra salute moriens, nos ut fratres accepit, et Maria huic sacrificio voluntarie consentiens, nos sibi ut filios adoptavit. Illud « fiat » nempe incarnationis, illud « fiat » quod in incarnatione dedit, iuxta crucem perfecit. Consensus Mariae in incarnationem Salvatoris *est elementum constitutivum essentialiale* sed *inchoativum* maternitatis spiritualis, cooperatio ad passionem Christi et mortem *elementum integrale* sed *completivum* (2).

Maternitas spiritualis Mariae radices profundiores ergo habet quam illa libera donatio Christi in cruce. Maria est mater nostra quia christiani facti sumus. Vi enim gratiae sanctificantis Christianus factus est frater spiritualis, frater adoptivus Iesu, et quia Maria est mater Iesu, etiam mater nostra spiritualis dicenda est; insuper, vi eiusdem

(1) T. GALLUS, « Mulier, ecce filius tuus » (Io. 19, 26) *V.D.* 21, 1941, 289-297. — P. GÄCHTER, *Die geistliche Mutterschaft Marias, ein Beitrag zur Erklärung von Joh. 19-26*, *ZKT.* 47, 1923, 391-429.

(2) H. B. MERKELBACH, *Mariologia*, 1939, p. 303.

gratiae, quilibet christianus factus est alter Christus, et ratione huius identitatis mysticae inter Christum et christianum verificantur haec verba Christi in cruce pendentis ad matrem suam et ad discipulum: « quisquis perfectus est, inquit ORIGENES, non amplius vivit ipse, sed in ipso vivit Christus. Cumque in ipso vivat Christus, dicitur de eo Mariae: Ecce filius tuus, Christus » (1). Demum regenerati per gratiam sanctificantem cum Christo unum corpus mysticum constituimus, cuius ipse est caput, nos vero membra. Porro Maria voluntarie concepit et in sinu suo gestavit totum eius corpus (2). « Illa una femina, inquit S. AUGUSTINUS, non solum spiritu, verum etiam corpore et mater est et virgo: et mater quidem spiritu, non capitis nostri qui est Salvator..., sed plane membrorum eius, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur qui illius membra sunt » (3).

Opinamur ergo quod maternitas spiritualis Mariae, quamvis sit theologicè stabilita, in textu *Ioannis* 19, 27 tamen, secundum sensum litteralem non occurrit, sed argumentatione theologica ex illo deducitur (4).

CONCLUSIONES.

1. Maria plena gratia ab angelo salutatur, *Lc.* 1, 28; quae plenitudo importat, credimus, liberationem etiam a peccato originali, ita ut illud dogma de Immaculata Conceptione B. Mariae in hac salutatione saltem insinuetur.

2. Angelus annuntiat quod Maria concipiet ac pariet, et quidem virginaliter, *Lc.* 1, 31. 35, sicut iam praedictum fuit ab *Isaia* 7, 14, addit *S. Matthaeus* 1, 22. 23. De facto virginaliter concepit Maria, *Mt.* 1, 18, et virginaliter etiam peperit filium suum primogenitum, *Lc.* 2, 7; *Mt.* 1, 25, sine doloribus *Lc.* 2, 7, et quidem in Bethlehem, sicut *Michaeas* 5, 1. 2 iam praedixerat, *Mt.* 2, 5. 6; *Lc.* 2, 6. 7.

3. Maria votum vel propositum firmum virginitatis emisit, *Lc.* 1, 34 et sub his verbis, credimus, iacet fundamentum dogmatis perpetuae virginitatis Mariae. Mentio de fratribus ac sororibus Domini,

(1) ORIGENES, *In Ioannem, Proemium*, 6. P. G. t. 14, c. 32. Argumentum ORIGENIS ad hoc reduci potest: « Maria unicum tantum filium, Iesum, habet; porro Iesus designans Ioannem dicit Mariae: « Ecce filius tuus », et non « iste etiam est filius tuus ». Iesus ergo se cum Ioanne identificat; at quod Ioanni convenit, eademque christiano perfecto convenit. » Il est clair que ce n'est point là le sens littéral du texte. Cfr. F. PRAT, *Jésus Christ*, 2, 1933, 40 n. 1.

(2) H. B. MERKELBACH, *Mariologia*, 1939, p. 298.

(3) S. AUGUSTINUS, *De sancta virginitate*, 6. P. L. t. 49, c. 399.

(4) J. B. TERRIEN, *La mère des hommes*, 4, 1902, 217-337, sensum pure accommodatitium prosum; excludit; sensum tenet litteralem, non vero consequentem sed immediatum. Fatetur tamen quod nullum cognoscit auctorem qui hanc suam sententiam propugnat, p. 274.

Ioan. 2, 12 argumentum non est contra perpetuam virginitatem B. Mariae. E S. Scriptura enim constat Iesum esse primogenitum et unicum filium Mariae; Scriptura simul cum Traditione asserit quattuor fratres Iesu nominatim cognitos non esse nisi consobrinos.

4. Occasione visitationis Mariae ad Elisabeth, Elisabeth proclamat Mariam a) benedictam inter omnes mulieres, ratione praegnationis suae supernaturalis, *Lc.* 1, 42, et b) beatam, ratione fidei suae in annuntiatione, *Lc.* 1, 45.

5. Humilitas Mariae modo speciali elucet in cantico «Magnificat»: nihil enim sibi, sed omnia Deo attribuit: «fecit mihi magna qui potens est» *Lc.* 1, 49. Opus in illa adimpletum est opus divinae misericordiae ac omnipotentiae, *Lc.* 1, 50. 51, et opere illo novum regnum, regnum messianicum incipit, *Lc.* 1, 54. 55. Eadem humilitas manifestatur in facto quod Maria fideliter praescriptionibus Legis mosaicae se subiecit, v. g. occasione purificationis, *Lc.* 22. 27.

6. Maria revera est mater Iesu-hominis; concepit filium in utero *Lc.* 1, 38 gestavit illum *Mt.* 1, 18. 19; *Lc.* 2, 6, et peperit Iesum, *Lc.* 2, 7, *Mt.* 1, 18. Sed est etiam vera mater Dei-hominis. Iesus enim est Deus qui veram carnem, veram naturam humanam assumpsit, *Rom.* 9, 5; *Ioan.* 1, 1. 14; *Philip.* 2, 6. 7; *Gal.* 4, 4. Carnem ex Maria assumpsit; Maria enim Iesum genuit, *Lc.* 2, 7; *Mt.* 1, 25. Ergo Maria est vera mater Dei-hominis (1).

7. Simeon multas passiones Mariae praedixit, *Lc.* 2, 34, illaeque iam incepterunt quando Iesus duodecim annos habebat, *Lc.* 2, 48; Maria simul cum Filio suo patietur, praesertim in hora passionis Iesu; passiones illae erunt consequentiae discriminum quae circa filium suum orientur, *Lc.* 2, 34.

8. Maria pro hominibus intercedit, et eius deprecatio a Iesu exauditur, *Ioan.* 2, 3. 7, quia cum divina voluntate consonat.

(1) F. CEUPPENS, *Theologia Biblica, De Incarnatione*, 3, 1939, Iesus = Deus, p. 31-52; Iesus = homo, p. 53-64; Iesus = Deus-homo, p. 65-81.

PARS SECUNDA

THEOLOGICA

MARIOLOGIA BIBLICA ET S. THOMAS.

S. THOMAS doctrinam suam mariologicam in tractatu «*De Incarnatione*» P. III. q. XXVII-XXXVII exponit. Investigare nunc intendimus utrum doctrina S. Thomae, in his quaestionibus exposita, fundamentum in S. Scripturis habeat, et utrum conclusiones S. Thomae sint semper conformes cum his quae in S. Scripturis exponuntur.

1. *De B. Virginis Mariae sanctificatione*, q. 27.

S. Thomas in hac quaestione docet quod cum Ieremias et Ioannes Baptista sanctificati fuerint ante nativitatem ex utero, rationabiliter creditur quod B. Virgo, quae ab angelo «Ave, gratia plena» salutatur, sanctificata fuerit antequam ex utero nasceretur, A. I, illaque sanctificatio facta esset, sicut pro Ieremia et Ioanne Baptista, post Mariae animationem, A. II, et Mariae excellentia super Ieremiam et Baptistam consisteret in hoc quod B. Virgini praestitum est ut de caetero non peccaret nec mortaliter, nec venialiter; aliis autem sanctificatis (nempè Ieremia et Baptista) creditur praestitum esse ut de caetero mortaliter non peccarent, divina eos gratia protegente, A. VI, ad 1^{um}.

Verum est, uti Angelicus rite adnotat, quod de sanctificatione B. Mariae Virginis ante nativitatem ex utero nihil disertis verbis in S. Scriptura habetur. Quaedam tamen de sanctificatione B. Mariae insinuantur. Maria ab Angelo Annuntiationis antonomastice κεχαριτωμένη, gratia plena, salutatur, est quasi nomen proprium Mariae, quo significatur Mariam a Deo privilegium specialissimum accepisse, quo ab omnibus aliis hominibus distinguitur, illudque accepit ratione fu-

turae suae maternitatis divinae, uti supra ostendimus. Privilegium illud non potest esse sanctificatio ante nativitatem ex utero, nam etiam Ioannes Baptista hanc gratiam accepit, non vero Ieremias. Unde quid aliud divinitus accepit Maria? Essetne forsán privilegium de caetero nec mortaliter, nec venialiter peccandi, quo a Ioanne Baptista distingueretur, qui gratiam de caetero non mortaliter peccandi accepisset? At excellentia Mariae supra Baptistam essetne sufficiens ad Mariam antonomastice *κεχαριτωμένη* gratia plenam salutandam? Haud facile hoc admittere possumus. Cognito autem dogmate Immaculatae Conceptionis, credimus hanc doctrinam heic saltem primum suum fundamentum habere. Plenitudo gratiae, de qua in salutatione angelica, non erit perfecta, neque privilegium unicum Mariae reservatum dici potest, nisi se extendat usque ad primum momentum existentiae personalis Mariae.

Admittimus ergo cum S. Thoma Mariam plenitudinem gratiae accepisse, plenitudo vero illa importat etiam conceptionem immaculatam B. Mariae Virginis. Relicimus vero conclusiones quae volunt 1) Mariam, ad modum Ioannis Baptistae, ante nativitatem ex utero sanctificatam fuisse; 2) Mariam post suam animationem sanctificatam fuisse in utero; 3) excellentiam Mariae super Baptistam solummodo constitutam fuisse in privilegio de caetero nec mortaliter, nec venialiter peccandi.

2. De Virginitate B. Mariae, q. 28.

S. THOMAS quattuor articulos habet quoad hanc doctrinam:

Art. I. *Utrum Maria fuerit Virgo in concipiendo?* Simpliciter confitendum est matrem Christi virginem concepisse, inquit Angelicus. Et revera, conceptio virginalis ab *Isaia* 7, 14 iam praedicta fuit: in sua visione prophetica vidit *Isaías* Virginem gravidam, puellam quae non obstante sua praegnatione *‘almāh*, virgo, vocari potest, cuius alia ratio adesse non videtur nisi quod, etiam conceptione peracta, virginitatis signaculum intactum retinuit. — Haec doctrina dilucide constat: 1) ex evangelio *Lucae* 1, 34. 35, ubi Maria contra futuram suam maternitatem difficultatem posuit ex voto suo vel firmo suo proposito virginitatis proveniente: « *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* » v. 34. Cui difficultati respondit Angelus: « *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* » v. 35. 2) Ex *Matthaeo* c. 1, 18. 20. 23. « Cum esset desponsata mater eius Maria Iosephi, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto » v. 18. Ioseph mysterium ignorans, vult Mariam occulte dimittere; Angelus illum admonet dicens: « *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est,* » v. 20.

Immo Matthaeus in facto huius conceptionis virginalis vidit prophetiae Isaiae 7, 14, adimpletionem.

Art. II. *Utrum mater Dei fuerit virgo in partu?* Absque omni dubio asserendum est, matrem Christi etiam in partu virginem fuisse. Ita S. Thomas. Non solam conceptionem virginalem, verum etiam partum virginalem praedixit Isaías 7, 14: «*Ecce virgo gravida (est) et pariens*»; in ipso actu propheta puellam semper hā 'almāh (cum articulo et cum solemnitate) virginem vocat, quo propheta asserere intendit hanc puellam in ipso partu virginitatem suam intactam retinuisse. Quae doctrina Novo Testamento confirmatur, Matthaeus enim dicit quod «*Ioseph non cognoscebat eam (Mariam) donec peperit filium suum primogenitum*», 1, 25; his verbis alludit Matthaeus certo ad partum virginalem Mariae, eo quod in tota ista narratione adimpletionem prophetiae Isaiae de conceptione et partu virginali Mariae, Is. 7, 14 perspicit. Quando Lucas 2, 7 dicit quod «*Maria peperit filium suum primogenitum, quod pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio*» valde probabiliter partus virginalis et partus absque doloribus in animo Evangelistae fuerunt.

Art. III. *Utrum mater Dei permanserit virgo post partum?* Mater Dei sicut virgo concepit, et virgo peperit, ita etiam et virgo post partum in sempiternum permansit, concludit S. Thomas.

De virginitate perpetua B. Mariae aperte nihil in S. Scriptura docetur; at credimus hanc doctrinam tamen sub litteris sacris iacere. Quando angelus Gabriel futuram electionem Mariae in matrem Filii Altissimi annuntiavit, Maria conscientiae difficultatem proposuit: «*quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*» Lc. 1, 34. Votum vel propositum firmum virginitatis perpetuae habuit. Post hanc quaestionem, in hoc solempni momento positam, quisnam dicere adhuc auderet Mariam, nato filio suo divino, illud votum aut propositum non tenuisse? Difficultates contra virginitatem Mariae ab adversariis afferuntur: 1) *Iesus fratres et sorores habuisset!* utique, sed illi qui fratres et sorores Iesu in Evangeliiis nuncupantur, non erant nisi consobrini et consobrinae, uti ostendimus. 2) «*Antequam convenirent*, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto», Mt. 1, 18. Ergo postea Maria et Ioseph convenerunt, relationes ergo carnales habuerunt. Nullatenus, nam uti S. Hieronymus habet: «*quod dicitur «antequam convenirent» non sequitur ut postea convenerint, sed scriptura quod factum sit, ostendit*»; id est Scriptura narrat id quod usque nunc factum est, de futuro non loquitur. 3) Idem Matthaeus 1, 25 habet: «*Non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum*». Iesus ergo primogenitus dicitur, unde post illum Maria alios pueros habuit; usque ad nativitatem Iesu Ioseph relationes carnales cum Mariae non habuit, postea ergo

illos habuit. Ad hanc difficultatem supra adnotavimus: a) quod expressio « *primogenitus* » est terminus legalis quo designatur ille qui vulvam matris adaperit; semper « *primogenitus* » dicitur, sive postea sint adhuc alii filii, sive non. Deinde « *donec* » est hebraismus non respiciens futurum sed tantum praeteritum et praesens, id nempe quod usque nunc est factum. Usque ad partum Iesu Ioseph non cognovit Mariam, de his autem quae postea evenerunt non loquitur S. Scriptura. Evangelista intendit heic illa tantum exponere quae usque ad nativitatem Iesu facta sunt.

Art. IV. *Utrum mater Dei virginitatem voverit?* « Mater Dei, inquit S. Thomas, non creditur, antequam desponsaretur Ioseph, absolute virginitatem vovisse; sed licet eam in desiderio habuerit, super hoc tamen voluntatem suam divino commisit arbitrio. Postmodum vero, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit ». « Absolute vovit, antequam ab angelo annuntiaretur », ad 1^{um}. Responsio Mariae ad angelum annuntiationis monstrat Mariam votum vel saltem propositum firmum habuisse virginitatem perpetuam conservandi; allusio forsan ad illud votum aut propositum inveniri potest in expressione qua Ioseph uxorem suam gravidam designat ἐμνηστευμένη, *Lc.* 2, 5, et qua votum aut propositum virginitatis commemorare videtur. Quandonam Maria illud votum emisit, communiter dicitur ante matrimonium suum cum Ioseph. Utrum Ioseph accepta sponsa, simul cum ipsa votum virginitatis emisit, e S. Scripturae textibus deduci nequit.

3. De Matris Dei desponsatione, q. 29.

Art. I. *Utrum Christus nasci debuerit de virgine desponsata?* S. Thomas respondit: « Conveniens fuit Christum de desponsata virgine nasci, tum propter ipsum, tum propter matrem, tum etiam propter nos ». Quod Iesus de virgine nasci deberet iam in A. T. praedictum fuerat, *Is.* 7, 14 et quod de virgine desponsata et matrimonio iuncta nasci deberet, sic Deus ipse statuerat; etenim: quando Ioseph prima praegnationis Mariae signa vidit, et ignorans ea quae in Maria facta erant, voluit occulte dimittere eam. Divinitus vero de mysterio Incarnationis admonitus, uxorem suam in domo sua retinuit; vel secundum alios, Mariam in domum suam introduxit ac solemniter matrimonium inivit, *Mt.* 1, 24. Quando venit postea edictum Caesaris Augusti, ascendit Ioseph a Galilaea in Bethlehem cum uxore sua, quae erat gravida, et cum essent ibi, peperit Maria filium suum primogenitum, *Lc.* 2, 1-7. Ioseph autem non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum, *Mt.* 1, 25. Iesus ergo de facto natus est de matre virgine quae

matrimonium Ioseph coniuncta erat; haec fuit voluntas divina. Rationes a S. Thoma adiunctae sunt rationes convenientiae.

Art. II. *Utrum inter Mariam et Ioseph fuerit verum matrimonium?* Affirmative respondit Angelicus. Quae responsio assertionibus S. Scripturae plane consonat. Etenim Ioseph admonitione angeli pacificatus, statuit Mariam coniugem suam in domo sua retinere, vel, iuxta alios, cohabitationem incipere, *Mt.* 1, 24. Cohabitatio vero apud Iudaeos verum matrimonium denotat. Unde sive expressio « accepit coniugem suam » explicetur de matrimonio iam inito, sive de solemnii matrimonii celebratione, semper de vero matrimonio quaestio habetur. Quando Ioseph, occasione descriptionis Caesaris Augusti Bethlehem ascendit, Maria coniux Ioseph vocatur, et cum illo ascendit ut describeretur. Deinde relationes quae existunt inter Iesum ex una parte, et Ioseph et Mariam ex alia parte, sunt relationes inter filium et parentes legaliter matrimonio unitos. Ioseph et Maria « parentes Iesu » a *Luca* 2, 27. 41 vocantur; Maria ipsa vocat Ioseph patrem Iesu, *Lc.* 2, 48. Iudaei inimici Iesu contra assertiones Iesu insurgunt dicentes: « Nonne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? » *Ioan.* 6, 42; nunquam dicunt Iesum esse illegitime natum. Iudaei ipsi ergo considerant Ioseph et Mariam ut legitime matrimonio coniunctos.

4. De Beatae Mariae Virginis annuntiatione, q. 30.

Annuntiationis narrationem supra exposuimus, *Lc.* 1, 26-38. S. Thomas in tribus prioribus articulis quaerit: Art. I. Utrum necessarium fuerit annuntiari B. Virgini quod in ea erat generandum? A. II. Utrum annuntiatio B. Virginis fieri debuerit per angelum? Art. III. Utrum angelus annuntians debuerit B. Virgini visione corporali apparere? Annuntiatio ista de futura generatione Christi revera Mariae est facta; a Deo ipso est voluta qui legatum suum caelestem ad Virginem misit; facta est per angelum, et quidem per archangelum Gabriel; omnia indicare videntur Angelum sub forma visibili, corporali, Mariae apparuisse, *Lc.* 1, 26. 27. Annuntiatio sub hac forma certo non erat necessaria, necessitate absoluta, quia etiam revelatione interna Deus haec omnia Mariae communicare potuisset; attamen quia « ea quae sunt oculis subiecta certius apprehendimus quam ea quae imaginamur », cum S. Thoma concludere possumus quod « congruum fuit » quod facta fuerit annuntiatio Mariae per angelum, visione corporali.

Art. IV. *Utrum annuntiatio convenienti fuerit ordine perfecta?* « Annuntiatio congruo ordine per angelum est perfecta », respondit S. Thomas. In hac narratione tres partes bene distinctae habentur et quae ordine lo-

gico sibi succedunt, nempe 1. *Salutatio*, v. 28; 2. *Annuntiatio Mariae* facta, vv. 31-36. 3. *Assensus Mariae*, v. 38.

1) *Salutatio angeli*. Ave, graece $\chi\alpha\iota\rho\epsilon$, salutatio semitica in A. T. adhibita ad nuntium messianicum introducendum, medium aptissimum ad mentem Mariae attentam reddendam illamque ad gaudium provehendam.

gratia plena, est quasi nomen proprium Mariae quo summa eius dignitas exprimitur et ratione cuius ut mater futuri Messiae eligitur.

Dominus tecum, onus nuntiandum est onus difficillimum et quidem valde amarum, auxilium vero divinum semper cum Maria erit.

Haec sunt revera praenotamina ad ipsam annuntiationem. Maria, haec audiens, haud dubio perturbata fuit, sed tamen cum quadam impatientia nuntium expectare debuit, illudque statim sequitur.

2) *Annuntiatio*. Videns perturbationem Mariae, angelus addit: « Ne timeas Maria », deinde nuntium protulit. Maria concipiet et pariet filium. Qualitates pueri manifestant puerum futurum esse mirabilem: erit magnus, filius Altissimi, sedens super thronum David; filius ille erit Messias a prophetis praedictus.

Maria nuntium de futura sua maternitate intellexit, at difficultas adest, votum vel propositum suae virginitatis. Difficultas illa non stat, inquit angelus, nam omnipotentia divina Maria virginaliter concipiet et pariet.

3) *Assensus Mariae*. Obstaculo ablato, Maria suum assensum dat, et sic angelus scopum suum attingit, animum Mariae ad consensum inducere.

Sola lectio narrationis S. Lucae manifestat ordinem perfectum observatum fuisse in Annuntiatione B. Mariae facta.

5. De Conceptione Salvatoris quoad materiam de qua corpus eius conceptum est, q. 31.

Art. I. *Utrum caro Christi fuerit sumpta de Adam?* Christus certo naturam humanam assumpsit, uti supra iam probavimus: « Et Verbum caro factum est: $\acute{o} \lambda\acute{o}\gamma\omicron\varsigma \sigma\acute{\alpha}\rho\chi \acute{\epsilon}\gamma\acute{\epsilon}\nu\epsilon\tau\omicron$ », *Ioan.* 1, 14. — « Qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus » *Phil.* 2, 7. — In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter », *Col.* 2, 9, 9 (1).

Undenam provenit ista natura humana, seu istud corpus humanum quod Christus incarnatione assumpsit? S. Paulus dicere videtur corpus

(1) F. CEUPPENS, *Thcol. Bibl. De Trinitate*, 2, 1938, 137, 182. — *De Incarnatione*, 3, 1939, 53-63.

Christi e caelo venisse: « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis », *I Cor.* 15, 7. Graece deest « caelestis ». Corpus Christi ergo iam exstitit in caelo ante suam apparitionem super terram, unde Christus carnem neque de Adam, neque de David (Art. II) assumpsit. Hanc difficultatem, in capite V ubi de Maria, matre Iesu-hominis agebatur, iam solvimus: 1) S. Paulus in *I Cor.* 15, 46 omnem praeexistentiam corporis Christi in caelo excludit. 2) In contextu quaestio versatur circa qualitates corporum resuscitatorum: In vita praesenti configurati sumus homini terreno, nam sicut ipse habebimus corpus terrenum, mortale, e limo terrae formatum; in vita futura, configurati erimus homini de caelo, non amplius habebimus corpus mortale, terrenum, sed corpus gloriosum, simile corpori Christi resuscitati, corpus immortale, aptum ad vitam caelestem. Ex contextu igitur constat quod apud Paulum quaestio de praeexistentia corporis Christi non agitur, neque de origine corporis Christi humani, sed de qualitate huius corporis post resurrectionem.

Caro Christi de facto sumpta fuit de Adam, nam *S. Lucas* 3, 23. 38, genealogiam Christi exponens, dicit quod fuit filius Adam. Conceptio vero Christi fuit supernaturalis, virginalis; conceptus non est ex virili semine, unde non fuit sumptum corpus Christi de Adam secundum seminalem rationem, sed tantum secundum corpulentam substantiam, quia, uti infra videbimus, formatum fuit e purissimis sanguinibus B. Mariae, quae fuit filia Adam.

Art. II. *Utrum caro Christi fuerit sumpta de David?* Caro Christi certo de David est sumpta. Matthaeus enim Christi genealogiam his verbis incipit: « Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham », *Mt.* 1, 1. Lucas etiam in Christi genealogia Iesum ad familiam David pertinere asserit, *Lc.* 3, 23. 31. Angelus annuntiationis dicit Mariae quod filius nasciturus sedebit super thronum David, patris eius, *Lc.* 1, 32. Coaetanei Iesu illum filium David salutant: « Hosanna filio David » *Mt.* 21, 9; *Mc.* 11, 10. Scribae ipsi Iesum esse filium David docent: « Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? Dicunt ei David », *Mt.* 22, 42; *Mc.* 12, 35; *Lc.* 20, 41-42. S. Paulus dicit Iesum factum esse ἐκ σπέρματος Δαυὶδ, ex semine David », *Rom.* 1, 3; *II Tim.* 2, 8.

Quod in Art. I de generatione ex Adam diximus, heic etiam de generatione ex David est dicendum: Angelus annuntiationis conceptionem virginalem Mariae nuntiaverat, et eodem tempore vocavit David patrem pueri nascituri; unde Iesus carnem de David non sumpsit secundum seminalem rationem sed secundum corpulentam substantiam. Conceptio virginalis quae explicitis verbis tum apud *Mt.* 1, 20, tum apud *Lc.* 1, 35 proponitur et quam Matthaeus iam ab *Isaia* 7, 14 praedictam asserit, est doctrina ad traditionem primitivam pertinens, et

quae ergo S. Paulo etiam nota erat. Quando S. Paulus ergo dicit ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, «*ex semine David*», semen non in sensu stricto, de semine virili, sed in sensu lato, de familia seu de posteritate David, est intellegendum.

Quomodo Iesus ad familiam David pertinere potest? Duplici modo: a) vel per Patrem Ioseph, qui filius David ab angelo salutatur, *Mt.* 1, 20. Ioseph erat pater legalis Iesu, et paternitas legalis apud Iudaeos iisdem iuribus gaudet ac paternitas carnalis; b) vel per Matrem, per Mariam, quae secundum omnem probabilitatem erat originis davidicae, uti Patres antiquiores iam docuerunt: S. Iustinus, S. Irenaeus, Tertullianus (1). Caeterum, ipsa annuntiationis narratio insinuare videtur quod Iesus per matrem suam ad posteritatem David pertinuit, nam Iesus, filius Mariae, in hac narratione uti originem davidicam habens ostenditur, quin ulla mentio de Ioseph habeatur, *Lc.* 1, 32.

Difficultas quaedam contra originem davidicam Mariae ponitur ex facto quod Maria cognata Elisabeth dicitur, *Lc.* 1, 36. Elisabeth erat filia Aaron, *Lc.* 1, 5, et Aaron fuit de tribu Levi, *Ex.* 6, 20. Elisabeth igitur erat de tribu Levi, unde etiam Maria erat ex tribu Levi et non ex tribu Iuda sicut David. Maria ergo non erat filia David.

Admissa, non vero concessa conclusione, semper remanet Iesum esse originis davidicae per patrem suum legalem Ioseph. Insuper cognatio inter duas personas non importat quod sint eiusdem stirpis, uti S. THOMAS rite adnotat in responsione ad secundam difficultatem: «Potuit fieri, inquit, ut pater Elisabeth aliquam uxorem habuerit de stirpe David, ratione cuius B. Virgo Maria, quae fuit de stirpe David, esset Elisabeth cognata; vel potius e converso, quod pater B. Mariae de stirpe David exsistens, uxorem habuerit de stirpe Aaron: vel, sicut Augustinus dicit, 23 contra Faustum, cap. 4, si Ioachim pater Mariae de stirpe Aaron fuit (ut Faustus haereticus per quasdam scripturas apocryphas asserebat), credendum est quod mater Ioachim fuerit de stirpe David, vel etiam uxor eius, ita ut per aliquem modum Mariam dicamus fuisse de stirpe David».

Art. III. *Utrum convenienter genealogia Christi ab Evangelistis texatur?* Genealogiae, quae in Evangeliiis *Mt.* 1, 1-16 et *Lucae* 3, 23-38 habentur, non arbitrarie, sed systematice sunt compositae. Apud Matthaeum e triplici serie quattuordecim generationum est composita, et secundum divisionem historiae populi iudaici proponitur: a) Ab Abraham ad David, vv. 2-5. b) A Salomone ad captivitatem, vv. 6-11.

(1) S. IUSTINUS, *Dialogus cum Tryphone*, XLIII, XLV, C, CXX, P. G. t. 6, c. 566, 571-710, 754. — S. IRENAEUS, *Adv. Haer.* III, 21, 5. P. G. t. 7, c. 951, 952. TERTULLIANUS, *Contra Marcionem*, III, 17; IV, 1. P. L. t. 2, c. 372, 390.

c) A captivitate ad *Iesum*, vv. 12-16. Lucas modo inverso procedit, non descendit ab Abraham ad Iesum, sed ascendit a Iesu ad Abraham et quidem ad Adam et ad Deum. Lucas etiam tres divisiones historiae iudaicae habet: a) A Iesu ad Zorobabel, i. e. ad captivitatem, vv. 23-27a. b) A Salathiel ad David, vv. 27b-31. c) A David ad Abraham, vv. 32-34a. At quia altius adhuc ascendit, ad Adam et ad Deum, quartam partem adiungit, vv. 34b-38, quam prae-historiam vocamus. Constat igitur genealogias istas convenienter esse factas.

Difficultas vero habetur, nam primo aspectu duplex illa genealogia est plane diversa: 1) A Davide omnia nomina, exceptis nominibus Salathiel et Zorobabel, sunt diversa. 2) Ioseph dicitur duos patres habuisse: Iacob apud *Mt.* 1, 16, et Heli apud *Lc.* 3, 23; item Salathiel est filius Iechonias apud *Mt.* 1, 12 et filius Neri apud *Lc.* 3, 27. Ex quo constat genealogias Christi non fuisse convenienter sed e contra arbitrarie textas.

Ad hanc difficultatem solvendam, auctores quidam recentiores contendunt Matthaeum genealogiam Ioseph dedisse, Lucam vero genealogiam Mariae. Sic difficultas revera supprimitur, nam duae genealogiae diversae habentur, quae conciliatione non indigent, una per patrem legalem, alia per matrem. Lucas daret, secundum illos, genealogiam Mariae et ad hoc probandum explicant *Lc.* 3, 23: « Iesus erat incipiens quasi annorum triginta qui fuit filius, non Ioseph, uti putabatur, sed Heli, qui fuit Mathan », etc. Heli vero est abbreviatio Eliachim, et Eliachim idem sonat ac Ioachim (Io est abbreviatio Jahweh, Deus, et El etiam est Deus). Auctores illi ergo contendunt quod τοῦ Ἠλὶ non est referendum ad Ἰωσήφ, sed ad ὧν υἱός. Sententia ista quam plerique Catholici et etiam quidam non Catholici proponunt (1) iam saeculo IV nota erat, nam S. HILARIUS († circa 449 secundum J. Tixeront) illam affert, non ut propriam, sed ut sententiam suo tempore propositam; omnino vero derelicta fuit usque ad finem s. XV; unde neque inter theologos Medii Aevi sequaces invenit. Circa finem s. XV (1490) Ioannes Nonni, alias ANNIUS VITERBIENSIS, sententiam a s. IV derelictam iterum suscitavit illique aliquam auctoritatem dedit. Interpretatio ista certo traditionalis dici nequit. Insuper neque apud Semitas, neque apud Iudaeos exstitit consuetudo genealogiam texendi per matrem, per mulierem; modus ergo procedendi esset modus extraordinarius, et modus extraordinarius semper est probandus. Argu-

(1) P. VOGT, *Der Stammbaum Christi bei den heiligen Evangelisten Matthaeus und Lukas*, • *Bibl. Stud.* • 12, 3, 1907: hanc interpretationem admittit quia aliae nimis favent Rationalistae, p. 16, n. 7. — J. M. HEER, *Die Stammbäume Jesu nach Matthaeus und Lukas*, • *Bibl. Stud.* • XV, 1, 2, 1910. — E. RUFFINI, *Introd. in S. Scripturam* II, 1, 1925, 184-193. — J. PRADO, *Praelectionum Biblicarum Compendium: Nov. Testam.* 1942, p. 78. Sic etiam explicant: ERASMUS CAIETANUS, F. C. FILLION, F. GODET, J. B. LIGHTFOOT, B. WEISS, etc.

mentum vero ad hoc probandum ab his auctoribus allatum non valet, contra grammaticam peccat, etenim τοῦ ante varia nomina propria non est articulus finitus qui ante nomen proprium esset suppressendus, uti caeterum ante Ἰωσήφ habetur, sed est pronomen demonstrativum quod se refert ad nomen praecedens: Iesus, filius Ioseph (genitivus absque articulo) qui (genitivus) fuit (filius) Heli. Iesus putabatur filius Ioseph, qui (Ioseph) fuit filius Heli, etc. (1).

Maxima pars Catholicorum recentiorum opinionem traditionalem sequitur quae dicit utramque genealogiam esset per Ioseph, patrem legalem Iesu. Iam ab initio s. III apud IULIUM AFRICANUM, in epistula ad Aristidem partialiter ab Eusebio tradita (2), hanc interpretationem invenimus, et AFRICANUS asserit illam esse traditionem in familia Iesu conservatam et a Magistris (δασπύονοι) propositam (3). Huic sententiae favet certissime tota antiqua traditio. S. AUGUSTINUS, S. HIERONYMUS, S. BEDA, S. BONAVENTURA, S. ALBERTUS MAGNUS, S. THOMAS, et constructione grammatica textus S. Lucae 3, 23 confirmatur. Illam propugnant inter recentiores: J. KNABENBAUER, M. J. LAGRANGE, J. VOSTÉ, F. PRAT, L. MARCHAL, etc.

Quando vero agitur de modo conciliandi utramque genealogiam, auctores recentiores ab invicem valde dissentiunt.

a. O. BARDENHEWER et U. HOLZMEISTER contendunt genealogiam Lucae esse simul Mariae et Ioseph. Maria fuisset filia haeres quae fratres non habebat; Ioseph fuisset filius adoptivus familiae Mariae. Lucas stemma dedisset huius familiae, et Matthaeus stemma familiae carnalis e qua Ioseph natus erat (4).

Duo praesertim contra hanc sententiam sunt dicenda: 1. Probandum esset Ioseph fuisse filium adoptivum familiae Mariae. 2. Lucas in hac interpretatione dedisset de facto stemma familiae Mariae, et tunc stemma Iesu per matrem haberemus, quod certo non erat secundum Iudaeorum consuetudines.

b. A. DURAND et A. BRASSAC credunt quod Matthaeus ostendere intendit per tabulam dynasticam quomodo ius ad dignitatem regalem fuit a David ad Iesum transmissum per Ioseph, patrem legalem Iesu; dum Lucas tradit patres Iesu carnales sive legales, ad monstrandum Iesum per Ioseph, patrem suum legalem ad familiam David pertinere. In genealogia secundum Matthaeum, ab Abraham ad David, non dantur nisi nomina hominum qui iuribus patriarchalibus gaudent, qui haeredes

(1) F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 509.

(2) EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* I, 7. P. G. t. 20 c. 99.

(3) M. J. LAGRANGE, *recensio in opus P. Vogt*, R. B. 20, 1911, 143 sq. et in opus J. M. Heer, p. 447.

(4) O. BARDENHEWER, *Mariä Verkündigung*, *Bibl. Stud.* X, 5, 1905, 129. — U. HOLZMEISTER, *Ein Erklärungsversuch der Lk-Generologie*. ZKT. 17, 1923, 181-218.

sunt Patriarcharum; a David ad Iechoniam non habentur nisi nomina regum; supponi ergo potest, inquit isti auctores, quod a captivitate ad Iesum Matthaeus etiam tabulam dynasticam tradere voluerit. In genealogia secundum Lucam, nullum nomen regis habetur, et tamen Lucas tabulam dynasticam, quae Ioseph ad David referebat, ignorare non potuit; ex quo concludunt Lucam scopum a Matthaeo diversum intendisse, voluit nempe patres sive legales, sive carnales enumerare (1).

Duplex illa genealogia sane est per Ioseph, patrem legalem Iesu; utrum vero genealogia apud Matthaeum sit secundum tabulam dynasticam, et genealogia apud Lucam secundum generationem legalem vel carnalem non constat, nam in utraque genealogia nomina occurrunt hominum qui iuribus patriarchalibus gaudent, nempe Abraham, Isaac, Iacob; in utraque genealogia nomina regum vel principum enumerantur, v. g. David, Zorobabel, Salathiel. Et tunc etiam assertio secundum quam Matthaeus a captivitate ad Iesum tabulam dynasticam tradere voluisset esset pura hypothesis. Interpretationi isti ergo solidum argumentum deest.

c. Manent ergo lex adoptionis et lex leviratus. Secundum legem adoptionis, filiatio adoptiva eadem iura contulit ac filiatio carnalis. Lex adoptionis cognita et adhibita fuit apud Romanos ibique summi erat momenti. Apud Semitas etiam valde propagata erat, et etiam nostro tempore, inquit A. IAUSSEN, apud Arabes adhuc existit (2). Utrum apud Iudaeos vero in usu fuerit, non constat. Lex Leviratus certo apud Iudaeos existit, et secundum illam legem cum frater absque liberis mortuus esset, pater legalis puerorum fratris fiebat qui viduam in matrimonium duxerat, *Deut.* 25, 5. 6. Ioseph fuisset filius naturalis Iacob, *Mt.* 1, 16, et filius legalis Heli, *Lc.* 3, 23. Matthaeus dedisset genealogiam Ioseph per patrem suum carnalem, Lucas per patrem legalem; Salathiel filius carnalis, Iechoniae, *Mt.* 1, 12; et filius legalis Neri, *Lc.* 3, 27. In hoc sensu ergo Ioseph et Salathiel dici possunt duos patres habuisse (3). S. AUGUSTINUS in libro 2 de quaestionibus Evang. quaest. 5 varias solutiones cognovit, inquit S. Thomas, in hoc *Art.* III, q. XXXI: « Aut unus Evangelista patrem Ioseph, a quo genitus est, nominavit; alter vero vel avum maternum; vel aliquem de cognatis maioribus posuit; aut unus erat Ioseph huic naturalis pater, et alter cum adoptaverat, aut more Iudaeorum cum sine filiis unus decessisset, eius uxorem propinquus accipiens, filium quem genuit, propinquo

(1) A. DURAND, *L'Enfance de Jésus Christ*, 1908, p. 201-204. — A. BRASSAC, *Manuel Biblique*, 3, 1920, 303.

(2) A. IAUSSEN, *Coutumes des Arabes au pays de Moab*, 1905, p. 25.

(3) J. VOSTÉ, *De conceptione virginali Iesu Christi, Excursus I: De duplici genealogia*, 1933, p. 83-128. — L. MARCHAL, *Evang. de S. Luc*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 61-62.

mortuo deputavit; quod etiam, inquit S. Thomas, quoddam genus adoptionis legalis est, ut ipse Augustinus dicit in 2 de Consensu Evangel. cap. 3 a princ.

« Et haec ultima causa est verior, prosequitur Angelicus, quam et Hieronymus, super *Mt.*, cap. 1, sup. illud: « *Iacob autem genuit Ioseph* », ponit, et Eusebius Caesariensis in ecclesiastica Historia, lib. 1, cap. 7 ab Africano historiographo traditam asserit ».

M. J. LAGRANGE quoad illud testimonium IULII AFRICANI animadvertit quod eius valor non est extollendus, et in quaestione hac decisivum certo non est, nam Africanus ipse solutionem suam probabilem tantum indicat; S. Augustinus qui illam in « *Retractationes* » 2, 7. 16 sequitur, agnoscit hanc quaestionem ipsi semper sat obscuram apparuisse, *Quaest. Heptat.* 2, 46. Unde testimonium Iulii Africani vera traditio dici nequit. Certum est, inquit M. J. LAGRANGE, quod Matthaeus et Lucas e fonte diverso hauserunt, quod uterque tradit genealogiam Iesu per patrem suum legalem Ioseph; et concludit quod unus e duobus, sive Iacob, sive Heli, fuit pater carnalis Ioseph, et alius forsitan avunculus eius, vel forsitan secundum consuetudines semiticas avus vel aliquis de cognatis maioribus (1).

Unde concludimus: 1. Utraque genealogia est per patrem legalem Iesu. Quoad genealogiam Matthaei omnes conveniunt illam esse per Ioseph; quoad Lucae genealogiam, auctores non conveniunt; credimus tamen quod constructio grammaticalis *Lucae* 3, 23, simul cum traditione antiqua postulat ut etiam ista genealogia sit per Ioseph.

2. Quando vero utraque genealogia concilietur oportet, dicendum est nullam interpretationem solutionem definitivam proponere; at si eligere debeamus, duplex nobis apparet solutio quae vera probabilitate gaudet, nempe solutio secundum legem leviratus, et solutio ultima a M. J. LAGRANGE proposita et quae est secundum consuetudines etiam apud Semitas vigentes.

Art. IV. *Utrum decuerit Christum nasci de foemina.* Iam scimus Christum e Maria Virgine esse natum, *Mt.* 1, 25; *Lc.* 2, 7. S. Paulus in *Gal.* 4, 4, scribit: « misit Deus Filium suum *factum ex muliere*, γενόμενον ἐκ γυναικός », qua expressione generatio secundum carnem significatur. Deus certe diversis modis corpus humanum Filii sui constituere potuisset; at voluit ut Filius suus ex muliere nasceretur ad monstrandum ipsum veram naturam humanam assumpsisse, naturam mortalem ac passibilem, ut posset munus suum Redemptoris rite adimplere. Quae Deus vult optime sunt volita; unde convenientissimum fuit ut Iesus, in quantum homo, originem e muliere duceret.

(1) M. J. LAGRANGE, *Evang. selon S. Luc*, 1923, p. 124, 125.

Art. V. *Utrum corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatum fuerit?* In omni generatione humana duplex principium est distinguendum: Principium activum ex parte patris, et principium passivum ex parte matris. Generatio Christi est supernaturalis in hoc sensu quod principium activum non est pater humanus, sed ipse Spiritus Sanctus seu virtus supernaturalis Dei, conceptio enim sicut et nativitas sunt virginales. Principium autem passivum est B. Maria, quae materiam ad conceptionem ac generationem ministravit. Porro in generatione humana, materia a matre ministrata est sanguis mulieris; in generatione Christi ergo est sanguis B. Mariae Virginis, et ex illo sanguine purissimae Virginis constitutum est corpus Iesu. S. Thomas heic sequitur scientiam sui temporis quae nostris diebus non amplius admittitur, nam 1. elementum femininum quod generationi praesidet veram attractionem in elementum masculinum exercet. 2. Materia corporis futuri constituitur protoplasmate duorum elementorum masculini et feminini, certe amplius organismo materno.

Art. VI. *Utrum corpus Christi in antiquis patribus fuerit secundum aliquid signatum?* Quaestio ista revera ad S. Scripturam non pertinet. S. Thomas concludit: « Unde nullo alio modo fuit in patribus corpus Christi quam corpus matris eius, quod non fuit in patribus secundum materiam signatam, sicut nec corpora aliorum hominum ». Quando affertur textus *Rom. 1, 3*: « Christus factus est ex semine ἐκ σπέρματος David secundum carnem », ad probandum Christum fuisse in David secundum aliquid signatum, et eadem ratione in aliis patribus, dicendum est, uti supra iam adnotavimus, quod « semen » heic sumendum non est in sensu stricto, de semine physico, Christus enim, virginaliter conceptus, non fuit in David, neque in aliis patribus secundum seminalem rationem, sed sumendum est in sensu lato, de posteritate, (*Gen. 9, 9; 15, 5; Lc. 1, 55; Mc. 12, 22; Ioan. 7, 42*, etc.) et sensus est quod Christus secundum suam humanam naturam pertinet ad posteritatem David, sicut pertinet ad posteritatem Adam. Mediante Maria, Christus, secundum suam naturam humanam, dicitur esse ex semine David, per modum originis.

Art. VII. *Utrum caro Christi fuerit peccato obnoxia?* S. Paulus, *Rom. 5, 19*, scribit: « Sicut per inoboedientiam unius hominis (Adam), peccatores constituti sunt multi (i. e. omnes homines, uti ex v. 18 parallelo constat): ita et per unius oboeditionem, iusti constituentur multi (omnes v. 18). Peccatum Adam ad omnes transmittitur, haec est doctrina S. Pauli. At quomodo peccatum ad omnes transmittitur in S. Scriptura non dicitur. S. Thomas in quaestione *De Malo*, q. IV, A. 1, ad 12, docet: « In semine est corruptio originalis peccati, non actu sed virtute, eo modo quo est ibi natura humana ». Theologi ergo

docent quod peccatum originale per semen virile transmittitur. Cum autem Christus supernaturaliter sit conceptus, semen virile excluditur, unde caro Christi non fuit peccato obnoxia. Christus assumpsit carnem humani generis ab omni infectione peccati mundatam, nihil inquinatum in ipsum incurrit.

Art. VIII. *Utrum Christus in lumbis Abrahae fuerit decimatus?*
« Secundum intentionem Apostoli (S. Pauli), inquit S. Thomas, oportet dicere quod Christus in lumbis Abrahae non fuerit decimatus ». S. Paulus se referens ad *Gen.* 14, 18-24, probat in ep. ad *Hebraeos* 7, 13-27 quod sacerdotium Melchisedech praevalet sacerdotio Aaron, quia Melchisedech benedixit Abraham et decimas ab Abraham accepit in cuius sinu fuit Levi et Aaron; ex quo constat Melchisedech decimatum non fuisse in lumbis Abraham; caeterum ad posteritatem Abraham non pertinebat, quia fuit Chananaeus.

Sacerdotium Melchisedech est typus sacerdotii Christi, cuius fundamentum in *Ps.* 110, 4 et ad *Hebr.* 7-9, habetur: sacerdotium Christi est secundum ordinem Melchisedech et consequenter praevalet sacerdotio Aaron, sacerdotio levitico. Si Christus in Abraham decimatus fuisset, eius sacerdotium non esset secundum ordinem Melchisedech, sed minus sacerdotio Melchisedech, quod est contra apertam S. Scripturae assertionem, *Ps.* 110, 4; *Hebr.* 7, 17. Et ideo dicendum est quod Christus non est decimatus in lumbis Abrahae, sicut Levi.

6. De Conceptione Christi secundum activum principium, q. 32.

Art. I. *Utrum Spiritus Sanctus fuerit principium activum conceptionis Christi?*

Quando Angelus Gabriel Mariae apparuit ipsique futuram suam maternitatem nuntiavit, Maria difficultatem posuit: quomodo hanc maternitatem cum proposito vel voto suo virginitatis conciliare? Et angelus statim respondit: « *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei* », *Lc.* 1, 35. Spiritus Sanctus ergo principium activum dicitur. Conceptio vero Christi est opus Dei ad extra, commune ergo toti SS. Trinitati. Ratione conceptionis illius supernaturalis, id quod nascetur ex Maria 1) Sanctum erit; 2) vocabitur Filius Dei. Sanctificatio vero, *Rom.* 1, 4 et filiatio divina *Gal.* 4, 6, Spiritui Sancto attribuantur. Unde conceptio Christi supernaturalis Spiritui Sancto per appropriationem attribuitur.

Dici etiam potest, uti supra adnotavimus quod, ratione parallelismi, expressiones « *Spiritus Sanctus* » et « *virtus Altissimi* » sunt

expressiones synonymicae, quapropter graece πνεῦμα ἅγιον absque articulo legitur, tum apud *Lc.* 1, 35, tum apud *Mt.* 1, 18, quo non persona Spiritus Sancti, sed virtus divina, omnipotentia divina, designatur.

Art. II. *Utrum Christus debeat dici conceptus de Spiritu Sancto?* Articulus ille versatur circa sensum in quo praepositio «de» est sumenda. S. Thomas secundum scientiam sui temporis considerat hominem ut principium activum generationis, mulierem ut principium passivum. Conceptum esse de aliquo respicit principium activum. In conceptione Christi principium activum non est principium humanum, non est homo quidam, sed Spiritus Sanctus, virtus Altissimi, *Lc.* 1, 35; *Mt.* 1, 18. Unde convenienter dicere possumus Christum esse conceptum de Spiritu Sancto, hoc modo quod efficientia Spiritus Sancti referatur ad corpus assumptum.

S. Thomas vero accurate adnotat quod Spiritus Sanctus non se habet sicut semen in conceptione Christi; Spiritus Sanctus comparatur semini secundum quod in semine intellegitur virtus activa, ita etiam S. Ioannes Chrysostomus et S. Ioannes Damascenus. Spiritus Sanctus non fuit pro semine, secundum quod in semine intellegitur substantia corporalls quae in conceptione transmutatur, ita etiam S. Hieronymus; a. v. id quod semen in generatione naturali operatur, id virtute supernaturali, divina, operatus est Spiritus Sanctus in conceptione Christi.

Art. III. *Utrum Spiritus Sanctus dici debeat pater Christi secundum carnem?* Principium passivum in conceptione Christi est Maria, quae materiam ministravit in similitudinem speciei; principium activum est Spiritus Sanctus, nam Christus secundum quod homo, conceptus est de Spiritu Sancto, sicut de principio activo, *Lc.* 1, 35; *Mt.* 1, 18, non tamen in similitudinem speciei. Sola illa generatio est perfecta quae est secundum similitudinem speciei. Quia Maria ministravit materiam in similitudinem speciei, dicitur mater Iesu, et Iesus dicitur filius Mariae. Quia vero conceptio de Spiritu Sancto non est in similitudinem speciei, Spiritus Sanctus non est pater Iesu, neque Iesus filius Spiritus Sancti. In Christo unica generatio in similitudinem speciei habetur, et est generatio aeterna a Patre, et secundum hanc Christus est filius Patris caelestis solius.

Art. IV. *Utrum B. Virgo aliquid active egerit in conceptione corporis Christi?* In generatione, inquit S. Thomas, mulier triplicem operationem exercet: 1. emittit semen, quod «imperfectum» vocat Angelicus. 2. Ministrat materiam conceptionis quam vocat sanguinem menstruum. 3. Praeparat hanc materiam ut illam aptam reddat ad generationem. In prima operatione, mulier est principium activum imperfectum; in secunda, principium passivum; in tertia, principium activum. Prima operatio in conceptione Virginis non est facta; secunda

operatione, facta est Maria principium passivum; tertia operatione, constituta est Maria principium activum; at ista operatio ad conceptionem praerequisita erat, unde illam excludit S. Thomas et concludit quod Maria nonnisi operationem passivam exercuit in conceptione Christi.

Quaestio ista est pure scientifica. Scientia hodierna docet quod mulier in conceptione; 1. Ministrat ovulam vel semen femininum. 2. Potest etiam quamdam secretionem emittere qua actus coniugalis facilius redditur; ista tamen operatio non requiritur; 3. Dat puero, mediante sanguine suo elementa quae ad pueri nutritionem necessaria sunt.

S. Thomas solam hanc ultimam operationem consideravit, et sub hoc aspectu dici potest quod Maria nonnisi principium passivum fuit in conceptione Christi. Si vero praeparatio sanguinis, in qua operatione mulier principium activum est, uti S. Thomas dicit, sit idem ac formatio ovulae vel semen femininum, tunc etiam dici potest, secundum sententiam a S. Thoma in articulo emissam, quod B. Virgo fuit revera principium activum in conceptione Christi.

7. De Modo et Ordine conceptionis Christi, q. 33.

S. Thomas heic quosdam articulos habet qui de facto relationem cum S. Scriptura non habent sed qui scientia solvendi sunt, non scientia e tempore S. Thomae, sed scientia moderna.

Art. I. *Utrum corpus Christi fuerit formatum in primo instanti conceptionis?*

Art. II. *Utrum corpus Christi fuerit animatum in primo instanti suae conceptionis?*

Art. III. *Utrum corpus Christi in primo instanti suae conceptionis fuerit a Verbo assumptum?* Contra fidem est, concludit S. Thomas, quod caro Christi prius fuerit concepta, et postmodum assumpta a Verbo Dei.

S. Ioannes docet quod Verbum ab aeterno existit, est Verbum increatum; Verbum est persona a Patre realiter distincta, Verbum est persona Patri aequalis, persona ergo divina. Ista persona divina assumpsit naturam humanam in tempore, *Ioan.* 1, 1. 14. Unio ista personae divinae cum natura humana est unio personalis, uti constat ex *Phil.* 2, 7^b-8; *Rom.* 9, 5; *Tit.* 2, 13-14; *Col.* 1, 13-20; *Gal.* 4, 4-5 (1). Natura vero humana absque supposito personali existere nequit; in Christo illud suppositum est persona divina; unde a momento quo natura humana adfuit, ipsa a Verbo assumpta fuit. Quaestionem vero

utrum natura humana in primo instanti conceptionis adsit, scientia solvere debet.

Art. IV. *Utrum conceptio Christi fuerit naturalis vel supernaturalis?* Conceptio Christi considerari potest ex parte principii passivi et ex parte principii activi. Principium passivum est Maria in quantum materiam ad conceptionem aptam ministravit; et sub hoc aspectu considerata, conceptio Christi naturalis est dicenda, nam in omni conceptione humana, quaecumque mater materiam ministrat.

Principium activum est Spiritus Sanctus, Virtus Altissimi; sub hoc aspectu considerata conceptio Christi non est naturalis sed miraculosa. Semen virile quod ad conceptionem naturalem requiritur, e conceptione Christi excluditur; quod semen virile in conceptione naturali operatur, hoc virtute divina in conceptione Christi factum est.

8. De perfectione prolis conceptae, q. 34.

Art. I. *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis fuerit sanctificatus per gratiam?* Conceptio Christi fuit conceptio supernaturalis: « Spiritus Sanctus superveniet in te » *Lc.* 1, 35; « inventa est (Maria) in utero habens de Spiritu Sancto » *Mt.* 1, 18; « quod in ea natum est de Spiritu Sancto est », *Mt.* 1, 20. Quia Maria de Spiritu Sancto conceperat, « ideoque quod nascetur (ex te) sanctum (erit), » *Lc.* 1, 35. Ratione igitur conceptionis supernaturalis fructus ventris Mariae sanctus erit; sanctificatus ergo fuit a momento quo conceptio peracta fuit.

S. Thomas huius conclusionis confirmationem invenire videtur apud *Ioan.* 10, 36, ubi legitur: « quem Pater sanctificavit et misit in mundum ». Uti ex v. 30 constat Iesus se declaravit Patri aequalem, se ut filium Dei naturalem consideravit; Filius Dei vero sanctificatione non indiget, illam enim ab aeterno habet; unde verbum ἁγιάζειν non de sanctificatione, sed de conservatione, sicut apud *Ier.* 1, 5, *Ioan.* 17, vv. 17-19, de electione Filii Dei ad missionem terrestrem adimplendam intellegendum est. Missio illa vero assumptionem naturae humanae implicat, et eo ipso quod filius Dei hanc naturam humanam assumpsit, ipsa ratione unionis hypostaticae sanctificata fuit. Sanctificatio autem ista est consequentia electionis Filii Dei ad missionem suam terrestrem. Unde sanctificatio Christi a primo instanti suae conceptionis, argumento theologico, e textu *Ioannis* 10, 36 deduci potest (1).

Notandum vero est quod sanctificatio Christi non fit sicut sanctificatio hominum; sanctificatio hominum fit a peccato ad gratiam, uti

(1) M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Jean*, 1925, p. 291, 292.

S. Paulus *I Cor.* 6, 11 docet: « Et haec quidem (scil. peccatores) fuistis aliquando, sed (nunc) abluti estis, sed sanctificati estis ». Christus vero non factus est sanctus ex peccatore, peccatum enim nunquam habuit, sed, inquit S. Thomas: « factus est sanctus ex non sancto secundum hominem, non quidem privative, ut scilicet aliquando fuerit homo et non fuerit sanctus; sed negative, quia scilicet quando non fuit homo, non habuit sanctitatem humanam; et ideo simul factus fuit homo et sanctus homo. Propter quod angelus dicit, *Lc.* 1, 35: « Quod nascetur ex te sanctum », ad 2^{um}.

Art. II. *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis habuerit usum liberi arbitrii?*

Art. III. *Utrum Christus in primo instanti suae conceptionis mereri potuerit?* Auctor epistolae ad *Hebraeos*, 10, 5-9 docet quod Christus mundum ingrediens, momento quo naturam humanam assumpsit, intellexit quod omnia sacrificia Antiquae Legis, sive fuerint cruenta (θυσίαν) uti holocausta (ὁλοκαυτώματα), et expiatoria (περὶ ἁμαρτίας), sive fuerint incruenta (προσφοράν), inefficacia fuerunt apud Deum: « impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata » v. 4; agnovit ergo quod Deus ipsi corpus formavit eo in fine ut ipse, sacrificio propriae suae vitae peccata deleteret. Christus huic decreto divinae voluntatis se subiecit, quapropter mundum ingrediens dixit: « Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam » v. 9. Ergo a momento quo Christus mundum ingressus est (εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον), a primo momento suae Incarnationis, suae conceptionis, venit ad voluntatem divinam adimplendam, venit cum intentione se in sacrificium Deo Patri offerendi. Actus ille est actus liberae subiectionis voluntati divinae, actus ergo voluntatis, actus liberi arbitrii; et secundum doctrinam communem actus ille a libero arbitrio Christi procedens, quem Christus primo momento suae conceptionis posuit, est actus revera meritorius. Unde a primo momento conceptionis suae Christus habuit liberum arbitrium et mereri potuit.

Art. IV. *Utrum Christus fuerit perfectus comprehensor in primo instanti suae conceptionis?* S. Ioannes 1, 14 dicit quod Verbum incarnatum est plenum gratiae, fons omnis vitae gratiae, fons omnis vitae supernaturalis. Ratione ergo assumptionis naturae humanae a Verbo, et a primo momento huius assumptionis, a primo momento conceptionis, Christus plenitudinem gratiae accepit, non igitur ad mensuram gratiam accepit. Ex hoc deducit Angelicus quod « Christus in primo instanti suae conceptionis accepit non solum tantam gratiam quam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem. Et quia gratia illa non fuit sine actu, consequens est quod fuerit actu comprehensor, videndo Deum per essentiam clarius caeteris creaturis.

9. *De Nativitate Christi*, q. 35.

Art. I. *Utrum nativitas sit naturae vel personae?* Articulus ille ad theologiam speculativam proprie pertinet, illam igitur theologis relinquemus.

Art. II. *Utrum attribuenda sit Christo aliqua nativitas temporalis?* Secundum S. Scripturam in Christo duplex nativitas est admittenda: alia temporalis, alia aeterna.

a) Pluries iam ostendimus Iesum in tempore e Maria Virgine esse natum, naturam suam humanam in tempore a matre sua accepisse, *Lc.* 2, 7; *Mt.* 1, 25. Quaedam ergo nativitas temporalis Christo est attribuenda.

b) In *Psalmo* 2, 7 Jahweh futuro Messiae dicit: « Filius meus es tu, ego hodie genui te ». Psalmus est messianicus, et plerique Patres et etiam diversi auctores recentiores hoc in loco generationem aeternam, nativitatem Messiae aeternam a Patre admittere videntur (1). Haec conclusio vero difficile e textu et contextu deduci potest; includitur tamen, nam tempore apostolico, sensus assertionis Patris caelestis: « Filius meus es tu, ego hodie genui te » ab auctore epistolae ad *Hebr.* 1, 5 magis determinatur: generatio seu nativitas ista non metaphorice sed in sensu stricto est intellegenda, de vera generatione seu nativitate aeterna (hodie aeternitatis) a Patre (2). Et ideo necesse est, uti S. Thomas concludit, attribuere Christo duas nativitates, unam qua aeternaliter natus est a Patre, aliam qua temporaliter natus est a matre.

Art. III. *Utrum secundum temporalem Christi nativitatem B. Virgo possit dici mater eius?* Hanc quaestionem in eap. V iam solvimus: B. Virgo est vera et naturalis mater Christi.

a) In A. T. Iesus ut verus homo, de semine Abrahae, de tribu Iuda, e stirpe David praedicatur; et mater e qua nascetur ut virgo in conceptione et partu praenuntiatur, *Is.* 7, 14; illaque virgo-mater est B. Maria Virgo, *Mt.* 1, 22. 23.

b) In N. T. genealogia carnalis Iesu exponitur; saepissime asseritur Iesum esse e tribu, e radice, e semine, e genere David secundum carnem, *Rom.* 1, 3; *II Tim.* 2, 8. Iesus « factus est ex muliere », inquit S. Paulus, *Gal.* 4, 4, quo significatur quod ex muliere est genitus, et generatione humanam naturam accepit. Mulier e qua factus est Iesus est Maria quae revera genitrix et vera mater Iesu dicenda est, *Lc.* 2, 7.

(1) M. J. LAGRANGE, *Le Messianisme dans les Psaumes*, *RB.* 12, 1903, 43. — *Le Judaïsme avant Jésus-Christ*, 1931, p. 365. — F. ZORELL, *Psalterium ex hebraeo latinum*, 1928, p. 3. — A. VACCARI, *I Salmi*, 1925, p. 68.

(2) F. CEUPPENS *Theol. Bibl. De Trinitate* 2, 1938, 19, 57.

e) Iesus veram naturam humanam ex Maria assumpsit: 1) in utero Mariae Virginis concipitur, *Lc.* 1, 38. 42; 2) Maria huius conceptionis fructum tempore normali in utero suo gestavit, *Lc.* 1, 42; *Mt.* c. 1, 19; *Lc.* 2, 6; 3) tempore praegnationis absoluto, Maria filium suum primogenitum peperit, *Lc.* 2, 6. 7. Haec omnia demonstrant Mariam veram matrem Iesu secundum carnem fuisse. Sane ex parte operationis Spiritus Sancti nativitas illa fuit miraculosa; ex parte vero matris fuit naturalis.

Art. IV. *Utrum B. Virgo debeat dici mater Dei?* Etiam hanc quaestionem in cap. V iam solvimus. In S. Scriptura Maria nunquam explicitis verbis «mater Dei» dicitur; in S. Scriptura tamen pluries Iesum verum Deum esse ostenditur et Mariam esse veram matrem Iesu, ex quo logice sequitur Maria esse veram matrem Dei.

Iesus est verus homo et Maria est mater eius, uti in Art. III ostendimus. Secundum S. Paulum, *Rom.* 9, 5, praeter naturam humanam, Iesus habet etiam naturam divinam, et unio utriusque naturae ad unum esse personalitatis, ad personam divinam Verbi terminatur, uti abunde aliunde monstravimus (1), Iesus est verus Deus. Similiter Verbum, persona Patri aequalis et a Patre distincta, naturam humanam assumpsit, gloriam suam divinam hominibus manifestavit, illaque persona divina est Iesus Christus, addit S. Ioannes, 1, 1. 14-18. Eandem doctrinam, sed aliis verbis, exponit S. Paulus ad *Philip.* 2, 6. 7. Iesus est verus Deus et verus homo. Porro, illum qui simul est Deus et homo, Maria concepit, gestavit et genuit; ex muliere factus est *Gal.* 4, 4, nempe ex Maria Virgine, *Lc.* 2, 7. Constat igitur ex horum textuum collatione Mariam esse veram matrem Iesu, matrem Dei secundum carnem.

Art. V. *Utrum in Christo sint duae filiationes?* In Art. II diximus quod S. Scriptura docet in Christo duplicem haberi nativitatem, et quidem diversarum rationum, unam qua aeternaliter natus est a Patre; aliam qua temporaliter natus est a matre. In Art. IV et in tractatu de Incarnatione ostendimus quod secundum S. Scripturam unio naturae divinae et naturae humanae est unio hypostatica, ad solam personam divinam terminata. Si ergo attendatur ad causam filiationis, quae est nativitas, duae filiationes in Christo sunt ponendae; si vero attendatur ad subiectum filiationis, quae est persona Filii, non habetur nisi una filio, quia non datur nisi una persona in Christo, persona divina.

Art. VI. *Utrum Christus fuerit natus sine dolore matris?* Quia Maria etiam in partu virginem permansit, *Mt.* 1, 25, concludunt auctores quod Maria filium suum absque dolore genuit; dolor enim parturientis causatur ex apertione meatuum, per quos proles egreditur. Confirmatio

(1) F. OUPPENS, *Theol. Bibl. De Incarnatione*, 3, 1939, 65-61.

huius forsan apud *Lucam* 2, 7 inveniri potest, ubi dicitur quod Maria « peperit filium suum, et ipsa pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio »; « Nulla ibi obstetrix, inquit S. Hieronymus, nulla mulierularum sedulitas intercessit; et mater, et obstetrix fuit. Pannis, inquit, involvit infantem et posuit in praesepio » (1).

In *Gen.* 3, 16, Deus poenam mulieris post lapsum infligens dixit: « in dolore paries filios »; partus ergo mulierum semper erit in dolore, unde partus Mariae etiam in dolore esse debuit. Notandum autem est quod in *Genesi* dicitur « in dolore paries filios, et sub viri potestate eris ». Poena ista secundum contextum est explicanda; contextus vero est contextus sexualis, et sensus est quod non obstante magno partus dolore, desiderium mulieris semper ad virum erit in ordine ad conceptionem et partum. Agitur ergo heic de partu qui commixtionem virilem sequitur; partus vero Mariae fuit virginalis unde huic legi universali doloris subiecta non erat (2).

Art. VII. *Utrum Christus debuerit in Bethlehem nasci?* a) *Michaeas* 5, 2, Bethlehem uti locum nativitatis futuri Messiae designat: « Et tu, Bethlehem Ephrata,... ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël ». Dominator ille est futurus Messias, est Iesus, cfr. supra (A. T. P. 1, c. 3).

b) Quando Magi Hierosolymam venerunt ad Messiam natum adorandum, petierunt: « Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? » *Mt.* 2, 3. Herodes de Magorum adventu certior factus, « congregavit principes sacerdotum et scribas populi et sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudae, sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem » *Mich.* 5, 2; *Mt.* 2, 5. 6.

c) Occasione alicuius praedicationis Iesu in ultimo die festivitatis Tabernaculorum, quidam ex adstantibus manifestaverunt quod secundum Scripturam Messias e Bethlehem originem ducere debebit: « Nonne Scriptura dicit: quia ex semine David, et de Bethlehem castello ubi erat David, venit Christus »? *Ioan.* 7, 42.

d) *Lucas* 2, 1-7, affirmat quod de facto Bethlehem natus est Christus, et adiungit rationem quare parentes Iesu a Nazareth ascenderunt Bethlehem: Occasione decreti Augusti, « Ioseph cum esset de domo David, ascendit cum Maria uxore sua praegnante in civitatem David quae vocatur Bethlehem, et cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, et peperit filium suum primogenitum ».

Apud *Isaiam* 2, 3 vero legitur: « De Sion exhibit lex, et verbum Do-

(1) S. HIERONYMUS, *Adv. Helvidium*, P. L. t. 23, c. 192.

(2) J. COPPENS, *La soumission de la femme à l'homme d'après Gen. 3, 16b. ETL.* 14, 1937, 638.

mini de Ierusalem ». Messias ergo non e Bethlehem sed e Ierusalem oriri debebat. Propheta vero in hoc loco de origine ipsius Messiae non loquitur, sed praenuntiat quod Sion seu Ierusalem erit centrum futurum religionis huius mundi.

Iesus etiam *Nazaraeus* apud *Matthaeum* 2, 23 vocatur; quare Nazareus? nisi quia originem ex Nazareth duxit; unde E. RENAN incipit librum suum « *La vie de Jésus* » affirmatione: « Iesus Nazareth natus est ». Matthaeus relationem stabilire videtur inter commorationem Iesu in Nazareth et titulum « *Nazaraeus* »: *Nazaraeus* vocatur quia Nazareth habitavit et civis Nazareth factus erat. At Matthaeus addit quod hoc « *per Prophetas* » praedictum fuit. Plerique igitur auctores opinantur Matthaeum alludere ad *Isaiam* 11, 1, ubi Messias futurus vocatur נֶצֶר nēšer = surculus e radice Iesse, et quia Nazareth flos interpretatur, Messias *Nazaraeus* vocabitur (1). Interpretatio ista vero non multo placet: 1) quia solus *Isaias*, et non *Prophetae*, praedixit « quod Messias נֶצֶר surculus erit ex familia David »: 2) quia illa hypothesis probari nequit, Nazareth enim nunquam in A. T. citatur, unde etymologia immo etiam orthographia formae hebraicae huius nominis ignoratur.

M. J. LAGRANGE rectius credit quod heic non solum indicatio geographica, verum etiam indicatio alicuius proprietatis Messiae futuri habetur (2): Expressio « quia *Nazaraeus* vocabitur » nullibi apud *Prophetas* legitur, unde legitime supponi potest quod citatio proprie dicta heic non occurrit, sed formula brevissima qua summam quaedam *Prophetarum* doctrina commemoratur seu refertur. Quenam sit illa doctrina? 1) Scimus ex *Ioanne* 1, 45. 46 quod titulus « *Nazaraeus* » est titulus hominis contemnendi. 2) Tempore S. Pauli, Iudaei dicendo Christianos esse « *Nazaraeos* », discipulos illius *Nazaraei* spernendi, qui erat Iesus, contemptum suum erga christianos exprimere volebant, *Act.* 24, 5. *Nazaraeus* ergo titulus erat qui homini spernendo applicabatur. Plures *Prophetae*, *Is.* 53; *Ier.* 11, 19; *Ps.* 22, praenuntiaverant quod Messias futurus a populo suo contemneretur, eo quod ad eum veniet non cum apparatu et splendore regis gloriosissimi, sicut speraverat, sed in summa humilitate ac paupertate. Et in hoc sensu, credimus, intelligenda est assertio *Mt.* 2, 23 « ut adimpleretur quod dictum est per *Prophetas*: quoniam *Nazaraeus* vocabitur ».

Art. VIII. *Utrum Christus fuerit tempore congruo natus?* « *Quando venit plenitudo temporis*, τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, inquit S. Paulus ad *Gal.*

(1) D. BUZY, *Evang. de S. Matthieu*, (éd. L. Piro), 9, 1935, 24.

(2) M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Matthieu*, 1923, p. 38-39. — A. DURAND, *Evang. de S. Matthieu*, 1924, p. 19. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 119, n. 2.

c. 4, 4, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege ». Expressio τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου, *Gal.* 4, 4 et τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν *Eph.* 1, 10, tempus messianicum designat, summam dierum a Deo determinatam. Quando ergo venit illud tempus a Deo ab aeterno determinatum, tempus messianicum a Prophetis praedictum, tunc misit Deus Filium suum in mundum ad naturam humanam ex muliere assumendam. Quia plenitudo temporis in S. Scriptura est tempus a Deo statutum pro adventu Filii sui in mundum, concludere possumus quod Christus tempore congruo natus est.

S. THOMAS, invocans textum S. Pauli ad *Rom.* 13, 1 « *quae a Deo sunt, ordinata sunt* » et convenienter disposita, concludit: « consequens est quod convenientissimo tempore Christus nasceretur ». Certo quae a Deo ordinata sunt, convenientissime ordinata sunt; at S. Paulus ad *Rom.* 13, 1 non est invocandus ad vim huic conclusioni dandam, nam lectio « quae autem sunt, a Deo ordinata sunt », quam Ambrosiaster, S. Augustinus (semel), et S. Thomas sequuntur, est lectio erronea textuum latinorum. Lectio Vulgatae est optima: « quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt », i. e. potestates quae existunt, a Deo stabilitae sunt, unde Christiani, auctoritatibus superioribus, legitime stabilitis, subiici debent.

Quoad tempus praecisum nativitatis Christi, abunde disseruimus supra in parte exegetica N. T. cap. IV. B.

10. De manifestatione Christi nati, q. 36.

S. THOMAS in tribus prioribus articulis huius quaestionis quaerit quibusnam nativitas Christi manifestari debuerit?

Art. I. *Utrum nativitas Christi debuerit esse omnibus manifesta?*

Art. II. *Utrum nativitas Christi debuerit aliquibus manifestari?*

Art. III. *Utrum sint convenienter electi illi quibus est Christi nativitas manifestata?* Quaestiones istae cum sint minoris momenti breviter cum S. Thoma solvendae sunt. S. Thomas respondit:

Ad primam quaestionem: Nativitas Christi non debuit esse omnibus manifesta; etenim: a) Per hoc impedita fuisset humana redemptio, uti dicitur *I Cor.* 2, 8: « Si cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent ». b) Per hoc meritum fidei diminuisset, secundum illud *Rom.* 3, 22: « Iustitia Dei per fidem Iesu Christi ». Haec de manifestatione per attestationem agitur, quae meritum fidei solummodo diminuit; dum manifestatio per visionem meritum fidei aufert. c) Per hoc etiam venisset in dubium veritas humanitatis Christi. Art. I.

Ad secundam quaestionem: Nativitas Christi aliquibus tantum manifestari debuit; sicut resurrectio Christi non fuit omnibus manifesta, sed

tantum testibus praedestinatis a Deo, *Act.* 10, 40, ita et nativitas quibusdam praedestinatis a Deo manifestari debuit ut per illos ad alios derivaretur. Deus in sua divina sapientia eo modo agit in manifestatione donorum et secretorum divinae suae sapientiae.

Ad tertiam quaestionem: Illi quibus nativitas Christi manifestata est, convenienter electi sunt: *a)* Israëlitae: pastores; Gentiles: magi. *b)* Iusti: Simeon et Anna; peccatores: magi. *c)* Sapientes et potentes: magi; simplices et viles: pastores. *d)* Viri et mulieres: Simeon et Anna.

Nativitas Christi ergo manifestata est pastoribus, Simeoni et Annae, Magis. De manifestatione Simeoni et Annae facta, cfr. supra in parte exegetica *N. T.* cap. VI. De manifestatione Magis facta, agit S. Thomas in *Art.* VI-VIII, de qua infra.

De manifestatione pastoribus facta, Le. 2, 8-20.

Tria heic occurrunt: 1. Nuntium angelicum, vv. 8-12. 2. Angelorum canticum, vv. 13-14. 3. Pastores in Bethlehem, vv. 15-20.

1. Nuntium angelicum, vv. 8-12.

Ad partem orientalem Bethlechem magna pascua sese extendebant usque ad mare mortuum. Pastores ibi greges suos conducebant et inter illos greges quidam erant qui semper, aestate et hieme, foris in deserto manebant (1). Pastores in hac regione erant custodientes vigilias noctis super gregem suum, ibique angelus eis apparuit ἐπέστη, illosque *claritas Dei circumfulsit*, est signum quo, secundum conceptum iudaicum, praesentia Dei designatur. Pastoribus perterritis dixit Angelus: « *No-lite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod est omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, (σωτήρ, ὃς ἐστὶν χριστὸς Κύριος) in civitate David, et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio* », vv. 10-12. Annuntiat ergo Angelus: 1) gaudium magnum non solum pastoribus, sed omni populo; 2) obiectum gaudii quod est nativitas in Bethlechem, durante hac nocte σήμερον, Salvatoris, qui est Christus Dominus; 3) signum quo agnoscere poterunt veracitatem nuntii ac puerum salvatorem.

• Puer natus titulo σωτήρ oneratur. Apud Matthaeum et Marcum titulus ille nunquam Christo datur; apud Lucam heic 2, 11 tantum occurrit; semel etiam in evangelio Ioannis 4, 42 et semel in *I Ioan.* 4, 14; bis in *Actis* 5, 31 et 13, 23 legitur: frequentius vero apud S. Paulum: *Eph.* 5, 23; *Phil.* 3, 20; *I Tim.* 4, 10; *II Tim.* 1, 10; *Tit.* 1, 4; 2, 11. 13;

(1) H. STRACK - P. BILLERBECK. *Komm. zum N. T.* 2, 1924, 115. — U. HOLZMEISTER, *Chronologia vitae Christi*, 1933, p. 38.

3, 4, 6; quater apud S. Petrum: *II Petri* 1, 11; 2, 20; 3, 2. 18. Communiter creditur titulum σωτήρ Christo post mortem suam praesertim collatum fuisse.

Quisnam sit sensus huius tituli? a) In A. T. σωτήρ communiter de Jahweh dicitur in quantum est liberator populi sui electi ab inimicis terrestribus; quandoque tamen etiam de legatis divinis praedicatur qui ad populum electum salvandum divinitus missi sunt (1). b) In N. T. titulo σωτήρ Deus et Christus designantur et quando de Christo dicitur, tunc de salute spirituali, de liberatione hominum a iugo peccati, a iugo diaboli peccati auctoris, titulus est intellegendus.

Puer natus est σωτήρ, salvator; est etiam χριστός Κύριος, *Christus Dominus*. a) *Christus χριστός* seu *unctus*. 1) In A. T. sacerdos magnus Χριστός = unctus dicitur: *Lev.* 4, 5. 16; 6, 22; *II Mac.* 1, 10; prophetae et praesertim reges populi iudaici titulo ὁ χριστός insigniuntur: *I Reg.* c. 19, 16; *I Sam.* 24, 7; *II Sam.* 1, 14; *Ps.* 17, 51, etc.; immo rex paganus Cyrus apud *Is.* 45, 1 ὁ χριστός Dei vocatur quia a Jahweh missus est; forsitan etiam apud *Dan.* 9, 25. Psalmista Patriarchas χριστούς nominat, *Ps.* 104, 15; demum Messias futurus ὁ χριστός per excellentiam dicitur *Ps.* 2, 2; *Is.* 61, 1, quia ut rex divinitus missus, ut unctus Dei exspectatur. 2) In N. T. ὁ χριστός est nomen appellativum quo Iesus designatur, et quod idem sonat ac Messias, est nomen officii, *Mt.* 2, 14; 16, 16. 20, etc.; et quia nonnisi unicus verus Messias habetur, pluries illud nomen absque articulo adhibetur; plenior forma est ὁ χριστός Κυρίου, *Christus Domini*, Messias nempe a Domino missus, *Lc.* 2, 26; 9, 20; *Act.* 3, 18, etc. (2).

b) *Christus Dominus χριστός Κύριος*. Expressio ista heic solummodo adhibetur, *Lc.* 2, 11. G. DALMAN et J. LEBRETON falsam versionem heic adesse credunt et loco χριστός Κύριος legunt χριστός Κυρίου et explicant: «unctus a Jahweh missus» (3). Manuscripta vero habent χριστός Κύριος, unde lectio illa est tenenda. Titulus κύριος, inquit L. CERFAUX est nomen quo dignitas regalis exprimitur (4); unde opinamur quod titulus χριστός Κύριος heic significat puerum Iesum esse unctum a Jahweh ad dignitatem regis messianici destinatum. Angelus ergo puerum natum 1) uti salvatorem spirituales populi sui manifestavit, et 2) uti regem Messiam, dominum populi sui. En obiectum gaudii.

Signum quo puerum agnoscere poterunt pastores est: «*invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio*». Signum est simul

(1) A. DEISSMANN, *Licht vom Osten*, 1923, p. 311.

(2) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 1457.

(3) G. DALMAN, *Der Gottesname Adonay und seine Geschichte. Studien zur bibl. Theologie*, 1889, p. 82. — J. LEBRETON, *Hist. du dogme de la Trinité*, 1, 1927, 363, n. 6.

(4) L. CERFAUX, *Le titre Kyrios et la dignité royale de Jésus*, *RSPT*, 11, 1922, 70, 71.

distinctivum: puerum agnoscere poterunt, et confirmativum: veracitatem nuntii admittere debebunt.

2. *Angelorum canticum*, vv. 13-14.

Nuntio angelico vix peracto, apparet subito multitudo angelorum, spectaculum revera caeleste, puero divino dignum; et angeli cantabant: *Gloria in altissimis Deo*: gloria Deo quia nativitate et incarnatione Christi Domini opus redemptionis, opus liberationis generis humani a potestate diabolica incepit; et *pax hominibus bonae voluntatis*, graece ἐν ἀνθρώποις εὐδοχίας in $\aleph$, B, A, D, legitur, quae lectio a criticis communiter admittitur. Quid significat illa propositio? J. LEBRETON et F. PRAT εὐδοχία de bona voluntate divina interpretantur: pax hominibus qui favorem divinum habent, pax hominibus a Deo dilectis (1). M. J. LAGRANGE, P. JOÜON, L. MARCHAL animadvertunt quod εὐδοχία de voluntate divina explicari nequit, nisi addatur αὐτοῦ, quod in nullo manuscripto legitur, unde εὐδοχία de voluntate humana explicant: pax hominibus bene dispositis, qui voluntatem suam beneplacito divino conformem reddere intendunt. Angeli pacem omnibus, nullo excepto, exoptant, at conditio essentialis ponitur: conformitas hominis voluntatis beneplacito divino (2).

3. *Pastores in Bethlehem*, vv. 15-20.

Angeli sicut subito apparuerunt, ita subito discesserunt. Pastores inter se deliberaverunt et dixerunt: *transeamus usque* (ἕως) *Bethlehem et videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*. Pastores characterem supernaturalem visionis agnoscunt, et cum essent parva distantia (ἕως) a Bethlehem, vix dimidia hora secundum traditionem quamdam, usque Bethlehem festinantes transire statuunt ad hunc puerum mirabilem videndum. *Et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praesepio*. Graece ἀνεῦραν = invenerunt, indicare videtur quod pastores durante quodam tempore quaesierunt; nuntium angeli dixerat quod puer « in praesepio » erat positus, unde pastores de gregum speluncis cogitaverunt, ad illas venerunt, quaesierunt et finaliter puerum pannis involutum ac in praesepio positum invenerunt. Veritas nuntii angelici confirmatur, Salvatorem, Christum Dominum invenerunt. Utrum puerum adoraverint, textus non dicit. Invento puero, convicti quod erat puer ab angelo annuntiatus, narraverunt (ἐγνώρισαν)

(1) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 529. — J. LEBRETON, *La vie et l'enseignement de J. C. N. S.* 1, 1931, 50. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 89, n. 1.

(2) J. P. VAN KASTEREN, *Analecta exegetica*, RB. 3, 1894, 59. — M. J. LAGRANGE, *Evang. de S. Luc.*, 1921, p. 77. — P. JOÜON, *L'Evangile de N. S. J. C.* 1930, p. 299. — L. MARCHAL, *Evang. de S. Luc.*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 45.

ea quae de puero isto illis dicta fuerant et ea quae eis durante nocte advenerunt: visio, nuntium angeli, canticum angelorum. *Et omnes qui audierunt mirati sunt*; graece « πάντες = omnes » indicare videtur quod, praeter Mariam et Ioseph, aliae personae — forsan parentes et familiares qui etiam ratione descriptionis Bethlehem venerunt — in vel prope speluncam adhuc adfuerunt; omnes illi de rebus mirabilibus a pastoribus narratis mirati sunt; de adstantium cogitationibus tacet Evangelista; de Maria vero dicit quod « *conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo* ». Ter S. Lucas ad intimos illos sensus B. Mariae Virginis alludit, 2, 19. 33. 51. Graece ἑλμύατα significat non solummodo « verba » sed « res » i. e. verba et facta. Lucas fontem e quo hausit modestè indicat; unumquodque factum cognosci potuisset e testibus factorum; ad factorum concatenationem cognoscendam, hanc Lucas cognoscere non potuit nisi a Maria; Maria enim diligenter omnia facta conservabat, illaque in memoria sua comparabat; unde ad Evangelistam pervenerunt sive immediate per Mariam, sive mediate per familiares Mariae, vel per Apostolos (1). Pastores tunc reversi sunt, et sensus eorum fuit sensus gratitudinis: glorificant Deum, proclamant magnitudinem eius, et laudant illum ratione operis peracti; quae audierant a Maria et Ioseph, et quae oculis viderant, perfecte consonabant cum his quae ab angelo eis dicta fuerant. Expressio « *quae audierant* » supponere videtur quod narrationi pastorum Maria et Ioseph aliquid responderunt ad nuntium angelicum confirmandum.

S. Thomas postea petit *per quemnam* nativitas Christi manifestari debuerit: Art. IV. *Utrum Christus per seipsum nativitatem suam manifestare debuerit?* Responsio est negativa: Christus non per seipsum suam nativitatem manifestavit, sed per quasdam alias creaturas.

Art. V. *Utrum nativitas Christi debuerit per angelos et stellam manifestari?* S. Thomas principium emittit: « Manifestatio quae fit per signa, debet fieri per ea quae sunt familiaria illis quibus manifestatur ».

a) *Iustis* familiare est interiori Spiritus Sancti instinctu edoceri; unde Simeoni et Annae nativitas Christi manifestata est per interiorum instinctum Spiritus Sancti.

b) *Iudaei* communiter divina responsa per angelos accipiunt, Act. 7, 53. Unde pastoribus revelata est nativitas Christi per angelos.

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 79. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc*, (éd. L. Pirot) 10, 1935, 46.

c) *Gentiles* et maxime astrologi consueti sunt stellarum cursum inspicere, unde Magis manifestata est nativitas Christi per signum stellae.

Nativitas ergo Christi per angelos et stellam manifestari debuit.

In Art. VI agit S. Thomas de convenienti ordine in Christi nativitate manifestato; et in Art. VII, et VIII, de manifestatione Magis facta.

Art. VI. *Utrum nativitas Christi ordine convenienti fuerit manifestata?* Nativitas Christi apud Lucam narrata, 2, 7 sequenti ordine manifestata fuit:

- a) Pastoribus, in ipsa nocte nativitatis *σήμερον*, *Lc.* 2, 8-20.
- b) Die octavo post nativitatem, occasione circumcisionis, *Lc.* 2, 21.
- c) Die quadragesimo a nativitate, occasione praesentationis in Templo, *Lc.* 2, 22-38.
- d) Adventus Magorum, *Mt.* 2, 1-12.
- e) Fuga in Aegyptum, *Mt.* 2, 13-15.
- f) Occisio puerorum a bimatu et infra, *Mt.* 2, 16.
- g) Reditus in Nazareth, *Mt.* 2, 19-23; *Lc.* 2, 39.

Quoad hunc ordinem difficultas quaedam ponitur: S. Thomas dicit quod Magi pervenerunt ad Christum tertia decima die nativitatis eius, et confirmationem huius invenit in *Lc.* 2, 39 ubi dicitur quod parentes Iesu, post purificationem Mariae die 40 a nativitate Christi, reversi sunt Nazareth. Unde Magorum adventus certo ante purificationem Mariae est ponendus.

Quod Magi ante purificationem Mariae Bethlehem venerunt vix admitti potest, uti infra probabimus; difficultatem e *Lc.* 2, 39 desumptam supra iam solvimus in parte exegetica N. T. cap. VII.

Art. VII. *Utrum stella quae Magis apparuit, fuerit una de caelestibus stellis?* Ad naturam huius stellae determinandam narratio evangelica inspicitur oportet: a) *Nomen stellae.* Matthaeus illam *ἀστὴρ* vocat et sic ab *ἄστρον* distinguitur. Porro *ἄστρον* primario de sidere e compluribus stellis constante dicitur, *Lc.* 21, 25; *Act.* 27, 20; etiam de astro quodam singulari dicitur, sed rarissime; dum e contra *ἀστὴρ* nunquam de stellarum collectione sed semper de astro quodam singulari praedicatur (1). Nomen ergo ipsum a Matthaeo adhibitum excludit omnes interpretationes quae stellam (*ἀστὴρ*) de constellatione quadam, de signo quodam Zodiaci, de collectione siderali, de coniunctione Saturni et Iovis (ita Kepler) explicaverunt. Stella quam Magi viderunt est *ἀστὴρ*, astrum singulare, v. g. planeta, cometa, stella, phaenomenon

(1) F. BOLL, *Der Stern der Weisen*, ZNW. 18, 1917, 40-48. — F. ZORELL, *Lexicon graecum* N. T. 1931, p. 187.

quoddam lucidum. — b) *Munus stellae*. Stella Magis apparuit, at tempus praecisum apparitionis determinari nequit; Magi illam ad Orientem viderunt, postea ex oculis aufertur et pluribus mensibus non amplius videtur. Quando Magi Ierusalem egressi sunt ad Bethlehem petendam, stella iterum apparuit et usque in Bethlehem illos praecessit (προῆγεν); quando Bethlehem venerunt, stella stetit (ἔλθὼν ἐστᾶθη) supra domum ubi puer erat et locum habitationis Familiae Sanctae eo modo Magis manifestavit. Quid ergo de huius stellae natura sit cogitandum? ORIGENES de cometa iam cogitavit et nostris diebus plerique auctores hanc interpretationem propugnant. M. J. LAGRANGE asserit hanc cometam forsitan similem fuisse cometae Halley, quae die 10 Ianuarii 1910 Ierusalem visa fuit et quae anno 12 ante Christum ab Oriente ad Occidentem transivit. D. SLOET stellam Magorum cum stella Martis identificat. F. PRAT adnotat quod Deus pluries in miraculis peragendis ad causas secundas recurrit et praesertim quando istae causae auxilium quoddam Deo praestare possunt ad finem a Deo intentum consequendum; unde ipse etiam ad stellam-cometam concludit (1).

Quando vero characteres stellae Magorum supra enumeratos consideramus, agnoscendum est illos difficile cometae ordinariae convenire posse; etenim: cometa ordinaria 1) omnibus noctibus, durante toto tempore suae apparitionis, visibilis manet; 2) cometa ordinaria non die sed nocte tantum lucet; Magi probabiliter die iter fecerunt et die stellam viderunt; 3) cometa ordinaria difficile viatores praecedere potest, quia tarde progreditur; 4) cometa ordinaria ab oriente ad occidentem procedit; iter vero Magorum est a Septentrione ad Meridiem, a Ierusalem in Bethlehem; 5) cometa ordinaria in caelis altissimis permanens difficile domum quamdam determinatam indicare potest.

Unde opinamur hanc stellam fuisse potius phaenomenon lucidum quam cometam, phaenomenon lucidum mobile ac transitorium a Deo confectum ad nativitatem Filii sui Magis manifestandam illosque ad Bethlehem praecedendos; phaenomenon illud Magos praecessit, sicut olim tempore Exodi per desertum nubes lucida Israëlitas praecesserat (2). «Stella de novo creata, inquit S. THOMAS, non in caelo, sed in aëre vicino terrae, quae secundum divinam voluntatem movebatur».

Art. VIII. *Utrum Magi convenienter ad Christum adorandum venerint?* Determinata natura stellae quae Magis apparuit, tres illae quaestiones praeliminares sunt solvendae: 1. Quid sint illi Magi, quisnam

(1) ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 58. P. G. t. 11, c. 767. — M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 23. — *L'Evangile de J. C.* 1929, p. 40. — D. SLOET, *De Ster der Wijsen*, 1920, p. 103. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 102.

(2) A. DURAND, *Evang. de S. Matthieu*, 1924, p. 13. — D. BUZY, *Ev. de S. Matthieu*, (ed. L. Pirot) 9, 1935, 13, 14.

numerus eorum? 2. Quisnam sit locus eorum originis? 3. Quandonam Bethlehẽm venerint?

1. *De Magis et eorum numero.* Magi graece μάγοι vocantur. In lingua graeca μάγοι duplicem sensum habet: 1) indicat homines venerabiles et honorabiles qui apud Medos et Persas tribum sacerdotalem constituebant et quorum munera erant somnia secreta interpretari ac divinitatibus sacrificia offerre. 2) Post captivitatem babylonicam substantivum μάγοι alium sensum assumpsit et omnes illos, qui astrologiam, necromantiam, divinationem exercuebant, designavit, unde de incantatoribus qui scientias occultas colebant saepe dictum fuit, *Dan.* 1, 20; 2, 2. 10. 17. In initio Christianismi eodem in sensu peiorativo adhibetur illud substantivum; Simon, *Act.* 8, 9 et Elymas *Act.* 13, 8 magi nuncupantur.

Apud S. Matthaeum vero Magi sunt homines omni honore digni, homines sapientes et scientifici, qui astrologiam uti scientiam coluerunt et qui astra observantes, astrum novum, valde extraordinarium perspexerunt. Nil mirum ergo quod inter antiquos etiam quidam SS. Patres fuerunt, qui illos uti Chaldaeorum magos consideraverunt.

Quaestio quandoque ponitur *utrum fuerint reges?* De charactere eorum regali tacet S. Matthaeus, et si illos uti reges considerasset certe textum *Ps.* 72, 10 adduxisset: « Reges Tharsis et insulae munera offerent. Reges Arabum et Saba dona adducent », nam pluries in historia infantiae, Matthaeus ad A. T. recurrit ad probandum quod prophetiae messianicae in Christo fuerunt adimpletae. Insuper si revera reges fuissent, Herodes illos modo solemniori accepisset. Praesertim a saeculo sexto Magi ut reges repraesentantur et hoc probabiliter quia ab eo tempore relatio intima stabilitur inter Magorum adorationem apud Matthaeum et prophetiam *Ps.* 72, 10. Credimus vero nullam adesse rationem ad asserendum Magos fuisse reges; ex evangelio deduci tantum potest quod fuerunt homines scientia eximii et valde honorabiles inter suos concives.

Numerus Magorum in narratione evangelica non indicatur; at quia tria donorum genera enumerantur, traditio popularis antiqua tres Magos adfuisse asseruit, et quidem nomina eorum adiunxit: Caspar, Melchior et Baltazar. Quae omnia tamen valde incerta sunt (1).

2. *De loco originis Magorum.* Magorum regio classica Media vel Persia reputatur; unde Magos ex his regionibus venisse plerique cogitaverunt (2). Quaedam tamen heic notanda sunt: 1) Horum regionum incolae linguam indo-europaeam callebant, et Ierusalem certo nullus

(1) J. WILPERT, *Le pitture delle Catacombe*, 1923, p. 176-186.

(2) F. CUMONT, *Textes et Monuments figurés relatifs aux mystères de Mithra*, 1, 1896, 42.

illos intellexisset. 2) Secundum Matthaeum Magi ab oriente ἀπὸ ἀνατολῶν venerunt. Qui vero a Persia vel a Media ad Palaestinum veniebant, viam commercialem assumebant quae a Syria a septentrione in Palaestinum descendebat. Unde nostris diebus communiter admittitur expressionem « ab oriente » designare regionem ad orientem Palaestinae, regnum scilicet arabum Nabataeorum, cuius civitas principalis erat Petra. Vltima a regno Nabataeorum in Palaestinam transibat per regionem Moab et per Iordanem et ab Oriente in Palaestinam ingrediebatur. Nabataei multas relationes cum Iudaeis habuerunt, inter illos multi Iudaei incoluerunt, fere eadem lingua usi sunt, et Nabataei aspirationes religiosas Iudaeorum cognoverunt; insuper donorum natura a Magis oblatorum originem arabicam eorum clare manifestat. Interpretatio ista quae nobis probabilior videtur iam proposuerunt S. Iustinus, S. Epiphanius, Tertullianus (1).

3. *De Tempore adventus Magorum.* Admitti nequit Magos Ierusalem venisse ante purificationem Mariae, quae facta est die quadagesimo a nativitate Iesu. Etenim 1) Magi Ierusalem advenientes colloquium cum Herode habuerunt et post colloquium Herodes edidit decretum occidendi omnes pueros in Bethlehem et omnibus finibus eius a bimatu et infra, Mt. 2, 6. Si haec ante purificationem facta fuissent, Ioseph certo non amplius Ierusalem ascendere ausus fuisset ad purificationis Mariae caeremoniam peragendam (2). 2) Insuper statim post adventum Magorum, Ioseph divinitus admonitus in Aegyptum fugit ibique usque ad mortem Herodis, tempore plus minusve longo, permansit, Mt. 2, 19. Quapropter auctores recentiores ponunt adventum Magorum post purificationem Mariae. At quandonam? Supra ostendimus quod Iesus probabiliter natus est circa annum 7 vel 6 a. Chr. et quod probabiliter saltem iam unum annum habebat quando Magi Bethlehem venerunt. Unde credimus quod Bethlehem venerunt circa annum 6 vel 5 a. Chr. cfr. supra, pars exegetica N. T. cap. IV B.

Difficultas contra hanc datationem e Luca 2, 39 proveniens, in parte exegetica N. T. cap. VII soluta iam fuit.

De manifestatione nativitatis Christi Magis facta, Mt. 2, 1-12.

Magi Ierusalem venientes rationem sui adventus exponunt: « Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in

(1) S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryphone*, 77, 4; 78, 1. 2. 5. 7. 8; 88, 1; 102, 2; 103, 3; 106, 7. P. G. t. 6, c. 658, 659, 686, 714, 715, 723. — S. EPIPHANIUS, *Adv. Haer. De fide*, VIII, P. G. t. 42, c. 786. — TERTULLIANUS, *Adv. Marcionem*, III, 13; P. L. t. 2, c. 366. — M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 20. — *Evangile de J. C.* 1929, p. 39. — J. LEBRETON, *La vie et l'enseignement de N. S. J. C.* 1, 1931, 54. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 100. — D. BUZY, *Ev. de S. Matthieu* (éd. L. Pirot), 9, 1935, 13.

(2) J. LEBRETON, *La vie et l'enseignement de N. S. J. C.* 1, 1931, 53.

Oriente, et venimus adorare eum », v. 2. Viderunt ad partem orientalem ἐν τῇ ἀνατολῇ regionis suae stellam quae nativitatem regis Iudaeorum annuntiabat, et illum adorare venerunt.

Quaedam notanda sunt: a) Non dicitur utrum Magi stellam in ipsa nocte nativitatis viderint, neque momentum profectionis eorum indicatur.

b) Quomodo stella fuit illis signum nativitatis regis Iudaeorum? Circa finem regni Herodis Magni, Messiae adventus universaliter inter Iudaeos exspectabatur; Messias Iudaeorum uti stella e Iacob surgere debebat, secundum prophetiam Balaam, *Num.* 24, 17. Prophetia hoc de ipsa persona Messiae intellexit, qui erit quasi stella surgens; Rabbini vero de stella quadam materiali explicaverunt quae nativitatem Messiae mundo annuntiare debebit. Dux ultimae insurrectionis iudaicae, qui se Messiam proclamavit, *Bar-Kokeba*, filius stellae dicebatur. Traditio ergo iudaica apparitionem alicuius stellae mirabilis, occasione nativitatis Messiae exspectabat. Magi e regno Nabataeorum venientes et multas relationes cum Iudaeis habentes, hos conceptus religiosos cognoscebant, unde videntes hanc stellam extraordinariam et forsitan etiam divinitus illuminati, ad nativitatem Messiae Iudaeorum concluserunt, illique venerari voluerunt.

c) Stella factum nativitatis non vero locum manifestavit, at quia de rege Iudaeorum quaestio erat, civitatem principalem Iudaeorum, Ierusalem, petierunt ad explicationem circa nativitatis locum acquirendam. Via nota erat, via commercialis per regionem Moab et per Iordanem ad Ierusalem (1).

Ierusalem advenientes, Magi a praetereuntibus de loco nativitatis regis Iudaeorum quaesierunt, rex enim natus erat, nam stellam eius viderant. Nuntium illud civitati ignotum adhuc videbatur; statim per totam civitatem diffundebatur et demum ad aures ipsius Herodis pervenit. Herodes turbatus fuit et tota civitas cum illo, v. 3.

Herodes, homo callidus, plures coniurationes iam superaverat; nunc iterum pro throno timuit; illum omni pretio conservare intendebat; cum astutia ergo procedendum erat: « *Congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur.* » Quaestio ponitur utrum sit coetus sollemnis an partialis tantum? *Sanhedrium* e triplici categoria constituebatur: a) e principibus sacerdotum; b) e scribis Legis; c) e senioribus populi. Quia seniores populi non enumerantur. B. WEISS, J. KNABENBAUER, M. J. LAGRANGE, F. PRAT, P. JOÜON, de convocatione partiali sanhedrii cogitaverunt; de convo-

(1) A. EDERSHEIM, *The Life and Times of Jesus the Messiah*, 1, 1907, 111, 112. — H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.*, 1, 1922, 76, 77.

catione nempe eorum qui in rebus doctrinalibus ac religiosis versati erant: principes sacerdotum et scribae seu doctores Legis. E contra J. H. HOLTZMANN, A. LOISY, P. SCHANZ, D. BUZY coetum solemnem, plenarium admittunt 1) quia auctores sacri etiam aliis in locis de Sanhedrio agentes non omnes partes eius constitutivas enumerant; 2) quia expressio γραμματεῖς τοῦ λαοῦ in hoc loco solummodo habetur et abbreviatio esse videtur involuntarie a copista facta qui loco «scribae legis et seniores populi» festinanter scripsit «scribae populi» (1).

Herodes locum nativitatis cognoscere vult, unde petit: «ubi Christus nasceretur?» Sanhedrium respondit: «In Bethlehem Iudaeae (graece): Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nunquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiit dux, qui rogat populum meum Israël». 1. Locus nativitatis est Bethlehem Iudaeae quae distinguenda est a Bethlehem Galilaeae in tribu Zabulon; locus ille a Propheta Michaea iam determinatus fuerat. 2. Scribae probabiliter textum Michaeae ad litteram attulerunt, Matthaeus ad sensum tantum; Michaeas 5, 1 in humilitate Bethlehem institit; Matthaeus vero gloriam eius futuram ratione nativitatis Messiae sub oculis ponit (2).

Herodes iam cognoscit locum nativitatis; ad nefarium suum propositum occidendi puerum exsequendum, desiderat etiam tempus et domum nativitatis cognoscere. Quapropter «clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellae, quae apparuit eis». Convocat Magos, forsitan nocte, ne rumor fiat inter populum, ad palatium, et accurate ab eis inquit: (ἠχρίβωσεν) primum momentum apparitionis stellae (τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος) ut tempus praecisum nativitatis determinare possit. Quo cognito, misit Herodes Magos in Bethlehem dicens: «Ite et interrogate diligenter (ἀχρίβως) de puero et cum inveneritis, renunciate mihi ut et ego veniens adorem eum». Domum nativitatis demum cognoscere vult. Tota ista interrogatio Sanhedrii et Magorum ab Herode ad pueri occisionem ordinatur, uti ex sequentibus constat. Locum et domicilium nativitatis cognoscens et sciens insuper puerum esse infirmum, absque fautoribus, sufficeret ei duos nuntios mittere qui clam, absque populi rumore, competitorem suum periculosum e medio tollere poterunt.

Magi, de bona intentione Herodis non dubitantes, abierunt, «et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos». Probabiliter die sequenti Magi Ierusalem dereliquerunt, et ex urbe egressi, stella eis iterum apparuit, ex quo gaudium magnum. Stella quam in loco

(1) D. BUZY, *Evangile de S. Matthieu*, (éd. L. Pirot) 9, 1935, 15.

(2) S. HIERONYMUS, *Epist.* LVII, 10, *P. L.* t. 22, c. 576. — F. CRUPPENS, *De Prophetis Messianicis in A. T.* 1935, p. 349.

originis suae viderant, durante itinere a regno suo ad Ierusalem non amplius visa fuerat, nihil enim textu indicat stellam Magos in Ierusalem conduxisse; nunc iterum apparet et illos a Ierusalem ad Bethlehem *antecedebat* et conducebat (προηγεν), *usque dum staret ubi erat puer*, et sic domicilium regis Iudaeorum designabat; praetereuntes interrogare non debuerunt, Deus ipse locum designat. Quaeritur utrum locus ille fuerit spelunca nativitatis an domus quaedam in civitate? Expressio Matthaei est valde indeterminata. S. IUSTINUS, ORIGENES et traditio antiqua pro spelunca opinantur (1). Si vero adventus Magorum ponatur pluribus mensibus forsan uno anno et amplius post nativitatem Iesu, quod hodie sat communiter admittitur, supponi potest quod Ioseph interea habitationem quamdam delictiorem quaesierit et quidem invenerit; unde recentiores non pro spelunca sed pro domo in civitate opinantur: P. SCHANZ, J. KNABENBAUER, M. J. LAGRANGE, F. PRAT, D. BUZY. Magi ergo *domum* εἰς τὴν οὐκίαν *intraverunt*; οὐκία proprie domum designat, de spelunca tamen etiam dicitur quae ad hominum habitationem inservit, credimus domum in sensu proprio esse sumendam (2); et *invenerunt puerum cum matre eius*, Ioseph forsan absens erat, laboribus suis quotidianis occupatus; et *procidentes adoraverunt eum*. Plures prostrationes apud Iudaeos in usu erant: sola genuflexio; genuflexio cum brachiorum extensione; genuflexio cum capitis inclinatione usque ad terram; prostratio totius corporis super terram (3); modus prostrationis heic non indicatur, « πεσόντες = procidentes » tantum dicitur. Procidentes *adoraverunt eum*: προσεκύνησαν αὐτῷ. Quaeritur utrum sit *adoratio divina* qua Magi divinitatem pueri agnovissent? an tantum *veneratio* quam puero uti regi eximio, uti regi Messiae Iudaeorum reddiderunt? S. Matthaeus verbum προσκυνεῖν adhibet. Porro in N. T. προσκυνεῖν de variis adorationibus dicitur: a) de adoratione Dei, *Mt.* 4, 10; *Lc.* 4, 8; *Ioan.* 4, vv. 20, 21; *Act.* 8, 27; *Apoc.* 4, 10; 5, 14; b) de adoratione Christi, *Mt.* c. 2, 11; 8, 2; 9, 18; 20, 20; *Lc.* 24, 52 etc.; c) de adoratione Petri, *Act.* 10, 25; d) de adoratione angelorum, *Apoc.* 19, 10; 22, 9; e) de adoratione principis, *Mt.* 18, 26; f) de adoratione diaboli, *Mt.* 4, 9; *Lc.* 4, 17; g) de adoratione fidelium, *Apoc.* 3, 6 (4). Quando προσκυνεῖν de Christi adoratione praedicatur, sicut in loco nostro, tunc vel adorationem striete divinam *Mt.* 28, 17; *Ioan.* 9, 38; *Hebr.* 1, 6, vel solam eius venerationem in quantum est legatus divinus, designare potest, *Mt.* 8, 2; 9, 18; 15, 22;

(1) S. IUSTINUS, *Dial. cum Tryphone*, 78, 5; *P. G.* t. 6, c. 658. — ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 51, *P. G.* t. 11, c. 758.

(2) P. DAUSCH, *Die drei älteren Evangelien*, 1932, p. 55. — F. PRAT, *Jésus Christ*, 1, 1933, 104. — D. BUZY, *Ev. de S. Matthieu*, (éd. L. Pirot), 9, 1935, 18.

(3) H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.* 1, 1922, 73.

(4) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 1143.

Mt. 5, 6. Unde ex solo verbo προσκυνεῖν adorationis sensus determinari nequit; contextus igitur inspicendus est. Stella quam Magi in Oriente viderant eis nativitatem liberatoris seu regis Iudaeorum manifestaverat, et hunc regem adorare nunc voluerunt, *Mt.* 2, 2; en scopus itineris Magorum: « regem Iudaeorum noviter natum adorare ». Quando ergo illum Bethlehem invenerunt, « procidentes adoraverunt eum », fecerunt ergo id quod sibi proposuerant: « regem Iudaeorum adoraverunt », illudque « procidentes » fecerunt, quia prosternatio coram rege praescripta erat. Opinamur igitur quod, inspectis textu et contextu, ad adorationem divinam proprie dictam concludi nequit; Magi puerum Iesum uti liberatorem ac regem populi israelitici venerati sunt (1); neque dicendum est cum F. PRAT et D. BUZY, Magos interne a Deo illuminatos fuisse de natura divina pueri, quia de huiusmodi illuminatione ne vestigium quidem habetur.

Magi non solum venerati sunt puerum, sed insuper dona obtulerunt: « *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham* ». Veneratio regis magni donorum oblationem importat; Magi hanc consuetudinem cognoscebant et dona pretiosa e regione sua attulerunt. Graece ὁ θησαυρός heic loculos seu cistam designat in qua dona includebantur; apertis oculis obtulerunt Magi tria dona: aurum, thus et myrrham; thus et myrrha sunt fructus principales terrae Arabiae; fructus illi ad alias regiones exportati fuerunt, ideoque magnorum proventuum causa fuerunt et aurum ad Arabiam confluit, immo abundavit. Plerique SS. PATRES donis oblatis sensum symbolicum dederunt quem in quadam Epiphaniae antiphona invenimus: « aurum sicut regi magno, thus sicut Deo vero, myrrha sepulturae eius (sicut homini) ». Non credimus Magos hanc intentionem nutritis, saltem hoc probari nequit.

Magi Bethlehem pernoctaverunt, *et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam*. Expressio « *responso accepto* » quam in Vulgata legimus, indicare videtur quod Magi, forsitan quid mali ex parte Herodis timentes, consilium a Deo petierant. Graece vero χρηματισθέντες κατ'ὄναρ legitur, quod significat « in somno divinitus edocti », *Mt.* 2, 22; *Hebr.* 8, 5; et quando infinitum sequitur (μὴ ἀνακλῦσαι), de vero mandato divino praedicatur (2). Durante nocte, in somno, Deus praecepit eis ne redirent ad Herodem, illudque praeceptum fideliter adimplentes, per aliam viam ad regionem suam reversi sunt. Praeter viam quae per Ierusalem et Iericho duclit

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 30, 31. — J. DE KEULENAER, *De adventu Magorum in Bethlehem*, *Mt.* 2, 1-12, « *Collect. Mech.* » 24, 1935, 51. — F. OHRFENNE, *Theologia Biblica, De Incarnatione*, 3, 1939, 248, 251.

(2) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 1451.

trans Iordanem, tres aliae habentur: a) prima quae per desertum, quin per Ierusalem transeat, ad pontem Iordanis conducit; b) secunda quae per Thecua ad Engaddi vadit, ubi navicula mare mortuum traicitur; c) tertia quae per Hebron, Ziph et Maon meridiem maris mortui attingit. Quamnam sumpserint Magi, narratio Matthaei non dicit.

De huius narrationis historicitate.

Plerique auctores Independentes, inter quos eminent A. LOISY et A. DIETERICH, characterem narrationis historicum reiciunt et narrationem nostram plane legendariam esse contendunt (1).

A. LOISY primo animadvertit quod narratio ista apud solum Matthaeum occurrit et cum praecedentibus non cohaeret; momentum caeterum apparitionis stellae, occasione nativitatis Messiae, exaggerandum non est, nam factum simile etiam in antiquis legendis narratur, v. g. quando puer alicuius divinitatis, vel puer magni nominis nascitur, pluries dicitur caput eius lumine mysterioso circumdatum fuisse. Deinde A. LOISY originem nostrae narrationis explicare conatus est: a) *Origo stellae* in narratione Balaam est quaerenda: Balaam, Num. 24, 17 proximam victoriam David in Moabitis praenuntiat, et designans David, dicit: « stella ista (David) ex Iacob prodibit, quae Edom et omnes inimicos Israël subiiciet ». Traditio iudaica hanc narrationem in prophetiam messianicam transmutavit et stellam explicavit non de ipso Messia, sed de stella quae occasione nativitatis Messiae lucere debuit. b) *Adventus regum origo*: traditio iudaica textus Isaiae 60, 6 et Ps. 72, 10 assumens, docuit quod, occasione nativitatis Messiae, reges ex oriente, reges Arabum et Saba cum muneribus advenient ad regem messianicum adorandum. Duo ergo in traditione dicebantur: a) stella quae nativitatem Messiae annuntiabit; b) Reges qui venient ad puerum adorandum. Matthaeus vero relationem intimam inter stellam et adventum regum stabilivit et dicit quod stella fuit regibus signum quo nativitatem Messiae cognoverunt, immo quod stella reges in Bethlehem conduxit.

A. DIETERICH vero opinatur Magorum adorationem non esse nisi transformationem narrationis de visitatione Tiridatis anno 66 p. Chr. ad Neronem facta. DION CASSIUS in sua historia varia refert artificia quibus Tiridates, rex Armeniae, coronam regalem a Nerone obtinere conatus est, agnoscens scilicet Neronem tamquam proprium suum deum (2). Ad Neronem introductus, ei dixit: « *Veni ad te, deum meum, adorans te sicut Mithram ipsum* » (καὶ ἡλθὼν τε πρὸς σε τὸν ἐμὸν θεόν,

(1) A. LOISY, *Les Evangiles Synoptiques*, 1, 1907, 362-368. — A. DIETERICH, *Die Weisen aus dem Morgenlande*, ZNW. 3, 1902, 1-14.

(2) DION. CASSIUS, *Hist.* LXIII, 1, 1-7. — Suetonius, *Nero*, 13.

προσκυνήσων ὡς καὶ τὸν Μίθραν); deinde magno cum apparatu et inaudito splendore orientali, quaedam spectacula profana repraesentata sunt; quibus peractis, Tiridates per aliam viam in regionem suam reversus est. Matthaeus ab hac narratione certo dependet, nam eadem praecise verba ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ; at contra expressum testimonium Matthaei, asserit A. DIETERICH Magos a Septentrione venisse.

Quid de his sit cogitandum? a. Diversa contra assertiones A. LOISY statuenda sunt: 1) Matthaeus revera solus hanc narrationem refert; Marcus et Ioannes historiam infantiae non tradunt, quia alium scopum prosecuti sunt: Marcus praedicationem Petri refert, quae cum baptismo Christi tantum incipit; Ioannes e doctrina et miraculis Christi eius missionem ac naturam divinam monstrare intendit. Lucas quaedam de historia infantiae habet, sed documentum palaestiniense forsitan secutus est, quod adorationem Magorum omisit, probabiliter quia in evangelio aramaico iam habebatur (1). Apud Matthaeum quaedam inveniuntur quae apud Lucam desunt, et vice-versa; diversa habentur, non opposita; e fontibus diversis hauserunt. Matthaeus ordinem chronologicum sequitur: praemissa genealogia, conceptionem et partum virginalem Iesu narrat; deinde facta quaedam quae post Iesu natiuitatem evenerunt, et illa facta praesertim refert quae relationem cum A. T. prophetiis habent, et hoc quidem ad probandum prophetias in Iesu fuisse adimpletas. 2) Quod autem ad stellam attinet, stella ἀστὴρ nostrae narrationis non est lumen quod caput pueri circumdedit, signum forsitan metaphoricum originem nobilem pueri significans, sed est phaenomenon lucidum, extraordinarium, quod occasione nativitatis Iesu in caelis Magis apparuit, quod deinde ex oculis aufertur, et postea durante itinere Magorum a Ierusalem ad Bethlehem Magos praecessit et demum super pueri domicilium stetit. Ubinam in legendis profanis aliquid simile invenitur? 3) Narratio Balaam, Num. 24, 17, saltem v. 17a-b, non est narratio in prophetiam messianicam transformata, sed est vera prophetia messianica, in sensu stricte literalis; non David, sed Messias uti stella praenuntiatur. Tempore vero Christi, Rabbini ad hanc prophetiam alludentes dixerunt quod stella quaedam caelestis nativitatem Messiae annuntiare debebat, illaque assertio inter Iudaeos ubique dispersa fuit. Unde quaestio nullatenus habetur de transformatione narrationis historicae in prophetiam messianicam (2). 4) Dependuntia Matthaei ab Is. 60, 6 et a Ps. 72, 10 difficile admitti potest; etenim si ab his locis dependisset, a) certo dixisset Magos «reges» Orientis fuisse, et b) adnotasset prophetiam Ps. 72, 10 adventu regum

(1) E. TOBAC, *Comptes rendus, Articles, Chroniques, RHE.* 18, 1922, 318.

(2) F. CEUPPENS, *De prophetiis messianicis in A. T.* 1935, p. 91-99.

in Bethlehem adimpletam fuisse, sicut in historia infantiae continuo facit. Nunc vero Magos uti homines honorabiles et scientificos exhibet, absque ulla allusione ad locos citatos A. T. Quibus consideratis, opinamur assertiones A. LOISY verum fundamentum non habere et narrationem nostram non esse legendariam sed historicam.

b. Similiter assertio A. DIETERICH prorsus reiicienda est, etenim 1) Magi apud Matthaeum sunt homines valde honorabiles, dum e contra PLINIUS asserit comitatum quem Tiridates secum adduxerat, constitutum fuisse ex actoribus scenicis qui Neronem ad artem scenicam et magicam initiare debebant (1). 2) Deinde protestationes Tiridatis coram Nerone consideratae fuerunt ab opinione publica non uti adoratio divina salvatori cuidam debita, sed uti infames artifices, uti turpitudines alicuius candidati qui omni pretio ad dignitatem regalem pervenire satagebat. 3) Demum quomodo explicandum est quod factum anno 66 p. Chr. peractum, potuit transformari, ad historiam infantiae adiungi et a communitate christiana accipi uti pars authentica evangelii Matthaei, circa 60 p. Chr. scripto consignati? (2).

Nativitas Christi ergo manifestata est:

1. Die ipso Nativitatis, forsitan nocte nativitatis, Bethlehem, pastoribus qui fuerunt Iudaei, homines simplices, humili conditione; manifestatio fuit externa, nam facta est ab angelo qui puerum natum uti Salvatorem et Messiam exhibuit, cfr. *Lc.* 2, 11.

2. Die quadragesimo nativitatis, in templo Ierusalem, Messiae nativitas manifestatur personis piis, Simeoni et Annae; manifestatio interne, per Spiritum Sanctum est facta, qui puerum natum monstravit uti Salvatorem Gentium et Iudaeorum, uti salvatorem mundi universi; immo opus Redemptionis insinuat, *Lc.* 2, 30-32; 34. 35.

3. Nativitas Christi Magis in oriente manifestatur, Magis qui fuerunt pagani, sapientes, divites. Manifestatio fuit externa per stellam, forsitan etiam illuminatione interna; manifestatur uti rex et Messias Iudaeorum. Magi Bethlehem advenientes, puerum ut regem Iudaeorum, ut Messiam Iudaeorum venerati sunt, *Mt.* 2, 2. 11.

11. *De legalibus circa puerum Iesum servatis, q. 37.*

Quia circumcisio, inquit S. Thomas, est quaedam professio legis observandae, secundum illud *Gal.* 5, 3: «*Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis faciendae*», simul cum

(1) PLINIUS, *Hist. Nat.* XXX, 1, 16.

(2) E. MEYER, *Ursprung und Anfänge des Christentums*, 1, 1921, 60. — M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Matthieu*, 1923, p. 21.

hoc quaerendum est de aliis legalibus circa puerum Iesum observatis. En ratio quare S. Thomas occasione circumcisionis etiam de oblatione pueri et de purgatione matris loquitur; et quia occasione circumcisionis communiter puero nomen imponitur, dividit S. Thomas hanc quaestionem secundum quattuor articulos: 1. De Christi circumcisione. 2. De nominis impositione. 3. De Christi oblatione. 4. De matris purgatione.

Art. I: *Utrum Christus debuerit circumcidi?* Quaedam praenotanda sunt:

1. *De circumcisionis nomine et natura.* Circumcisio hebraice מוֹלָה *mûlâh*, *Exod.* 4, 26; graece περιτομή *Ioan.* 7, 22 (α περιτέμνειν = circum-cidere) dicitur, et designat actionem qua pellicula extrema membri virilis aufertur, illaque pellicula «*praeputium*» hebraice עֶרְלָה *'ârlâh*, *Gen.* 34, 14, graece ἀρροβυστία *Act.* 11, 3 vocatur; secundum quosdam ἀρροβυστία esset forma hellenistica vocis attico-ionicæ ἀρροποσθία = praeputium, et significatio concreta est primaria (1). Caeremonia durante qua ista ablatio fit, ritus circumcisionis, vel simpliciter circumcisio nuncupatur.

2. *De aetate ac diffusione Circumcisionis.* De antiquitate circumcisionis pauca dici possunt. Certo circa medietatem tertii millenarii ante Christum apud Aegyptios iam exstitit, nam in templo Khons in Karnak anaglypta inventa sunt quae pueri circumcisionem repraesentant; item cadavera medicata ex altissima aetate usum circumcisionis manifestant; immo G. RICCIOTTI opinatur ritum circumcisionis apud Aegyptios usque ad antiquum imperium, ad finem quarti millenarii ascendere (2).

H. LESÈTRE contendit hunc ritum universalem fuisse in Aegypto (3); valde diffusus sane fuit praesertim inter familias sacerdotales et aulicorum. Ammonitae et Moabitae hunc ritum a patre suo Loth acceperunt, *Ier.* 9, 26, qui illum secum probabiliter adduxit ex Aegypto. Arabes iam longo tempore ante Mohammed circumcisionem habent, forsan ad illos ab incolis Aethiopiae transmissam et quam postea Arabes ad Asiam Centralem transtulerunt. Mohammed in Koran de huius ritus necessitate nihil habet, illum tamen valde meritorium declarat. Populationes semiticae maiori ex parte circumcisionem habent, de Assyro-Babylonis dubitatur. Chananaei, *Gen.* 34, 14; Philisthaei, *Iud.* 14, 3; Phoenicaei, *Ez.* 32, 30 et Syri illam ignorasse videntur (4).

(1) F. ZORELL, *Lexicon graecum N. T.* 1931, p. 57.

(2) G. RICCIOTTI, *Storia d'Israele*, 1, 1932, 147, n. 133.

(3) H. LESÈTRE, *Circumcision*, *DB.* 2, 1899, 772.

(4) FL. JOSEPHUS, *Ant. Iud.* VIII, x, 3; xx, 3.

Inquisitiones ethnologicae hodiernae demonstrant circumcisionem vigere apud quosdam Pygmaeos ex Africa Centrali: Bakango, Akka, apud populationes primitivas multas ex Africa Centrali, Australia, Polynesia, America Meridionali (1).

3. *De ritu circumcisionis.* Ritus circumcisionis apud omnes illos populos uniformis non fuit; hominum circumcisio in ablatione pelliculae extremae membri virilis communiter consistebat, uti supra diximus; sic apud Iudaeos fit; quandoque tamen etiam sola parva incisione in pellicula extrema perficiebatur, dummodo sanguis e vulnere efflueret. Apud quasdam tribus consuetudo mulieres circumcidendi exstitit, quae consistebat in clitoridis ablatione, quapropter clitoridectomia vocabatur; apud Iudaeos mulierum circumcisio ignota fuit. Quaedam populationes primitivae circumcisionis ritum celebrabant circa tempus pubertatis puerorum, quando definitive uti membra tribus admissi erant; aliae tribus citius, immo quaedam neonatos ad hunc ritum attulerunt. Apud Iudaeos, die octavo post pueri natiuitatem, circumcidebatur infans, *Lev.* 12, 3; *Le.* 2, 21.

4. *De sensu huius ritus.* HERODOTUS 2, 37 declarat Aegyptios hunc ritum adimplere propter motivum hygienicum, cui PHILO duas alias rationes adiungit: a) ut immunes fiant a gravi et incurabili infirmitate; b) ut actus sexualis facilius reddatur ac fecunditas augeatur.

Apud Iudaeos ritus circumcisionis sensum omnino specialem habuit, sensum religiosum, nam circumcisio est pactum inter Jahweh et populum, quem sibi elegit, populum isaëliticum, *Gen.* 17, 9-14. Abraham ex Ur-Kasdim, in Chaldaea, veniens, incircumcisus fuit et forsitan circumcisionem ignoravit; quando in Chanaan advenit, ratione famis in Aegyptum descendere debuit, *Gen.* 12, 10-20, ubi durante sua commotione de hoc ritu certo audivit, illumque exsequi forsitan vidit; immo CELSIUS contra omnem veritatem asserere ausus est Iudaeos hunc ritum ab Aegyptiis assumpsisse (2).

Abraham circumcisionem cognovit quando ex Aegypto in Chanaan reversus est. Deus nunc pactum cum populo suo isaëlitico concludere intendit. Cum Abraham fuerit caput et pater populi, pactum inter Deum et Abraham, in quantum caput populi, concluditur. Pactum illud signo externo manifestabitur et quidem circumcisione, *Gen.* 17, 9-14. Circumcidetur omne masculinum e populo isaëlitico; sive sit liber, sive servus, quicumque ad populum isaëliticum pertinet aut pertinere

(1) A. MACALISTER, *Circumcision*, *DB. Hist.* 1, 1988, 442. — H. LESÊTRE, *Circoncision*, *DB.* 2, 1899, 773. — I. BENZINGER, *Circumcision*, *Enc. Bibl. Cheyne*, 1, 1899, 830. — W. SCHMIDT, *Die Stellung der Pygmäenvölker in der Entwicklungsgeschichte der Menschen*, 1910, p. 47-48. — *Der Vorsprung der Gottesidee*, 4, 1933, 247. — G. RICCIOTTI, *Storia d'Israele*, 1, 1932, 147, n. 133.

(2) ORIGENES, *Contra Celsum*, I, 22, P. G. t. 11, c. 697.

vult, circumcidendus est vv. 10-12, et hoc quidem sub gravi nam quicumque circumcisis non fuerit de populo israelitico excommunicabitur: «delebitur anima illa de populo suo», v. 14; item *Lev.* 17, 9. 10. Circumcisione circumcisis nationi electae incorporatur, et iura et officia quae ex illa incorporatione sequuntur tacite saltem suscipit. In quo consistit circumcisio? «carnem praeputii vestri circumcidetis», v. 11; quandonam sit facienda? «Infans octo dierum circumcidetis», v. 12, item *Lev.* 12, 2. 3 (1). Hoc est pactum aeternum, quod Deus cum populo electo inivit et quo populus israeliticus modo speciali Deo consecratur, v. 13. Ritus circumcisionis ab hoc momento universaliter inter Israelitas admissus fuit, *Gen.* 17, 23-27; 21, 4; *Ios.* 5, 2-11.

Circumcisio ergo apud Israelitas erat de facto ritus religiosus, ritus quo circumcisis Deo consecratur ac communitati populi electi adscribitur. Iesus huic legi se subiicere non debuit, nam ut Homo-Deus super omnem legem positivam stetit; at natus sub lege, *Gal.* 4, 4, voluit, ut fidelis filius Abrahae, leges populi sui perfecte adimplere; perfecta ista subiectio praescriptionibus legalibus muneri suo omnino convenit, venit ad peccatores redimendos, illosque ad oboedientiam Deo reducendos, unde perfectae oboedientiae exemplum praebere ipse voluit.

Lc. 2, 21. *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.*

Narratio brevitate elucet, Lucas forsitan non multa de hac caeremonia cognovit, vel forsitan omnia modo consueto sunt peracta; factum circumcisionis tantum affert, ad nomen pueri manifestandum. Circumcisio die octavo a nativitate fieri debebat, *Gen.* 17, 12. *Lev.* 12, 2. 3, etiamsi Sabbatum fuisset, *Ioan.* 7, 23. Ritus ille non erat munus proprie sacerdotale, nam omnis Israelita, etiam mulier, illum perficere poterat, *I Mac.* 1, 63; *II Mac.* 6, 10; unde etiam communiter in familia fiebat, uti ex circumcisione Ioannis Baptistae constat, *Lc.* 1, 59 sqq. Communiter MOHEL aderat, homo nempe in civitate bene notus et valde expertus ad operationem acute peragendam. Factum essentielle in ista operatione erat effusio sanguinis, et ita essentielle erat ut, si puer fuisset naturaliter circumcisis, Mohel incisionem tamen facere deberet, nam sanguis, sanguis foederis, effluere debebat. Durante ritu Mohel dicit: «Benedictus Jahweh, Deus noster, qui praeceptis suis nos sanctificavit et circumcisionem nobis dedit»; et pater pueri perguit, dicens: «qui praeceptis suis sanctificavit nos, nobisque dedit honorem introducendi puerum in foedus Abrahae patris nostri» (2). Nomen deinde puero im-

(1) J. BONSIIVEN, *Le Judaïsme palestinien*, 2, 1935, 168-171.

(2) H. LESÊTRE, *Circuncision*, DB. 2, 1899, 776. — H. STRACK - P. BILLERBECK, *Komm. zum N. T.* 4, 1928, 23-40. — J. BONSIIVEN, *Le Judaïsme palestinien*, 2, 1935, 171.

ponitur, nomen filii Mariae erit Iesus, nomen ab angelo tum Mariae, *Lc.* 1, 31, tum Ioseph communicatum, *Mt.* 1, 21: consensu utriusque coniugis, nomen « Iesus » puero datur, *Mt.* 1, 25.

Art. II: *Utrum convenienter fuerit Christo nomen impositum?* Nominis impositio fit in die circumcisionis, a) ad commemorandum quod etiam in circumcisione Deus Abrahae nomen novum dedit; b) ad distinguendum novum membrum communitatis a caeteris. Filius Mariae nomen « Iesus » accepit, et divinitus impositum fuit, uti scimus ex *Lc.* 1, 31 et *Mt.* 1, 21.

IESUS graece Ἰησοῦς, hebraice יֵשׁוּעַ (yēšūa'), forma recentior brevior nominis יְהוֹשֻׁעַ (yēhōšūa'), quod significat « Jahweh est salus », vel precative « Jahweh, salva » (1). Pluries illud nomen in A. T. occurrit et quidem sub formis diversis, nempe, Josue, Iosias, Osee, Oseas, Isaias, etc. Nomen illud diversis rationibus hominibus imponitur: a) ad hominem ab alio distinguendum, nomen ergo appellativum; b) ad significandum hominem a Deo specialem missionem accepisse, vel speciali auxilio divino gaudere, nomen ergo symbolicum. Nomen Iesu est symbolicum, nam missionem divinam Iesu indicat: « vocabis nomen eius IESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum », *Mt.* 1, 21. Iesus est etiam nomen appellativum, personale, filii Mariae; et quia incola fuit Nazareth, pluries nomini Iesu « Nazarenus » adiungitur. Sub nomine Iesu et Iesu Nazareni a populo cognoscitur et interpellatur, *Mc.* 10, 47; *Lc.* 17, 13; 18, 38; *Ioan.* 1, 45; 12, 21. Iesus ipse illud nomen « Iesus Nazarenus » ut sibi proprium agnoscit, *Ioan.* 18, 4. 5. Apostoli in nomine Iesu daemonia eieiunt, et in nomine Iesu Nazareni miracula operantur, *Act.* 3, 6; 4, 10. 30; 16, 18; Pilatus in capite crucis inscribi iussit: « Iesus Nazarenus, Rex Iudaeorum », *Ioan.* 19, 19. Ratione eius oboedientiae « Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum », *Phil.* 2, 9-10. In nomine Iesu tantum hominibus est salus: « Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri », *Act.* 4, 12.

Iesus etiam Χριστός, Christus, hebr. מָשִׁיחַ (māšīaḥ) vocatur; semel tantum Χριστός Κύριος dicitur apud *Lc.* 2, 11; pluries vero Χριστός Κύριος, cfr. supra, in parte theologica, q. XXXVI, Art. III.

Aliud nomen in S. Scriptura frequenter Iesu impositum est Κύριος = Dominus. De sensu huius tituli, eiusque origine, cfr. *Theol. Bibl. De SS. Trinitate*, p. 101-104.

(1) F. ZORELL, Was bedeutet der Name Jesus? ZKT. 39, 1906, 764-766.

Art. III: *Utrum Christus convenienter fuerit in templo oblatus?* S. Lucas 2, 22 factum oblationis Iesu in templo solummodo refert. Lucas illud factum affert ut possit declarationem propheticeam Simeonis et actionem divinitus inspiratam Annae nobis communicare. Quoad primogenitum Lex mosaica determinavit: « Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Israel, tam de hominibus quam de iumentis; mea enim sunt omnia », Ex. 13, 2. « Separabis omne quod aperit vulvam Domino, et quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexus, consecrabis Domino... omne autem primogenitum hominis de filiis tuis, pretio redimes », Ex. 13, 12. 13. In Lege non dicitur quod oblatio puerorum in templo fieri debebat; dicitur solummodo quod primogenitus sexus masculini Deo consecrari et ab Eo redimi debebat, quod etiam in familia fieri potuisset. Maria vero, mater pia et timens Deum voluit ipsa personaliter, ex pietate et devotione, primogenitum suum ad templum conducere, illumque occasione propriae suae purgationis Domino sistere. Secundum Legem, omnis primogenitus sexus masculini Deo consecrandus erat, Deus enim ost auctor vitae, vita a Deo provenit et ad Deum pertinet, unde quotiescumque nova vita in familia oritur a Deo redimenda et consecrandum est, et sic primitiae iumentorum ac hominum Deo offeruntur. Primogeniti sexus masculini de filiis Israël modo peculiari ad Deum pertinent, illudque Deus in fine captivitatis Aegypti aperte manifestavit occidendo primogenitos Aegyptiorum et parcendo primogenitis Israëlitarum. Primogenitus sexus masculini non solum ut primitiae erat Domini, addit F. PRAT, verum etiam ut familiae caput; in regimine enim patriarchali caput familiae speciem quamdam sacerdotii exercebat, eo quod ius habebat sacrificia offerendi atque officium vigilandi circa cultum divinum (1). Sane tribus sacerdotalis Levi postea electa fuit ad omnia officia cultus celebranda, usus tamen consecrandi primogenitum Deo a patrefamilias semper remansit, qui ea in occasione quinque siclorum solvere debebat, Num. 18, 16 (2). Pretium illud non necessario in templo Ierusalem, sed ubicumque solvi poterat.

Art. IV: *Utrum mater Dei convenienter ad templum purganda accesserit?* S. Lucas, 2, 22-24, de purgatione Mariae dicit: « Et postquam impleti sunt dies purgationis eorum (αὑτῶν) secundum Legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum ». Quoad difficultatem

(1) F. PRAT, *Jésus Christ*, I. 1933, 94.

(2) P. HEINISCH, *Das Buch Numeri*, 1936, p. 22.

proveniens e textu « dies purgationis eorum », diximus supra in parte exegetica N. T. cap. VI, quod non agitur de purgatione Ioseph; Maria sola purificatione indiget. Lucas vero caeremoniam narrare intendit cui Iesus et Maria, titulo tamen diverso, adfuerunt, Maria ad Legis praescriptionem de purgatione adimplendam, Iesus ut Domino redemptione consecratur; est igitur caeremonia in qua duae personae interveniunt, unde formam pluralem adhibuit Evangelista (1).

S. Lucas legem ad sensum tantum affert. Lex de oblatione pueri legitur in *Ex.* 13, 2. 12. 15. Lex vero de hostia danda, in *Lev.* 12, 6-8. Oblatio hostiae non pro pueri redemptione sed pro matris purgatione facienda erat. Purificatio matris die quadragesimo a nativitate pueri sexus masculini fieri debebat; parentes divites agnum anniculum in holocaustum et pullum columbae sive turturem pro peccato offerre debebant, *Lev.* 12, 6; pauperes vero duos turtures vel duos pullos columbarum praesentare debebant, unum in holocaustum, alterum pro peccato. Maria oblationem pauperum praesentavit. Uti supra iam diximus, neque matris purgatio, neque pueri redemptio necessariae erant, Maria vero humilitate ac oboedientia plene Legi se subiecit, quia, uti uxor legalis Ioseph considerabatur, omne scandalum inter familiares evitare voluit, quapropter Legis praescriptiones fideliter ac personaliter adimplere voluit.

(1) M. J. LAGRANGE, *Ev. de S. Luc*, 1921, p. 82. — L. MARCHAL, *Ev. de S. Luc*, (éd. L. Pirot), 10, 1935, 47.

INDEX BIBLICUS

GENESIS

C. V.	P.
1, 2	78
12	3
27	53
2, 7	154
8	1
15	1
3, 1	1,2,8,16.
1-7	1
1-13	11,15
1-24	8,19
2	8,16
4	2,8,16
5	2
6	8,16
8-13	1
13	8,16
3, 14	1,2
15	1,2,3,4,5,6,7,9,14.
	19,21,60,152.
16	6,8,227.
16-19	2,15
20	8,16
20-24	2
22	8,16
4, 1,2	8
25	3
5, 2	53
6, 8	71
19	53
7, 3	53
9, 9	219
12, 3	106
10-20	246
13, 8	199
9	166
15	3
14, 14-16	199

C. V.	P.
18-24	220
15, 5	219
16, 11	71,73,125
17, 7	3
9-14	246
12	247
19	125
23-27	247
18, 18	106,119
19, 27	181
21, 4	247
13	3
22, 17	3
18	119,152
24, 6	53
13	25
24, 16	26,27,28
34	28
43	26
51	166
26, 4	119,152
28, 14	152
29, 15	199.
30, 11	102
34, 14	245
42, 15	199
43, 5	199
34	187
49, 10	4,152

EXODUS

2, 8	27
3, 12	25
17	30
4, 26	245
6, 20	214
7, 8	25
12, 15	174

C. V.	P.
13, 2	162,249,250
2-15	128
5	30
12	162,249,250
13	249
15, 20	169
23, 14-17	173
33, 12-16	71
34, 10	53
19	128
23	173
40, 35	79

LEVITICUS

4, 5	231
6,16	231
22	231
12, 2-8	128
12, 3	160,246,247
4	161
6	250
6-8	250
8	162
13	247
13, 8	26
17, 9,10	247
20, 24	30
23, 5	174

NUMERI

9, 22	79
18, 15	128,162
16	249
20, 17	127
24, 17	238,242,243
30, 4	26
17	26
35, 21,22	2

DEUTERONOMIUM		C. V.	P.	ESTHER	
C. V.	P.			C. V.	P.
4, 16	53	19	35	5, 10	202
7, 9	103	23	164	6, 12	202
13, 15	26	II SAMUELIS		JOB	
16, 1	174	1, 14	164.231	14, 11	83
16	173	6, 23	127	38, 15	104
22, 23	124	7, 11-16	72	PSALMI	
24, 1	66	12	152	2, 1	104
1-3	124	13	58	2	231
25, 5.6	217	16	40	7	156.225
34, 6	128	14, 19	35	17, 51	231
JOSUE		16, 10	184	18, 51	164
5, 2-11	247	19, 23	184	20,	228
15, 59	97	43	140	34, 4	101.113
19, 15	46	I REGUM		11	105.113
28	181	3, 1	131	35, 9	113
22, 24	184	8, 1	131	50, 12	53
JUDICES		9, 24	131	59, 7	53.59
3, 10	78	10, 2	105	15	53.59
4, 4	169	13	105	60, 6	242.243
6, 17	25.71	19, 16	231	68, 26	27
38	25	II REGUM		71, 19	103
11, 12	184	3, 13	184	72, 10	236.242.243
29	78	16, 5-9	24	17	125
13, 2-25	76	7.8	24	89, 5	72
3-5	71.73	18, 2	33	11	104
14, 3	245	21	33	30	40
6	78	22, 14	169	97, 3	119
16, 2	181	II CHRONICORUM		98, 3	106
I SAMUELIS		20, 14	78	103, 13	103
1, 1	105	22, 7	164	104, 15	191.231
11	102.112.113	23, 5-15	24	104, 30	78
2, 1	112	34, 22	169	107, 9	105.113
1-10	112.169	ESDRAS		110, 1	127.156
5	105	2, 21	46	4	220
7	104.112.113	NEHEMIAS		111, 9	103
26	179	7, 26	46	PROVERBIA	
10, 2	25	10, 36-37	161	6, 34	54
13, 15	250	11, 25	46	30, 18.19	27
24, 7	113.231	CANTICUM		1, 2	27
11	164	3, 3	59	3, 3	59
26, 9	164	6, 7	27	6, 7	27
11	164				
16	164				

ECCLESIASTICUS

C. V.	P.
9, 8	68
10, 17	113
18, 17	68
31, 35	191
44, 25	119

ISAIAS

1, 4	3
2, 3	227
7, 1-25	24
6	24
9	39.41
12	38
13	39
13.14	43
14. 1.3.5.9.20.24.26. 34.37.44.50.51.53. 61. 68. 71. 73. 91. 122.126. 152.168. 208.209.213.225	
14-16	25.36
15	30.31.32.41.
15-25	39.48
16	31.32.43
16,17	30
17-20	31.41
17-25	25.32.43
18-23	30.34
7, 21	41
21-23	30
22	30.31.41
23-25	31.41
8, 1-4	42
3	34
7	128
8	33.35.43.48.
8-10	35.42
9	44.48
9-10	35.42
10	43
14,15	168
18	43
23	35.44
9, 5	33.36.42.51.61. 72.129.156.
10, 20-22	42
11, 1	129.152
1-10	42.44

C. V.	P.
14, 2	35
25	35
19, 24.25	100
28, 1	187
29, 14	104
36, 6	34
38, 1-8	34
7	25
39, 5	33.34
40, 1	164
5	166
41, 6	106
8	106.119
9	119
42, 6	106.166
7	106
10	166
45, 1	231
47, 6	35
48, 7	53
49, 6	166
13	164
51, 9	47
53, 1-12	4
54, 6-8	57
55, 8.9	104
60, 3	166
61, 1	106.231
2	106
3	164
66, 7	48

JEREMIAS

1, 5	223
2, 2	57
7	35
20-25	57
3, 8	57
9, 2	57
26	245
11, 5	30
19	228
12, 14	35
16, 13	57.59
20, 7	58
23, 5	152
8	57.59
24, 6.7	57.59
29, 14	57.59
30, 3	57.59

C. V.	P.
14-18	57.59
31, 2-22	52
3-8	57.59
6	52
18	58
20-22	57.59
22	152.53.60.
23-26	52
27-40	52
33	57
36, 2	140
41, 17	133

LAMENTATIONES

4, 21	67
5, 21	58

EZECHIEL

16,	57
21, 26	113
25, 15	2
32, 30	245
35, 5	2

DANIEL

1, 20	236
2, 2	236
10	236
17	236
7, 14	72
9, 25	231

OSEE

2,	57
9, 3	35
6	26

JOEL

2, 21	67
-----------------	----

AMOS

9, 11	47
-----------------	----

MICHAELAS

4, 9.10	48
13	46

C. V.	P.	C. V.	P.	C. V.	P.
14	45.46.47.	24	63.65.122.127	16, 16	231
5, 1	129.152.205	25	64.127. 128.154.	20	231
1.2	45.61		201.205.210.217.	17, 1	65
1.5	36.49		226.248	18, 16	65
2	36.46.51.227.	26	125	26	240
2-6	1	2, 1	129.135	20, 17	65
3-5	42	2	241.244	20	240
5, 5	36.51	4	129	21, 4	126
7, 14	47	5	49.129	9	153.213
20	47	5.6	49.205	22, 42	213
HABACUC		6	237	24, 3	188
3, 2	134	11	154.200.240.244	30	188
SOPHONIAS		12	164	40.41	65
3, 14	67	13	65,115	26, 37	65
ZACHARIAS		13-14	200	49	67
9, 9	67	14	231	56	126
I MACCHABAEORUM		15	126	27, 8	87
1, 63	247	16	135	27, 9	126
II MACCHABAEORUM		17	126.135	10	87
1, 10	231	22	164.241	19	184
6, 10	247	23	126.228	27	65
MATTHAEUS		3, 17	85	56	192.194.197
1, 1	153.213	4, 4	188	28, 9	67
11	125	5	65	17	240
12	215.217	8	65	MARCUS	
16	122.215.217	10	240	1, 1	84
18. 63.66.96.123.126.		14	126	11	83.85
153.154.201.205.		4, 22	84	24	184
206.208.221.223		5, 6	241	2, 12	176
18-25	65.122.167	8, 2	240	3, 6	87
19	66.124.153.154.	17	126	18	194
206		29	184	20.21	83
20	63. 65. 91. 123.	9, 18	240	21	85.201
153.208		27	153	31	83.154
20-23	82	10, 3	194.197	31.32	192
21	125.154.248	11, 11	83	5, 7	184
22	126	12, 17	126	5, 42	176
22.23	36.91.94.205.	22	214	6, 3	84.128.154.192
225		23	176	7, 3	186
23	122.126.154.208	45	65	28	87
		46	154	10, 47	248
		46.47	192	11, 10	213
		13, 20	154	51	176
		23	87	12, 35	213
		35	126	14, 22	165
		52	84	15, 40	192.194.197
		55.56	192	42	87
		15, 2	186	16, 1	192
		2	240		
		43	163		

LUCAS

J. V.	P.
1, 1	87
5	81.129.135.214
11	89
11-20	88
13-16	90
14	71
15	98
15-17	90
17	90
18-20	90.114
22	70
26	62.211
26-28	62.71.113
26-38	89
27	63.66.89.211
28	67.68.89.205
29	70.89
29-33	62
30	70.90.114.167
31	87.205.248
31.32	36.37.69.71. 153
31-33	88
32	71.87.90.105. 153.168.213.214.
34	75.90.113.125. 127.177.200
34.35	62.73.81.86.95
34-38	62
35	71.76.114.153. 156.205.208.213. 221.223
35-37	78.90
36	76.81.87.90. 117.214
37	117
38	81.90.102.113. 153.154.226
39-40	96
40	122
40-42	158
41	97.109.113.114
41-45	96
42	96.111.117.153. 154.226
43	154.159
45	100.113.116.205
46	113.114.115

C. V.	P.
46-48	101.112
46-55	96.101.112
48	102.106.112.117. 121
49	103.206
49-53	101.103.119
50	103.106.206
52	104
52.53	112.113
53	113
54-55	101.106.119
55	117.206.219
56	111.114.115.122
57	117
59	247
67	113.114
80	172
2, 1	129.144
1-3	135.145
1-7	129.210
2	130
3	130.145
4	46.131.200
5	63.65.123.154.227
6	132.154.206.226. 227
7	132.147.156.200. 205.206.218.225. 226
8	144.230
10	114
10-14	168
11	46.230.231.244. 248
13	125
13-20	232
16	172.179.200
19	125.167.172.179. 233
20	134
21	160.234.246.247
22	125.249
22-24	160
22-38	160
23	162
24	162
25	163
26	163.231
27	164.211
28	165

C. V.	P.
20	165
20-32	168
29-36	168
30	166.244
31	166
32	166.244
33	154.167.233
34	69.205.206.208. 209.244
35	175.244
36-38	169
39-40	171.234
40	172.179
41	165.173.211
42	128.173
43	172.174.179
44	174
45.46	175
47	176
48	176.206.211
49	114.177.183.190
50.51	178
51	154.233
52	172.179
3, 6	166
19.20	107
21.22	107
22	85
23	135.140.213.215. 217.218
23-38	153
27	215.217
31	213
38	213
4, 4	188
8	240
22	84.176
34	184
5, 10	102
6, 12	97
15	194
7, 6	158
7	86
8, 19-20	192
28	184
32	97
56	176
9, 20	164
28	97
37	97

C. V.	P.	C. V.	P.	ACTUS APOSTOLORUM	
11, 28	87	30	85	C. V.	P.
29	161	4, 2	87	1, 7	176
31	161	20-21	240	14	192
39	186	42	230	22	84
12, 52	102	46	181.191	2, 30	153
16, 7	87	48	188	3, 6	248
17, 13	248	54	188	18	164
18, 38	248	6, 2	188	4, 10	248
20, 25	87	14	188	12	248
41.42	213	26	188	26	164
41-44	158	42	84.91.211	30	248
21, 11	188	7, 3	192.200	5, 31	230
25	188.234	5	192	37	130.136
22, 18	102	10	192	8, 9	236
27	206	22	245	8, 13	176
69	102	27	37.127	27	240
23, 8	188	30	185	10, 11	166
23, 51	163	31	188	22	164
24, 10	192	34-36	191	38	79
52	240	41-42	49	40	230
JOANNES		42	46.131.219.227	11, 3	245
1, 11	65.66.125	46	176	13, 8	236
12	80	8, 11	102	23	230
13	86	20	185	14, 8-17	94
14	95.157.188.206.	29	197	15, 13	193
212.224		9, 4	177	16, 9	125
15	140.157	16	188	18	248
18	188	38	240	17, 22-34	94
19	181	10, 36	223	18, 6	102
30	140	11, 7	87	9	125
32.33	85	47	188	21, 18	193
43	181	57	87	22, 3	176
45	248	12, 18	188	17	193
45.46	228	21	248	24, 5	228
50	188	37	188	27	180
2, 1	154.181	42	87	27, 20	234
1-11	81	14, 31	177	AD ROMANOS	
3	182.206	15, 18	140	1, 2	93
4	183.202	17, 1	185	3	83.93.153.213.219,
5	185	17-19	223	225	
6-9	186	18, 4-5	248	4	220
7	206	37	87	8, 14	80
10-11	187	19, 19	248	17	80
11	181	25	181.194.198.202.	9, 1-5	93
12	192.205	205		5	83.153.156.166.
23	188	26.27	184.202	222.226	
3, 2	188	27	182.202		
12	154	20, 27	182		
19-21	168	30	188		
		21, 2	181.182		

I AD
CORINTHIOS

C. V.	P.
2, 8	229
3, 19	104
6, 11	224
7, 1	83
5	64.123
9, 5	192
11, 23.25	83
14, 3	169
26	120
15, 1	65.66.125
3	65.66.125
7	213
46	213
47	154

II AD
CORINTHIOS

2, 15-16	168
5, 16	102
6, 14-17	94

AD GALATAS

1, 19	65.192.193
2, 9	193
3, 16	119.153
4, 4	132.153.157.206. 225.226.229.247.
4.5	222
6	220
7	80
5, 3	244

AD EPHESIOS

1, 6	68
4, 7-9	83

C. V.	P.
5, 19	120
23	230

AD PHILIPPENSES

1, 16	167
2, 6.7	95.157.206.226
7	212.222
9-10	248
3, 20	230
4, 9	65.125

AD COLOSSENSES

1, 13-20	222
15	95
2, 9	212
3, 16	120

I AD
THESSALONICENSES

3, 3	167
----------------	-----

I AD
TIMOTHEUM

4, 10	230
-----------------	-----

II AD
TIMOTHEUM

1, 10	230
2, 8	153.213.225

AD TITUM

2, 11	230
13	230
13-14	222
3, 4-6	230

AD HEBRAEOS

C. V.	P.
1, 5	225
6	240
7, 13-27	220
17	220
8, 5	164.241
10, 5-9	224
11, 7	164
12, 25	164

I PETRI

2, 19	180
-----------------	-----

II PETRI

1, 11	231
2, 20	231
3, 2	231
18	231

I JOANNIS

3, 1	80
4, 14	230

APOCALYPSIS

4, 10	240
5, 5	153
14	240
6, 9	17.20
12, 4	6.9.17.20
13	6.9.17.20
17	10.17
19, 10	240
21, 7	80
22, 9	240
16	153

INDEX AUCTORUM

A

Abbott T. K. 189.
 Abel F. M. 134, 147, 149, 151.
 Albertus M. S. 216.
 Allen W. C. 127.
 Allo E. B. 10, 64, 101, 155, 185.
 Amann E. 132, 155.
 Ambrosius S. 64, 196.
 Amiot F. 154, 193.
 Amphiloehius 168.
 Annus Viterbiensis 215.
 Athanasius S. 55, 79.
 Augustinus S. 56, 77, 89, 183, 196,
 203, 216, 217.

B

Bardenhewer O. 77, 79, 87, 216.
 Bartmann B. 182.
 Baudissin (von) W. 149.
 Banwer W. 189, 194.
 Bea A. 13.
 Beda S. 100, 174, 216.
 Benzinger I. 246.
 Bernard J. H. 194.
 Bernardus S. 6, 55
 Billuart R. 100.
 Bittremieux J. 17.
 Boll F. 234.
 Bonaventura S. 55, 174, 216.
 Bonnetain P. 68, 69.
 Bonsirven J. 247.
 Bover J. M. 5, 6, 8, 15, 80.
 Brassac A. 216.
 Braun F. 194.
 Burkitt F. C. 111.
 Buzy D. 27, 85, 97, 99, 128, 158, 194,
 198, 228, 235, 240.

C

Cajetanus 74, 100, 215.
 Calés J. 27, 39.
 Calmes T. 194, 198.
 Calmet D. 35.
 Calvin J. 38.
 Carol J. B. 5, 7, 19.
 Caspari W. 140.
 Cerfaux L. 99, 231.
 Ceuppens F. C. 3, 9, 18, 32, 48, 60,
 85, 126, 152, 206, 222, 239, 243.
 Chaîne J. 193.
 Charne A. 193, 198.
 Cheyne T. K. 34.
 Cichorius C. 142.
 Clemen C. 93.
 Clemens Alex. 195.
 Closen J. 54, 59.
 Coleran J. 39.
 Condamin A. 9, 26, 28, 36, 52, 54, 56.
 Coppens J. 77, 227.
 Corluy J. 16, 18, 49.
 Crélier J. 16.
 Crosignani G. 13.
 Cruveilhier P. 43, 49.
 Cumont F. 146, 148, 236.
 Cyprianus S. 56.
 Cyrillus Alex. S. 196, 203.
 Cyrillus Hieros. S. 49.

D

d'Alés A. 10.
 Dalman G. 146, 231.
 Dausch P. 142, 240.
 Davidson A. B. 26, 32, 36.
 Deissmann A. 131, 231.
 De Keulenaer J. 241.

Dennefeld L. 3, 27, 39, 49.
 Dessau H. 136.
 de Vaux R. 48.
 Dieckmann H. 142.
 Diepen H. 66.
 Dieterich A. 242.
 Dion-Cassius 144, 242.
 Dionysius Exiguus 130.
 Drewniak L. 10, 14, 20.
 Driver S. R. 29, 38.
 Duhm B. 32, 34.
 Durand A. 26, 110, 156, 185, 194, 198,
 216, 228, 235.
 Dürr L. 47.

E

Edersheim A. 238.
 Engelkemper W. 16.
 Ephrem S. 185
 Epiphanius S. 6, 37, 196, 237.
 Erasmus, 215.
 Eusebius 49, 195, 216.
 Ewald H. 140.

F

Feine P. 89.
 Feldmann F. 3, 27, 29, 36, 39.
 Feuillet A. 30, 41.
 Fillion L. C. 55, 161, 215.
 Fischer J. 28, 30, 36.
 Flunk M. 5.
 Fonck L. 142.
 Frangipane D. 66.
 Frey J. B. 128.
 Friethoff C. 16.
 Fulgentius S. 133.

G

Gächter P. 183, 184, 204.
 Gallus T. 204.
 Galtier P. 155, 156.
 Garofalo S. 30, 48.
 Gesenius- Buhl W. 2, 26.
 Godet F. 74, 215.
 Goossens W. 14, 19, 20.
 Gregorius M. S. 184.
 Gregorius Nyss. S. 185.
 Gressmann H. 168.

Groag E. 136.
 Grotius H. 34, 50.
 Guidi J. 30.
 Gunkel H. 74.

H

Haeckel E. 91.
 Hahn J. L. 74.
 Harnack A. 73, 82, 86, 108, 112, 113.
 Haugg D. 75, 76.
 Headlam A. C. 135.
 Heer J. M. 215, 216.
 Hegesippus 194.
 Heinisch P. 9, 19, 28, 249.
 Herranz A. 183.
 Herzog-Turmel G. 93.
 Hertenauer M. 8.
 Hieronymus S. 6, 55, 123, 128, 132,
 150, 196, 216, 227, 239.
 Hilgenfeld A. 108, 118, 119.
 Hillmann J. 87, 118.
 Hitzig F. 34.
 Hoberg G. 5.
 Holtzmann H. J. 127, 189, 239.
 Holtzmann O. 141, 142.
 Holzmeister U. 69, 74, 78, 89, 130,
 135, 142, 148, 216, 230.
 Huhy J. 84, 107, 137, 155, 157, 198.
 Hugon E. 100.
 Hummelauer F. 16.
 Huyghe C. 26.

I

Irenaeus S. 6, 37, 110, 183, 214.

J

Jacobé F. 107, 109.
 Jacono V. 184.
 Jalabert P. 136.
 Jansen R. L. 80, 140.
 Janssens A. 168.
 Jaussen A. 217.
 Joannes Chrys. S. 49, 64, 66, 123, 125,
 183, 185, 196, 203.
 Joannes Damasc. S. 178.
 Josephus Flavius, 46, 124, 129, 144,
 164, 174, 184, 245.

Joffon P. 68, 71, 77, 80, 101, 123, 133,
165, 177, 194, 232.
Jugie M. 155.
Junker H. 3.
Justinus S. 37, 49, 107, 133, 214,
237, 240.

K

Kleper J. 234.
Klausner J. 92.
Klostermann E. 80.
Knabenbauer J. 47, 55, 79, 183, 185,
194, 216.
König E. 46, 47, 49.
Köstlin H. A. 109, 111.
Kuenen A. 34.

L

Lactantius 37.
Ladeuze P. 111, 116, 120, 142.
Lagarde de 32.
Lagrange M. J. 9, 16, 28, 34, 36, 43,
67, 77, 80, 88, 93, 102, 115, 122,
127, 131, 137, 155, 162, 173, 180,
183, 191, 216, 225, 232, 237, 241,
250.
Landersdorfer S. 73.
Lavergne C. 140.
Le Bachelet X. 15.
Lebreton J. 79, 107, 167, 173, 179,
231, 237.
Le Hir R. 35.
Leisegang H. 93.
Leloir L. 16.
Lennerz H. 23.
Leo M. S. 6.
Lesêtre H. 79, 245, 246, 247.
Lightfoot J. B. 215.
Lippl J. 47.
Loisy A. 27, 78, 82, 93, 107, 128, 143,
146, 189, 199, 242.
Lyonnet S. 67, 193.

M

Macalister A. 246.
Mc. Curdy 33.
Mc. Nabb V. 84, 157.
Maldonatus 102, 123, 183.

Mangenot E. 16, 69.
Marchal L. 68, 77, 98, 107, 140, 162,
167, 172, 179, 210, 232, 250.
Marti K. 32, 34.
Marucchi H. 136, 138.
Maspero G. 33.
Médebielle A. 67, 70, 75, 80, 89, 154.
Meignan C. 16.
Merk A. 182, 194.
Merkelbach H. B. 5, 152, 157, 204.
Metzinger A. 45.
Meyer E. 93, 244.
Miller A. 45.
Milligan G. 131.
Mitteis L. 131, 144.
Mommson T. 136.
Morin G. 107.
Murillo L. 39, 71.

N

Neil J. 133.
Nestle E. 182.
Nilles P. 111.
Norden E. 94.
Nötscher F. 52, 54, 60.

O

Ogara F. 98.
Olshausen H. 34, 140.
Orelli (von) K. 38.
Origenes 37, 91, 133, 168, 195, 205,
235, 240, 246.
O' Rourke J. J. 137.

P

Perrella G. M. 63.
Perret S. 121.
Philon 174.
Pirot L. 85, 112.
Plinius 244.
Plummer A. 98, 172, 175.
Porporato F. X. 161, 165.
Power E. 30, 80, 134, 142.
Prado J. 13, 215.
Prat F. 37, 68, 78, 107, 123, 133, 138,
155, 198, 216, 228, 240, 240.
Protin S. 5.

R

Ramsay W. 137, 142, 144.
 Reinach S. 199.
 Reinke L. 16, 37, 49, 56.
 Renan E. 84, 228.
 Renié J. 39.
 Repetti G. C. 16.
 Resch A. 86.
 Reuss E. 168.
 Réville A. 92.
 Ricciotti G. 140, 245, 246.
 Richen E. 146.
 Riener G. 42.
 Rigaux B. 3, 12.
 Rinieri J. 5.
 Roschini G. 5, 30, 47, 53, 59.
 Rose V. 84.
 Rosenmüller E. F. C. 38, 46.
 Ruffini E. 215.
 Rupertus Tuit. 203.

S

Schanz P. 194, 239, 240.
 Schaumberger J. 142.
 Schmidt W. 16, 246.
 Schmiedel P. 82.
 Schulz A. 185.
 Schürer E. 130, 143.
 Sickenberger J. 140, 156.
 Simonin H. D. 10, 17.
 Škringar A. 47.
 Sloet D. 235.
 Soden (von) 182.
 Spicq C. 77.
 Spitta F. 108, 110, 118, 134.
 Steinmann A. 83.
 Steinmetzer F. X. 77.
 Strabo 145.
 Strack H - Billerbeck P. 37, 125, 127,
 146, 173, 182, 230, 238, 240, 247.
 Suarez 100.
 Suetonius 130, 144.
 Synave P. 100.

T

Terrien J. B. 5, 205.
 Tertullianus, 37, 49, 136, 145, 196,
 214, 237.

Theodorus Mops. 50.
 Theophylactus 64.
 Thomas S. 70, 78, 80, 100, 173, 179.
 Tillmann F. 37, 127, 183, 184, 194.
 Tischendorf T. 182.
 Tobac E. 27, 34, 36, 43, 46, 52, 60,
 155, 172, 193, 243.
 Trinidad J. 13.
 Turner C. H. 135.

U

Usener H. 82, 107.

V

Vacandard E. 148.
 Vaccari A. 27, 30, 40, 225.
 Valensin A. 107, 137.
 Van Crombrugge, C. 3, 5, 8, 13, 43.
 Vandervorst J. 57, 140.
 Van Hoonacker A. 9, 27, 29, 36, 43, 46.
 Van Innschoot P. 79.
 Van Kasteren J. P. 232.
 Van Tichelen T. 140.
 Velley Ch. 149.
 Vincent H. 134, 147, 149, 151.
 Vogels J. 182, 194.
 Vogt P. 215, 216.
 Völter D. 107.
 Vosté J. 67, 82, 84, 87, 90, 194, 198,
 216, 217.

W

Weiss B. 120, 215.
 Weiss J. 79.
 Westcott - Hort 182.
 Wilcken U. 131, 144.
 Willems C. 5.
 Wilpert J. 236.
 Winckler H. 24.
 Wordsworth W. A. 111.

Z

Zahn T. 86, 182, 194.
 Zapletal V. 3.
 Zerwick M. 30, 40.
 Zorell F. 63, 65, 68, 161, 193, 225, 231,
 240, 248.

INDEX RERUM

Adonis et Jesus 148, 149.

Aïn Karim 97.

Anna prophetissa 169.

Annuntiatio 62.

Arca Noë 22.

Architriclinus 186.

Brachium Dei 104.

Breviarium imperii 144.

Butyrum et mel 30. 31.

Christus: comprehensor 234; — nativitas temporalis 225; — sanctificatio 223.

Circumcisio 244; — ritus 246; — sensus 246.

Civitas David 131.

Cognoscere virum 73.

Comitatus 174.

Conceptio virginalis, 37, 40, 82, 95. 123, 126, 208, 223.

Consolatio Israël, 163.

Convenire 62, 64, 123.

Decretum Caesaris 129.

Desponsatio 63.

Dies aeternitatis 47.

Diversorium 133.

Doctorem (in medio) 175.

Dominus tecum 68.

Emmanuel 29, 33.

Ephrata 45, 46.

Ex semine David, 214, 219.

Filia Sion 48.

Filius Altissimi 71, 88.

Filius Dei 71, 80, 88.

Frater Domini 192.

Genealogia Jesu 214.

Homonadenses 138.

Hydriae 186.

Immaculata Conceptio, 9, 70, 208.

Ineffabilis Dei 6, 13.

Inimicitia 2.

Jesus: genealogia 214; — initium ministerii publici 140; — inventio in templo 171; — Nativitas, tempus, locus, 131, 135, 228; — nazarenus 228; — praesentatio in templo 115.

Libellum repudii 124.

Magnificat: interpretatio 101; — origo et auctor 107, 118.

Magi: locus originis 237; — numerus 236; — Stella 234, 235; — tempus adventus 237.

Maria: conceptio virginalis 37, 40, 82, 95, 123, 126, 208, 223; — filia David 214; — mater Dei-hominis 155, 206; — mater generis humani 203, 204; — mater Jesu-hominis 152, 225; — mater Messiae 35, 50, 51, 55, 61, 99; — mediatrix 98; — partus absque dolore 228, 227; — partus virginalis 37, 40, 128, 209; — purgatio 161, 250; — virginitas 37; — virgo post partum, 128, 209.

Matrimonium: apud Judaeos 62, 63; — Jahweh cum Israël 57; — Marius cum Joseph, 63, 66, 211; — virginale 132.

Melchisedech 220.

Messias: conceptus Judaeorum 126, 127; — Dominator 50; — Liberator 4, 51; — missio Spiritualis 126; — origo 46, 47.

Metritae 186.

Misericordia Dei 103, 106.

Mithra: Nativitas 146; — tempus natiuitatis 148.

Mulier protoevangelii: Eva 19; — Eva et Maria 13, 16. — Maria 5.

Nomen 103.

Nuntium in somnis 125.

Pantheri legenda 91.

Pastorum adoratio 115.

Parthenogenesis 37.

Plenitudo gratiae 69.

Plenitudo temporis 229.

Praeseptum 133.

Primogenitus 128, 132, 210.

Prospectus propheticus 42, 43.

Protoevangelium 2.

Purgationis lex 162.

Purificatio Baptistae 98.

Quid mihi et tibi? 184.

Quirinius: census 135; — legatio 138; — praeses Syriae 130.

Regnum aeternum 72.

Reliquiae fratrum 48.

Residuum 35.

Restauratio Israël 59.

Rex socius 144, 145.

Sapientia plenus 172.

Scala Jacob 22.

Semen: mulieris 3; — serpentis 3; — David 214, 219.

Sensus typicus 16.

Serpens 2.

Signum 25.

Signum controversum 168.

Simeon senex 163.

Spiritus vivificans 155.

Superbi mente cordis 104.

Tiberii regnum 141.

Tiridates 242.

Virtus Altissimi 79, 220.

Votum virginitatis 78, 210.

HEBRAICE

'āh 199.

'āšer 32.

'āšit 2.

betūlāh 26.

gāber 54.

hā 'issāh 3, 8.

hā 'almāh 3, 26, 29.

hinnēh 25.

Zera^c 3.

Mahēr šālāl hās baz 42.

Māšiah 248.

mūlāh 245.

na'ārāh 26.

n^cqēbāh 53, 55.

se'ār Yāsūb 41.

ēālāmōt 27.

ēārlah 245.

t^csōbēb 53, 58.

GRAECE

ἀγαλλιάομαι 101.

ἀγιάζειν 223.

ἄγιος 162.

ἀδελφός 199.

ἀκροβυστία 245.

ἀνθρωποτόκος 155.

ἀποκάλυψις 166.

ἀστήρ 234, 243.

ἄστρον 234.

βούλομαι 124.

γυνή 83, 202.

δειγματίσαι 124.

διαλογίζομαι 70.

δυνάσται 105.

ἐπίτροπος 139.

ἐξίστημι 176.

εὐλογημένος 99, 158.

εὐλογητός 99, 158.

ἕως οὗ 127.

ἡγεμόνες 139.

θέλω 124.

θεοτόκος 155.

θησαυρός 241.

καθαρισμός 161.

κάθαρσις 161.

κεχαριτωμένα 68, 207.

κύριος 158.

μνηστεύω 62, 123, 131.

νεᾶνις 28.
 οὐράνιος 154, 213.
 παραλαμβάνειν 65, 125.
 περιέρχομαι 54.
 περικυκλέω 54.
 περιτομή 245.
 προσκυνεῖν 240.
 πρωτότοκος 128, 132.
 σημεῖον 188.
 σπήλαιον 133.
 συνέρχεσθαι 62, 64, 123.

σωτήρ 230, 231.
 ταπείνωσις 102, 113.
 τί ἐμοὶ καὶ σοὶ 183.
 υἱὸς τῆς Μαρίας (ὁ) 84, 200.
 ὑπάρχων 157.
 φάτνη 133.
 χαῖρε 67.
 χρηματίζω 164.
 χριστός 231.
 Χριστὸς Κύριος 231.
 Χριστοτόκος 155.